
RATIONALE IURIS PONTIFICIJ AUCTORE IO. BAPTISTA VIUIANO VRBINATE...

Giovanni Battista Viviani


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
25 C
35

RATIONALE
IVRIS PONTIFICII

Auctore
IO. BAPTISTA VIVIANO VRBINATE
Presbytero, & I.C. Romano.

Opus, in quo omnium, quæ à Summis Pontificibus constituta sunt in Quinque Libris Decretalium, Sexti, Clementinarum, & Extrauagantium, ratio redditur.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.
D. SCIPIONEM BVRGHESIVM
S.R.E. Card. Summum Pœnitentiarium, &c.

CVM INDICIBVS.







ROMAE, Typis Iacobi Mascardi. MD CXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTR.MO AC REVER.MO D.

D. SCIPIONI BVRGHESIO

S. R. E. CARD. AMPLISS.

IOANNES BAPTISTA VIVIANVS F.



RATIONABILE viget, apud Scriptores, institutum in editione librorum, eos alicui dicare, qui & primariæ sit auctoritatis, & rebus ibi tractatis delectetur. Sic enim fit, vt calumniatores minus detrahere audeant, & ei, cui exhibentur, gratiores existant. Quorum vestigia secutus, mei Rationalis Iuris Pontificij primum librum typis mandatum, Tibi Illustrissimo Principi, iure, ac meritò, offero. Qui non solùm Sanctissimi D. N. Pauli V. Pont. Opt. Max. dignissimus nepos existis; verùm etiam amplissima Cardinalatus dignitate, Vrbi, Orbiq. præfulges; & in Constitutionibus Apostolicis, de quibus totus huius libri sermo est, eius es eruditionis, vt cum præclara nominis tui gloria, & Summi Pœnitentiarij fungaris officio, & alijs grauioribus Ecclesiæ negotijs, maxima cum prudentia præsis. Rogo igitur, vt ea humanitate, qua, in sublimi honoris fastigio positus, omnibus ad Amplitudinem Tuam confluentibus Te benignissimum præbes; me, opusq. meum sub tuo patrocinio editum, in gratiam suscipias, ac tuearis. Quod, cum omni animi mei affectu, humiliter dono, do, dico. Romæ Quarto Nonas Decembr. 1611.



MARTII MILESII IVRISCONSVLTI

AD VIVIANVM

ΤΕΤΡΑΣΤΙΧΟΝ.

IVribus & causas, & causis iura reponis
Conscius, ac reddis legibus ipse animam.
Astræa æternis ornat te hinc laudibus, vni
Serta tibi replicans innumeris numeris.

AD LECTOREM.

ΔΙΣΤΙΧΟΝ.


CVrtat iter longum liber hic, planumq. reducit;
Pontificum vt causis, noscere iura queas.



INDEX

INDEX TITVLORVM HVIVS LIBRI PRIMI.

Officio




IO.BAPT.VIVIANVS.VRBINAS.PRESB.ET.I.C.ROMANVS.ANN.AGENS.XL.
MDCX

INDEX RERVM,
QVARVM REDDITVR RATIO IN HOC LIBRO.

A

Arbi-

Cam-

†† Con-

Dele-

 plen-

F

G

Ha-

Lex

R

S



IN

IN NOMINE DOMINI.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus; vt semper rationabilia meditantes: quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis. Per dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus; per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PROOEMIVM.

PRæclara Philosophi sententia est: Omnes homines ad scientiam natura esse propensos: Scireque, esse rem per causam cognoscere. Genus enim humanum, rationis munere à Deo Opt. Max. præ cæteris animantibus, illustratū atque distinctum, maximè delectatur, quasi artifex in opere suo, dum ratiocinando, alicuius effectus causam, acumine percipit intellectus. Hinc videmus, ad philosophiam, in qua rerum causæ exquiruntur, promptiori, & alacriori animo homines ferri, quàm ad legum studium. in quo, cursu temporis, scribentium multitudo induxit, vt magis Doctorum auctoritas, quàm legum veritas; eorumq; communis opinio potius, quàm iurium causa, & ratio, à plerisque inuestigetur. Cum tamen omnes fateantur: Legibus esse iudicandum. Rationem censeri animam legis: per eamq. illius dispositionem, restringendam vel ampliandam esse. Nullamq. extare legem, quę si non explicitè, saltem implicitè non habeat rationem insertam. Ac facilius esse, ex apprehensione rationis, innumeros propè casus ab illa pendentes, rectè iudicare, quàm illa non attenta, quid per alios in similibus fuerit decisum, velle, perscrutando, per exempla sectari. De singularibus namq. & indiuiduis non est scientia, neque numerus. Et quamuis consentaneum sit credere, nullam esse Iurisconsultorum sententiam absque rationis fundamento, pro communi receptam: Sæpe tamen euenit, vt vnus post alterum, & tertius post ipsum, alicuius dictum sequantur, qui de re aliqua fortasse bene scripserit, & ideò apud cæteros sit auctoritatem adeptus. Quòd si primus ille in reliquis errauerit, omnes, eum sine rationis inquisitione sectantes, simulq. com-

munem

munem opinionem constituentes, in eundem prolabuntur errorem. Euenit etiam, vt tanta sit copia Doctorum, hinc inde de communi opinione certantium, vt quæ verè sit communis, non facile dijudicari possit. Et dum in causis versantes, non in requirenda lege & eius ratione, sed in reperienda communi opinione intendunt, conterunt longum tempus in libris penè innumeris euoluendis, plus laboris quàm voluptatis in studio sentientes: Quod ni legalis facultas esset necessaria ad populos gubernandos, & vtilis ad opes comparandas, non multi ad illam applicarent animum. Quibus ego rationibus adductus, non inutile fore putaui, si modus inueniretur, quo etiam in legali studio, quod moralis philosophiæ pars est, eius methodus, ac suauitas perciperetur, & ita quodammodo vtile dulci misceretur; illudq; quod modo librorum coaceruatione videtur opus immensum, ad aliqua præfinita volumina redigeretur. Sic enim fieret, vt studium iucundum homines ad se alliceret & excitaret; & difficultas, ac longitudo operis, eos nō abduceret, aut deterreret. Sic leges, non solum vt formidabilia præcepta apprehenderentur, sed etiam vt rationabilis scientia cognoscerentur; ideoq; & magis diligerentur, & libentius seruarentur. Sic pauperes solerti ingenio præditi, propter expensas librorum ab hoc studio non excluderentur. Aliaque commoda, & vtilitates, quas Plato enumerat in illis Ciuitatibus quibus Philosophi præsunt, sperandum esset vt ex inde orirentur. Intentione conficiendi opus, ex quo in iure Pontificio propositus iste finis aliquo pacto adiuuaretur, Romæ laboraui pluribus annis, in reperiunda assignandaq. ratione singulis propositionibus cuiusque Capitis Decretalium, Sexti, Clementinarum, & Extrauagantium. Ad rationes adiungendo auctoritates vnde assumuntur, vt constet illas non esse fictitias; & ne recederem à regulis huius studij, in quo erubescimus sine lege, & auctoritate loqui. Quæ sit rei difficultas, percipi potest ex illa Iurisconsultorum sententia: Non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse. l. non omnium. ff. de legib. Et ex Aristotile 1. Ethicor. cap. 3. asserente: In scientia morali, propter difficultatem demonstrandi, satis esse, si pingui quadam minerua, atque adumbrata figuratione, verum ostendatur. Et quidem aliquarum legum reddere rationem, facile est; multarum, studiosum; omnium verò, & singularum propositionum earum, rationesq; semper auctoritatibus confirmare, hoc opus, hic labor. In propositionibus assumendis non recessi à verbis ordinarij, & ab omnibus recepti summarij, ne ipsarum sensum quis suspicaretur immutatum. Capitibus tamen, quibus deerat, illud confeci, vt quod textus continet, breuius habeatur; & cuilibet propositioni ratio distinctius assignetur. Auctoritates sic censui adducendas, vt nec copia confundat textum, nec inopia rationibus minuat fidem. Illasque non solum ex Iure Canonico, & eius magis approbatis expositoribus, sed etiam ex sacra Theologia, & ex Iure Cæsareo, aliquando

do etiam ex Philosophia, prout res explicandæ requirebant, retuli assumptas; vt quàm unanimiter omnes disciplinæ ad idem statuendum confluant, vbi ratio suadet, intelligatur. Post titulum Decretalium nulla alia re interposita, titulos aliorum voluminum, eodem nomine inscriptos, inserui, ne ad diuersa loca, pro eiusdem rei cognitione, studioso lectori esset euagandum. Sed quoniam ad totum opus perficiendum, & expoliendum, adhuc aliquo tempore indigeo; interim non ab re existimaui emittere primum librum. qui & sit de meo labore indicium, & per illum mihi innotescat, quodnam fiat de huiusmodi meo studio iudicium. Si enim hunc gratum esse cognouero, libentius alios quatuor libros quamprimùm edere studebo. In his namq; operibus inuigilando, me delectat imitari Reuerendiss. Gasparem Viuianum bo. me. patruum meum, Episcopum Anagninum, qui plurimum in Dei ecclesia elaborauit, præclaraq; ingenij monumenta reliquit, vt Dominus, qui tradit in hac vita talenta, æternam vitam dignetur elargiri in Cœlis. Amen.



RATIONALE PRIMI LIBRI IVRIS PONTIFICII.

Auctore

IO. BAPTISTA VIVIANO VRBINATE Presbytero, & Iuris Conſ. Romano.

EX PROOEMIO DECRETALIVM.

Gregorius &c.

LEX proditur, vt appetitus noxius ſub iuris regula limitetur.



VIA Rex pacificus pia miſeratione diſpoſuit, ſibi ſubditos fore pudicos, pacificos, & modeſtos; ſed effrænata cupiditas ſui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum, tot quotidie noua litigia generat, vt niſi iuſtitia conatus eius ſua virtute reprimeret, & quæſtiones ipſius implicitas explicaret, ius humani fęderis litigatorum abuſus extingueret, & dato libello repudij, concordia extra mundi terminos exularet. vt in tex. & S. Thom. 1.2.q.96. art.2.& 3.

PER quam genus humanum, vt honeſtè viuat, alterum non lædat, ius ſuum vnicuique tribuat, informatur.

QVIA omnia iuris præcepta pertinent ad aliquod iſtorum trium, l.iuſtitia. ff.de iuſt.& iur. per quæ homines retrahuntur à malo, & incitantur ad bonum, nam honeſtè viuere, pertinet ad mores quantum ad ſe: Alterum non lædere, pertinet ad mores circa proximum, vt quis malum illi non inferat; ius ſuum vnicuique tribuere, pertinet ad proximum circa bonum illi inferendum.gloſ.hic ver.honeſte,& ſequen.

 & cap.

& cap. omnis autem lex. dist. 3. Non enim sufficit abstinere à malo, nisi fiat etiam bonum. S. Gregor. in homilia Euangelij: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. cap. 12.

GREGORIVS IX. Pont. Max. ad communem, & maximè studentium vtilitatem, prouidit redigendas per Fratrem Raymundum Capellanum suum, & pænitentiarium (modo Sanctum canonizatum à Summo Pont. Clemente VIII. die 29. Aprilis 1601.) in vnum volumen diuersas constitutiones summorum Pontificum eius prædecessorum, aliquas adijciens de suis.

QVIA illæ constitutiones, & epistolæ decretales in diuersa dispersæ volumina non bene obseruabantur, & earum aliquæ propter nimiam similitudinem, aliquæ propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur; aliquę vero vagabantur extra illa volumina, & tanquam incertæ frequenter in iudicijs vacillabant; Ideo Summus Pont. Greg. IX. prouidit fieri hanc decretalium compilationem, & resecatis superfluis, adiecit aliquas constitutiones suas; per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia, declarantur, & nonnulla de nouo statuuntur. vt in tex. & infra in Proœmio Sexti. Compilatio autem ista fuit facta anno Domini 1237. Platina in vita ipsius Greg. & Genebr. in Cronolog.

ALIAE decretalium compilationes, absque Sedis Apostolicæ auctoritate fieri non possunt.

QVIA iste summus Pontifex volens, vt hac tantum compilatione vniuersi, & singuli vtantur in iudicijs, & scholis, districtius prohibet, ne quis præsumat aliam facere absque Sedis Apostolicæ auctoritate speciali, vt in tex. Et quoniam vbi superior aliquid prohibet, subditis contrauenire non licet. cap. 2. de maior. & obed. & Papa est superior omnium. cap. nouit. de iudic. Ideo contra id, quod hic statuitur, alicui compilare decretales non licet. vt in text. & cap. pastoralis. de fid. instrum.

EX PROOEMIO VI. DECRETAL.

Bonifacius &c.

BONIFACIVS VIII. Pont. Max. fecit compilari Sextum Decretalium.

QVIA post compilationem factam à Gregorio IX. diuersæ constitutiones Summorum Pontificum, editæ à tempore dicti Gregorij vsque ad ipsum Bonifacium, extra volumina vagabantur. Ideo Bonifacius fecit illas redigere in vnum volumen, quas censuit in futurum in iudicijs, & scholis fore vtiles, aliquas adijciens etiam de suis, reliquas verò, quas superfluas existimauit, omnino resecauit; præcipiens, vt in iudicijs, & scholis, omnes his decretalibus vtantur. vt in tex. Compilatio ista fuit facta anno Domini 1300. Platina in vita ipsius Bonif. & frater Iacobus Philippus Heremitanus in sua Cronologia.

EX PROOEMIO CLEMENTINAR.

Ioannes &c.

CLEMENS V. Pont. Max. collegit in vnum volumen diuersas constitutiones editas ab ipso in Concilio Viennensi, & etiam ante, & post ipsum Concilium.

QVIA iste summus Pont. Clemens V. prudenter attendens, & prouide cupiens deformatorum reformationi prospicere, soluere difficilia, ac sanctiones quæstionibus, & negotijs imminẽtibus consonas promulgare, has constitutiones edidit; in quibus multa vtilia statuit, atque salubria, & nonnulla dubia in iudicijs, & extra, frequentata decidit. Et licet eas collectas in vnum volumen, & sub congruis titulis collocatas mittere decreuisset, & dare in commune subiectis, morte tamen præuentus, suum in hac parte propositum non impleuit; Sed Ioannes vigesimus secundus eius successor illas collectas publicauit, & doctoribus, scholaribusque Bononiæ commorantibus transmisit, vt in tex. Hi autem Summi Pontifices transmiserunt hæc volumina constitutionum doctoribus, & scholaribus Bononiæ, quia ibi, tunc maxime vigebat studium commune, & generale, præcipue in vtroque iure, & ibi quasi de omnibus mundi partibus tunc præsertim erant studentes; ideo potius Bononiam diriguntur, vt per ipsos possint facilius vbique edoceri

& obseruari. glos. ver. Bononiæ. supra in procemio Decretalium. Frustra enim fierent iura, nisi essent, qui ea reddere possent. l. 2. §. parum. ff. de orig. iur. Obligant tamen etiam cæteros ad illarum obseruantiam: Nam constitutio Principis post duos menses à tempore publicationis omnes adstringit. c. nouerit. de sent. excom. & Authent. vt factæ nouæ constit. circa princ. coll. 5. Compilatio ista fuit edita anno Domini 1310. Platina in vita ipsius Clem. & Genebrardus in sua Cronologia.

DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

In Decretal. Cap. 1. Firmiter.

FIRMITER credere debemus, & simpliciter confiteri, quòd vnus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, omnipotens, & ineffabilis; scilicet, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater à nullo, Filius à Patre solo, & Spiritus sanctus pariter ab vtroque absque initio, semper, ac sine fine; Pater generans; Filius nascens; & Spiritus sanctus procedens; consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni; vnũ vniuersorum principium; creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem; angelicam, videlicet, & mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam; diabolus enim, & alij dæmones, à Deo quidem natura creati sunt boni; sed ipsi per se facti sunt mali; Homo verò Diaboli suggestione peccauit.



D cognitionem Trinitatis diuinarum personarum, per rationem naturalem peruenire, impossibile est; Nam homo per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenire non potest, nisi ex creaturis; Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principiũ.

Virtus

Virtus autem creatiua Dei est communis toti Trinitati; vnde pertinet ad vnitatem essentiæ, non ad distinctionẽ personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatem essentiæ, non autem ea, quæ pertinent ad distinctionem personarum. Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, vt sit de rebus inuisibilibus, quæ rationem humanam excedunt; vnde Apost. dicit ad Hebr. 11. quod fides est de non apparentibus. & 1. ad Corinth. cap. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Secundo quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem; cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod huiusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probare, nisi per auctoritates, his qui auctoritates suscipiunt. Apud alios verò sufficit defendere non esse impossibile, quod prædicat fides; vnde Dionys. dicit 2. cap. de diuin. nomin. Si aliquis est, qui totaliter eloquijs resistit, longe erit à nostra philosophia; Si autem ad veritatem eloquiorum, scilicet, sacrorum respicit, hoc & nos canone vtimur S. Thom. in 1. part. quæst. 32. art. 1.

In vnaquaque tamen creatura inuenitur vestigium Trinitatis, vt inquit S. August. lib. 6. de Trinit. non procul à fine libri. Nam in creaturis rationalibus, in quibus est intellectus, & voluntas, inuenitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum inuenitur in eis verbum conceptum, & amor procedens; Sed in creaturis omnibus inuenitur repræsentatio Trinitatis per modum vestigij, in quantum in qualibet creatura inueniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in diuinas personas, sicut in causam. Quælibet enim creatura subsistit in suo esse, & habet formam, per quam determinatur ad speciem, & habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur, quòd est quædam substantia creata repræsentat causam, & principium, & sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum autem, quod habet quandam formam, & speciem, repræsentat verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem, quod habet ordinem, repræsentat Spiritum sanctum, in quantum est amor; quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis. S. Tho. in 1. par. quæst. 45. art. 7. Ponitur etiam simile in anima hominis, quæ cum sit simplex, tria tamen reperiuntur in ea, scilicet, intellectus, memoria, & voluntas. S. August. lib. 10. de Trinit. cap. 11. Et aliæ similitudines colliguntur per Mag. sent. lib. 1. dist. 3. Sed non potest dari tanta similitudo inter creatorem, & creaturam, quin maior dissimilitudo sit notanda. S. August. de Trinit. lib. 15. cap. 20.

HAEC

HAEC Sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta, primo per Moysem, & sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem.

QVIA tria fuerunt tempora, scilicet, tempus ante legem, tempus sub lege, & tempus gratiæ. In tempore ante legem habebant homines ius naturale, quo regebantur, quod consistebat in his duobus præceptis; vno scilicet; quo quisque iubetur alij facere, quod sibi vult fieri; altero, quo prohibetur alij inferre, quod sibi nolit fieri. dist. 1. in princ. Vnde Christus in Euangelio: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis; hæc est enim lex, & prophetæ. Matth. cap. 7.

In tempore sub lege regebantur decalogo Moysi dato à Deo, & tunc contingebant omnia in figura, quæ completa fuerunt tempore gratiæ, quando Dei filius nos docuit præcepta euangelica, quibus hodie regimur, in quo scripturæ fuerunt completæ. S.Tho. 1. 2. quæst. 106. art. 4. Et hic est ordo, de quo hic dicitur. glos. hic. ver. ordinatissimam. Decebat enim in legum institutione, vt gradatim ad perfectiorem deueniretur. S.Tho. d. quæst. 106. art. 3.

ET tandem vnigenitus Dei Filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstrauit. Qui cum secundum diuinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse factus est mortalis, & passibilis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus, & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum; sed descendit in anima, & resurrexit in carne, ascenditque pariter in vtroque; venturus in fine sæculi, iudicaturus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis; qui omnes cum suis proprijs resurgent corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundum opera sua, siue bona fuerint, siue mala; illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.

VNI-

VNIGENITVS Dei filius à tota Trinitate communiter est incarnatus, vt in tex. quia opera Trinitatis sunt inseparabilia. S. August. in Enchir. cap. 38. & habetur in c. fin. de consecr. dist. 3. Et incarnatio est actus assumentis, qui procedit ex diuina virtute, quæ communis est tribus personis; sed terminus assumptionis est personę;& ideo id, quod est actionis in assumptione,commune est tribus personis; sed id, quod pertinet ad rationem termini, conuenit ita vni personæ, quod non alij; Tres enim personæ fecerunt, vt humana natura vniretur vni personæ filij; Dicitur autem tota natura diuina incarnata, non quia sit incarnata in omnibus personis;sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ personæ incarnatæ. S.Tho. in 3. par. quæst. 3. art. 4. Et cum in hoc cap. tractetur de articulis fidei, hic est notandum, quod post symbolum Apostolorum, quod est, Credo in Deum, &c. quatuor Concilia prodita fuerunt olim à Sanctis Patribus,de Summa Trinitate, & fide Catholica, contra quosdam hæreticos, qui de summa Trinitate, & fide Catholica perperam sentiebant;& in istis Concilijs fuerunt condemnati; de quibus Concilijs legitur dist. 15. cap. 1.& de fide Catholica legitur. dist. 23. cap. 2. Est & aliud symbolum maius, quod cantatur in Missa, in Nicena Synodo factum propter Græcos, qui non credebant, quod Spiritus sanctus procedat ab vtroque. Post illud,aliud symbolum S.Athanasij secutum est; scilicet, Quicumque vult saluus esse &c. Innocentius Tertius postea in Concilio Lateranensi condidit hoc cap. quod posset appellari quartum symbolum, in quo id, quod de summa Trinitate, &fide Catholica in prædictis symbolis, & Concilijs continetur, confirmatur, & repetitur. Abbas hic in princ.

§. VNA.

VNA verò est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur; in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini, veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina; vt ad perficiendum mysterium vnitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumq. successoribus Iesus Christus; Sacramentum verò Baptismi (quod ad Dei inuocationem, & indiuiduæ Trinitatis, videlicet, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam paruulis, quam adultis in forma Ecclesiæ.

clesia à quocunque ritè collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatũ, per veram potest semper pœnitentiam reparari. Non solum autem virgines, & continentes, verum etiam coniugati, per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

HÆC est secunda pars principalis huius cap. in qua tractatur de Sacramentis. Et primo de sacramento Eucharistiæ, & in ea interseritur etiam de sacramento Ordinis. Secundo tractat de sacramento Baptismi; ibi, Sacramentum. Tertio de sacramento Pœnitentiæ; ibi. Et si post. Quarto de sacramento Coniugij; ibi. Non solum; glos. hic. vers. vna. De sacramento autem Confirmationis, & de sacramento Extremę vnctionis, hic nihil dicitur; vnde hic tex. non assumpsit enumerare, & explicare omnia Ecclesiæ sacramenta, cum illa sint septem; vt per Conc. Trid. sess. 7. c. 1. de sacramentis in Genere. Et omnia sunt instituta ab ipso D. N. Iesu Christo d. Conc. ibidem, & S. Tho. in 3. par. quæst. 64. art. 2. Et habent virtutem ex eius passione. S. Tho. d. par. 3. quæst. 62. art. 5. Et conuenienter sunt septem. Nam sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianæ vitæ, & etiam in remediũ contra defectum peccati. Vtroq. autem modo conuenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut & cætera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. In vita autem corporali, dupliciter aliquis perficitur; vno modo quantum ad personam propriam, alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua viuit; quia homo naturaliter est animal sociale: Respectu autem suiipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter; vno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitæ perfectionem; alio modo per accidens, scilicet remouendo impedimenta vitæ, puta ægritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita, tripliciter. Primo quidem, per generationem, per quam homo incipit esse, & viuere, & loco huius in spirituali vita est Baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Tit. 3. per lauacrum regenerationis &c. Secundo per augumentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, & virtutem, & loco huius in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus sanctus ad robur; vnde dicitur discipulis iam Baptizatis. Luc. vlt. Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Tertio per nutritionem, qua conseruatur in homine vita, & virtus, & loco huius in vita spirituali est Eucharistia; vnde dicitur, Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; & hoc quidem sufficeret homini, si haberet, & corporaliter, & spi-

& spiritualiter impassibilem vitam; sed quia homo incurrit interdum, & corporalem infirmitatem, & spiritualem, scilicet, peccatum; ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate, quæ quidem est duplex; vna quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit, & loco huius in spirituali vita est pœnitentia, secundum illud Psal. 40. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per conuenientem diętam, & exercitium; & loco huius in spirituali vita est extrema vnctio, quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam: vnde dicitur Iac. 5. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem, dupliciter; vno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos; & loco huius in spirituali vita est sacramentum Ordinis, secundum illud Hebr. 7. Quòd Sacerdotes hostias offerunt, non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundò, quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium, tam in corporali, quàm in spirituali vita, eo quod non est solum Sacramentum, sed naturæ officium. Ex his etiam patet Sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam Baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis: Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur: Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum: Pœnitentia contra actuale peccatum post Baptismum commissum: Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia: Ordo contra dissolutionem multitudinis: Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam verò accipiunt numerum Sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum, & pœnalitatum, dicentes: quod fidei respondet Baptismus, & ordinatur contra culpam originalem: Spei Extrema vnctio, & ordinatur contra culpam venialem: Charitati Eucharistia, & ordinatur contra pęnalitatem malitiæ: Prudentiæ Ordo, & ordinatur contra ignorantiam: Iustitiæ Pęnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale: Temperantiæ Matrimonium, & ordinatur contra concupiscentiam: Fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem. S.Thom. in 3. par. q. 65. art. 1.

Cap. 2. Damnamus.

PATER, & Filius, & Spiritus sanctus, vera vnione, non collectiua, seu similitudinaria, sunt vna essentia, substantia, seu natura.

QVIA sanctissima Trinitas vna quędam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earundē, & ideo in Deo solummodo trinitas est, nō quaternitas; quia quælibet triū personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quod aliud inueniri non potest; vt in tex. & not. sup. in c. prox. Et sic collige verā, & Catholicam doctrinam circa essentiam Trinitatis; est enim vnica, & vera essentia, substantia, seu natura: vnde Pater non habet substantiam separatam à Filio, nec Filius à Patre, nec Spiritus sanctus à Patre, & Filio, nec per hoc concluditur quaternitas; quia quælibet illarum personarum est illa summa essentia, substantia, seu natura, vnde personæ non differunt à substantia, nec substantia differt à personis, vt in tex. Pone exemplum in igne, seu in lumine, in quo tria reperiuntur, videlicet, splendor, ignis, & calor; & licet vnicum sit lumen, diuersimode tamen operantur illa tria. Nam igni attribuitur vstio, splendori illuminatio, calori calefactio; sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt vna substantia, sed differunt in personis; ideo legitur, quòd Deus apparuit in igne. Abb. hic in princ. Deficit tamen quælibet similitudo creaturæ respectu creatoris, cum non posit inter creatorem, & creaturam tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda. vt in tex. & not. supra in c. proximo.

QVAE substantia non est generans, nec genita, nec procedens.

QVIA ista respectiua non attribuuntur substantiæ, sed personis; nec cadunt respectu essentiæ, qua essentialiter Deus est vnus, sed cadunt in personas, quæ sunt plures. S. Tho. 1. par. quæst. 40. art. 2. & Butrius hic nu. 4. Vnde Pater est, qui generat; & Filius, qui gignitur; & Spiritus sanctus, qui procedit, vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura. vt in tex. licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus; non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino, vt secundum orthodoxam, & Catholicam fidem, consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi, maius omnibus est. Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit, cum substantia Patris indiuisibilis sit, vt pote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioqui desijsset esse substantia. Patet ergo, quod sine vlla diminutione filius nascendo substantiam patris accepit; & ita pater, & filius habent eandem substantiam, & sic eadem res est Pater, & Filius, necnon & Spiritus sanctus ab vtroque procedens. vt in tex.

NEC

NEC per hoc in Trinitate concluditur quaternitas.

QVIA essentia à personis essentialiter non differt, vnde tres sunt personæ, & vna essentia, quæ non est aliud à personis, nec personæ aliud ab essentia, licet inter se sint differentes personaliter, nō essentialiter. vt in tex. & Butr. hic nu. 4. vbi ponit exemplū in numero ternario, in quo sunt tria, & sunt duo: & tamen non concluditur, quod sint quinque; quia illa duo sunt in tribus. vt not. in c. cum Ioannes. de fide Instru. Deficit tamen quęlibet similitudo creaturæ respectu creatoris, vt in tex. & not. est superius.

CONTRARIVM sentientes, vt hæretici sunt censendi, nisi ab errore resipiscant, & correctioni Apostolicæ Sedis se supponant.

QVIA tales errant contra ea, quæ fidei sunt. vt in tex. & qui pertinaciter errat, & dissentit ab Ecclesia Catholica circa ea, quæ sunt fidei, est hæreticus. S. Tho. 2. 2. q. 11. art. 2. Qui verò sententiam suam, quamuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ pręsumptionis pepererint, sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt: quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. c. dixit 24. q. 3. licet ille eorum error esset contra fidem. glos. 2. in d. c. dixit. & glos. fin. hic. Et hoc, quia hæresis Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi vnusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. c. hæresis. d. q. 24. art. 3. Qui autem resipiscit ab errore, & supponit se Apostolicæ Sedis correctioni, non habet electionem contradicentem doctrinæ Ecclesiæ. S. Thom. d. art. 2. Ideo licet erret, tamen si promptus sit ad emendationē, & ad se subijciendum correctioni Sedis Apostolicæ, non est hæreticus. c. hæc est fides. & ibi glos. ver. emendari. 24. q. 1. Large tamen quilibet errans in articulis fidei, dicitur hæreticus. glos. in c. schisma. ver. magis. 24. q. 1.

In Sexto. Cap. vnic. Fideli.

SPIRITVS sanctus æternaliter à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit.

QVIA Pater, & Filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio: vnde cum in hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponantur relatiue; sequitur, quod Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

Quidam tamen dicunt, hanc esse impropriam, Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti; quia cum hoc nomen principium singulariter acceptum, non significet personam, sed proprietatem, non potest cõuenienter dici, quod Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti, nisi vnum intelligatur quasi aduerbialiter positum, vt sit sensus, sunt vnum principium, id est, vno modo. Sed simili ratione posset dici pater duo principia, Filij, & Spiritus sancti, id est, duobus modis. Dicendum est ergo, quod licet hoc nomen principium significet proprietatem; tamen significat eam per modum substantiui; sicut hoc nomen pater, & filius etiam in rebus creatis: vnde numerum accipit à forma significata, sicut & alia substantiua. Sicut igitur Pater, & Filius sunt vnus Deus propter vnitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus, ita sunt vnũ principium Spiritus sancti propter vnitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium. S.Tho.in 1.par.q.36. art. 4. Et ex his confunditur error Græcorum dicentium, Spiritum sanctum à solo Patre procedere. Necesse est enim dicere, Spiritum sanctum etiam à Filio esse. Nam si non esset ab eo, nullo modo posset ab eo personaliter distingui. Non enim est possibile dicere, quòd secundum aliquid absolutum diuinæ personæ ab inuicem distinguantur; quia sequeretur, quod non esset trium vna essentia. Quicquid enim in diuinis absolutè dicitur, ad vnitatem essentiæ pertinet. Relinquitur ergo, quòd solum relationibus diuinæ personæ abinuicem distinguantur. Relationes autem personas distinguere non possunt, nisi secundum quod sunt oppositæ. Quod ex hoc patet, quia Pater habet duas relationes, quarum vna refertur ad Filium, & alia ad Spiritum sanctum, quæ tamen, quia non sunt oppositæ, non constituunt duas personas, sed ad vnam personã Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio, & in Spiritu sancto nõ esset inuenire, nisi duas relationes, quibus vterque refertur ad Patrem, illæ relationes non essent adinuicem oppositæ, sicut neque duæ relationes, quibus pater refertur ad illos: vnde sicut persona Patris est vna, ita sequeretur, quod persona Filij, & Spiritus sancti esset vna, habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris. Hoc autem est hæreticum, cum tollat fidem Trinitatis: oportet ergo, quod Filius, & Spiritus sanctus abinuicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt esse in diuinis aliæ relationes oppositæ, nisi relationes originis. Oppositæ autem relationes originis accipiuntur secundum principium, & secundum quod est à principio. Relinquitur ergo, quod necesse est dicere, vel Filium esse à Spiritu sancto (quod nullus dicit) vel Spiritum sanctum esse à Filio, quod nos confitemur, & huic quidem consonat ratio processionis vtriusque. Nam Filius procedit per modum intellectus, vt verbum; Spiritus sanctus autem per modum voluntatis, vt amor. Necesse est autem, quod amor à Verbo procedat: non enim aliquid amamus, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus; vnde & secundum hoc manifestum est,

est, quod Spiritus sanctus procedit à Filio. Ipse etiam ordo rerum hoc docet; nusquam enim hoc inuenimus, quod ab vno procedant plura absque ordine, nisi in illis solum, quæ materialiter differunt; sicut vnus faber producit multos cultellos materialiter abinuicem distinctos, nullum ordinem habentes adinuicem: Sed in rebus, in quibus non est sola materialis distinctio, semper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo: vnde etiam in ordine creaturarum productarum, decor diuinæ sapientiæ manifestatur. Si ergo ab vna persona Patris procedunt duæ personæ, scilicet, Filius, & Spiritus sanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum adinuicem; nec potest aliquis ordo alius assignari, nisi ordo naturæ, quo alius est ex alio: Non est igitur possibile dicere, quod Filius, & Spiritus sanctus sic procedant à Patre, quod neuter eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in eis materialem distinctionem; quod est impossibile: vnde etiam ipsi Græci processionem Spiritus sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum sanctum esse spiritum filij, & esse à Patre per Filium: & quidam eorum dicuntur concedere, quòd sit à Filio, vel profluat ab eo, non tamen quòd procedat; quod videtur, vel ex ignorantia, vel ex proteruia esse; quia si quis recte consideret, inueniet processionis verbum inter omnia, quæ ad originem qualemcunque pertinent, communissimum esse. Vtimur enim eo ad designandum qualemcunque originem; sicut quòd linea procedit à puncto, radius à sole, riuus à fonte, & similiter in quibuscunque alijs: vnde ex quocunque alio ad originem pertinente potest concludi, quod Spiritus sanctus procedit à Filio. S. Thom. 1. par. q. 36. art. 2. Græci autem contrarium sentientes, mouebantur auctoritate Euangelica. Ioan. 16. ibi: Spiritus sanctus, qui à Patre procedit. Item in Symbolo apud eos edito, simpliciter continetur: qui ex Patre procedit. Nos addimus, Filioque. Ad idem C. de sum. Trinit. l. 2. vbi dicitur, Spiritum sanctum, quem ex summo rerum parente speramus &c. Sed ad hoc, & similia respondetur, quòd expressio Patris non excludit Filium, imo potius includit, cū ipsorum opera inseparabilia sint. de consecr. dist. 3. c. fin. vnde cum Pater, & Filius sint vna essentia, substantia, seu natura, vt supra eod. c. firmiter. non potest ab vno solo procedere. glos. hic. ver. & filio. Nec sumus excommunicati, vt dicebant Græci, addendo in Symbolo, Filioque; quia illud est declarare, non addere. d. glos. hic. Fideli igitur, ac deuota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, nō duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedat. Hoc professa est hactenus, prædicauit, & docuit; hoc firmiter tenet, & prædicat, profitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium, & magistra; hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ verita-

veritatis ignorantiam, in errores varios sunt prolapsi. Ideo Gregorius X. Pont. Max. huiusmodi erroribus viam præcludere cupiens, sacro Lugdunensi approbante Concilio, damnat, & reprobat omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere, siue etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus sanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat. vt in tex.

In Clementinis. Cap. vnic. Fidei.

FATETUR concilium, vnicum Dei Filiũ in essentia Dei æternaliter subsistentem, verum corpus humanum assumpsisse de Virgine, & in eo passum, & iam mortuum, lancea perforatum.



QVIA Fidei Catholicæ fundamento, præter quod (teste Apostolo) nemo potest aliud ponere, hæc confessio vere, & firmiter inhæret. vt in tex. Filius enim Dei vnigenitus in diuinis est Patri coæternus. vnde inquit S. August. in libro de Fide ad Petrum. cap. 2. Genitus est à Patre Filius, & ideo alius; nec tamen ante fuit Pater, quam Filius; coæternæ enim sunt sibi tres personæ. Cum enim Dei Filius virtus, & sapientia Dei sit. vt ad Corinth. 1. cap. 1. Nec vnquam fuit Deus sine virtute, & sapientia. Dei ergo Filius est coæternus Deo Patri. & alias auctoritates colligit ad id Mag. sent. lib. 1. dist. 9. Ipse autem Filius verum corpus humanum assumpsit de Virgine: nam ipse fuit persona incarnata, & terminus assumptionis. vt not. supra eod. in cap. 1. Decretal. & S. Th. in 3. par. q. 3. art. 4. Et in eo passus, & mortuus est; non quia mortem senserit in quantum Deus est; sed quia caro ei vnita mortua est. S. August. in sermone de fide, qui est 3. in fer. 5. Cœnæ Domini. & S. Tho. in 3. par. q. 46. art. 12. In assumpta ergo natura humana, ipsum Dei Verbum pro omnium operanda salute, non solum affigi cruci, & in ea mori voluit; sed etiam emisso iam spiritu, perforari lancea sustinuit latus suum; vt exinde profluentibus vndis aquæ, & sanguinis, formaretur vnica, & immaculata, ac virgo sancta mater Ecclesia, coniunx Christi; sicut de latere primi hominis soporati, Eua sibi in coniugium est formata, vt sic certæ figuræ primi, & veteris Adæ (qui secundum Apostolum, est forma futuri) in nostro nouissimo Adam, id est, Christo, veritas responderet. vt in tex. & vide Magist. sent. lib. 3. dist. 2. & S. Thom. part. 3. q. 6. art. 3. & 4.

AP-

APPROBANS in hoc ordinem, quem tradidit Euangelista Ioannes.

QVIA ipse Ioannes est prægrandis illa Aquila, quā propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris Euangelicis transuolantem, ipse est Apostolus, & Euangelista, qui Sacramenti huius rem gestam narrans, & ordinem, in Euangelio suo dixit: Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuū, non fregerunt eius crura, sed vnus militū lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua; & qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis. vt in tex. Io. c. 19. Igitur Sum. Pont. Clem. V. ad tam præclarum testimonium, ac sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam, Apostolicę considerationis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) aciem conuertens, sacro Viennensi approbante Concilio, declarat prædictum Apostolum, & Euangelistam Ioannem, rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse; narrando, quòd Christo iam mortuo, vnus militum lancea latus eius aperuit. vt in tex.

§. Porrò.

REPROBAT & hæreticam iudicat doctrinam, quæ habet, quod substantia animæ rationalis, seu intellectiuæ verè, & per se humani corporis non sit forma.

QVIA illa doctrina est erronea, & inimica veritati Catholicæ fidei. vt in text. Est enim contra fidem incarnationis Christi, & contra fidem resurrectionis, vt probat glos. hic. ver. demonstrat. circa med. Sed si per rationes naturales potest demonstrari, quod anima rationalis est forma hominis, vt per Arist. in 3. lib. de anima. & per Platonem in libro de animi immortalitate. Cur hic statuitur, quòd ista determinatio sit de fide? Cum fides sit substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. vt per Apost. in Epist. ad Hebr. cap. 11.
Respondetur, quòd demonstrationes naturales, quæ fiunt de anima rationali, quod sit forma corporis, non sunt adeo claræ, quin sint tenentes oppositum, vel saltem erant ante hanc decisionem, vt patet per adducta hic in d. glos. ver. demonstrat. Ideo, vt cunctis nota sit fidei syncerę veritas, ac præcludatur vniuersis erroribus aditus, ne subintrent, hic Summus Pont. Clem. V. in Concilio Viennensi per hanc suam decretal. definiuit; quod, Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis, seu intellectiua non sit forma corporis humani, per se, & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus. vt in tex. Ex quo not. quod etiam de his, quæ possunt demonstrari, potest esse fides, & hoc quando non apparent manifestè, & quando sunt

do sunt rationes in oppositum, sicut in articulo; Vnum esse Deum. quod probatur rationibus naturalibus, vt per Arist. in 12. Methaphisicę, & tamen est articulus primus fidei. Zabar. hic. §. porrò. Et vide Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 8. in decreto incip. Apostolici regiminis. & S. Thom. par. 1. q. 76. art. 1. & ibi Caiet.

§. Ad hoc.

ASSERENS confitendum vnum baptisma, sicut vnum Deum & vnam fidem.

QVIA hi tres sunt de articulis fidei, qui ad salutem sunt ab omnibus confitendi. vt in text. Et de hac triplici vnitate habetur per Apost. in epist. ad Ephes. cap. 4.

APPROBAT opinionem, quæ habet per baptismum conferri etiam paruulis (quo ad habitum) informantem gratiam, & virtutes.

QVIA omnes quidem Christiani catholici credunt, quod baptisma celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sit tam adultis, quàm paruulis communiter perfectum remedium ad salutem. Verum, quia quantum ad effectum baptismi in paruulis repetiebantur Doctores Theologi opiniones contrarias habentes. Quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri. Alijs econtra asserentibus, quod & culpa eisdem in baptismo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur quo ad habitum, & si non pro illo tempore quo ad vsum. Iste autem Summus Pont. attendens, generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis; opinionē secundam, quæ dicit, tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro Viennensi approbante Concilio, duxit eligendam. vt in tex. Opiniones authem Theologorum, qui in hoc contrariè sentiebant, & eorum rationes late referuntur hic per glos. penult. Sed quoniam hic Summus Pont. approbauit opinionem secundam, illam hodie sequi tenemur. glos. fin. hic. Et pro hac vide Theolog. in lib. 4. sent. dist. 4. & S. Thom. part. 3. q. 69. art. 6.

Tit.

Titulus 2. in Decretal.

DE CONSTITVTIONIBVS

Cap. 1. Canonum.

IVRIS canonici statuta omnes ligant.



QVIA Papæ conditori canonum, Vicario Christi, subdita est omnis creatura, de necessitate salutis. cap. vnam sanctam de maior. & obedien. in Extrauag. commun. & Innocentius hic. Petro enim, & in Petro etiam eius successoribus dictum est à Domino: Quodcunque ligaueris. & c. Matth. cap. 16. Et: Pasce oues meas. Ioan. cap. 21. Ideo vbi Papa intendit per suas constitutiones aliquos obligare, illi, tanquam subditi, debent leges superioris obseruare. glos. hic. ver. ab omnibus. Quicunque enim potestati subiecti sunt, subduntur legi, quam fert illa potestas. S. Tho. in 1. 2. q. 96. art. 5. & Speculator de constitut. nu. 5.

ET eorum ritu tam in pronuntiando, quam in decidendo, iudicia sunt regulanda.

QVIA omnis Iudex debet custodire leges sui superioris, & secundum eas proferre sententias. Authent. de iudicib. §. fin. coll. 6. & glos. fin. hic. Potest tamen ex causa pœnam temperare, & etiam exacerbare. Compostell. hic. Et hoc est verum in criminalibus, sed in ciuilibus non habet arbitrium, etiam pro modica iniustitia, aliquid præter legem iudicandi. Bald. hic nu. 5.

Cap. 2 Cognoscentes.

CONSTITVTIO respicit futura, & non præterita.

QVIA res, quæ culpa caret, damnũ afferre nõ debet, vt in tex. Ideo cum ante constitutionẽ quis non sit in culpa per contrauentionẽ alicuius legis, non debet pati detrimentũ in actibus præteritis, per constitutionem postea subsecutam. vt in tex. Vnde intellige, nisi sit constitutio respiciens ius naturale, quæ etiam extenditur ad præterita. c. cum tu. de vsur. & glos. fin. infra eod. c. fin. Et nisi propter bonum publicum caueatur in lege, vt etiam ad præterita extendatur. c. fin. infra eod. Illud enim transgredi, semper est peccatum. c. erit autem lex dist. 4. Et in hoc potest princeps statuere, vt commune bonum anteferatur priuato. c. mutationes. 7. q. 1. Cõstitutio autem publicata omnes ligat post duos

menses à die publicationis.glos.fin.hic. Sed illam scientes obligat etiam ante duos menses. Butr. hic nu. 16. Vt autem lex virtutem suam obtineat obligandi, necessaria est promulgatio, per quam ad notitiam illorum reducatur, qui legi subijciuntur.S.Thõ.in 1.2.q.90.art.4.

Cap. 3. Translato.

POTESTAS legem condendi, & mutandi, est penes Vicarium Christi.

QVIA ex quo in Vicarium Christi, scilicet, Petrũ, & eius successores, est translatum sacerdotium, per cõsequens fuit translata etiã potestas legis condendæ, vt in tex.& Cõpostell.hic. Vbi enim duo se inuicẽ sunt cõnexa, ad positionem vnius sequitur alterũ.Butr.hic nu.2.Et quoniã lex, & sacerdotiũ sunt connexa propter idem principium causæ efficiẽtis, quia sunt ab eodẽ; propter simultatẽ originis, quia simul ambo orta sunt; propter similitudinem formalis dispositionis, quia sub eadem sponsione data sunt.vt in tex.& Butr d. nu. 2. Ideo ex quo ad Christianos est translatum sacerdotium, etiam legis fuit translatio facta. vt in tex.& glos.hic.ver.simul. Per alias etiam rationes potest probari, quòd potestas condendi legem sit penes Papam, vt per Abb.hic nu.1.

ET quod de vno connexorũ statuitur, ad aliud cõnexum extenditur.

QVIA vbi est eadem ratio, ibi debet esse idem ius.l.illud.ff.ad leg. Aquil.Et quoniam de connexis est eadem ratio.glos.fin.hic.Ideo quod de vno dicitur, necesse est, vt de altero intelligatur. vt in tex. & c. inter.ver.sicut ergo.de trans.Episc.

Cap. 4. Nam concupiscentiam.

OMNE probibitum à lege, peccatum est.

QVIA lex proditur, vt appetitus noxius sub iuris regula limitetur. vt supra in proœmio Decretal. & Plato in dialogo 1. de legibus. Vnde omnis lex debet esse rationabilis, & honesta. c. erit autem lex.dist.4. Et quoniam peccatum est contra rationem.vt not. Caiet. in 1.2.S.Th.q.71.art.6. Ideo quod fit contra legem, fit contra rationabile præceptum superioris, & sic est peccatum. Caiet. d.art. 6. vnde Apost. inquit. Lex peccatum est? absit; sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Ad Rom cap.7. Quod intellige, quando lex est præceptiua, & in re graui. Butr.hic in fin.& not.in c.2. de maior. & obed. In exhortatorijs

rijs enim, & in re leui, non præsumitur superiorem voluisse obligare ad peccatum. Butr. ibidem. & Abb. nu. 2.

ET omne illud, quod sequitur ex eo.

QVIA accessorium sequitur naturam sui principalis. c. accessoriũ. de reg. iur. in 6. Ideo si principale est malum, etiam accessoriũ, quod adhæret illi, & oritur ex illo, erit tale. glos. hic. ver. vnde. & ver. oriuntur.

Cap. 5. Ne innitaris.

CONSTITVTIONES decretorum, singularibus sunt opinionibus præferendæ.

QVIA constitutiones decretorum sunt dicta Sanctorum, & Romanorum Pontificum, & decreta quædam Conciliorum, docto ordine compilata in libro Decreti; & licet non fuerit à Summis Pontificibus statutum, vt contenta in libro illo habeant vim legis; liber tamen ille est ab Ecclesia approbatus, & propter sanctitatem, & auctoritatem illorum scriptorum, censentur dicta rationabilia, & de consilio sequenda. Francus in c. 1. nu. 9. de reb. eccl. non alien. in 6. & Abb. in c. 2. in fin. de rescript. Ideo non debet quis præsumere plus de sua opinione, quàm de illa tam grauium auctorum, cum scriptum sit per Salomonem in Parabolis: Ne innitaris prudentiæ tuæ, ne sis sapiens apud temetipsum. vt in tex. Prudentiæ autem suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit. vt in tex. & S. Hieronym. in d. parabola Salom. cap. 3.

Cap. 6. Cum omnes.

ABSQVE rationabili causa, non potest maior pars capituli tollere consuetudinem, vtilitatem priuatam nutriendo.

QVIA transgressor consuetudinis, vt transgressor legis est coercendus, & simili pœna afficiendus. c. in his. dist. 11. & ibi glos. Cum consuetudo sit ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. Et quoniam non potest Capitulum sine consensu Episcopi aliquid immutare de concernentibus statum Ecclesiæ. c. fin. de his, quæ fiunt à mai. par. cap. Ideo si maior pars capituli vellet ad proprium commodum, tollere consuetudinem Ecclesiæ, diceretur illius esse transgressor. Compostell. hic. Si verò consuetudo esset irrationabilis, tunc maior pars Capituli illam tollere posset: nam non diceretur ve-

hire contra consuetudinem, sed ex rationabili causa extirpare corruptelam c. cum venerabilis. de consuetud. Et tunc contra illam etiam statuere posset, cum quodlibet licitum Collegium possit statuta facere super his, quæ ad se spectant.l.1.§.2.ff.quod cuiusque vniuer.& Compostell.hic. Sed quod maior pars statuit pro se, debet intelligi statutum etiam pro alia parte minori; cum Capitulum sit vnum corpus, quod non debet duplici iure censeri. cap. cognouimus. 12. q. 2. Sed in ipsos debet habere locum Sapientis illa auctoritas: Patere legem, quam tu ipse tuleris. vt in tex. Et lex illa: Quod quisque iuris in alium statuerit, eodem iure ipse vtatur ff.quod quisque iur. l.1. Lex enim debet esse iusta, honesta, & communis omnibus. cap. erit autem lex. dist. 4. Tunc autem maior pars Capituli potest statuere, quando agitur principaliter de rebus concernentibus ipsum Capitulum; nam in tali casu maior pars representat totum Capitulum c.1.de his, quæ fiunt à mai.par. cap. Sed quando agitur principaliter de interesse particulari, tunc requiritur consensus omnium. Compostell. hic in fin. In tali enim casu, quod omnes tāgit, ab omnibus est approbandū. c.quod omnes.de reg.iur.in 6.

Cap. 7. Quæ in Ecclesiarum.

CONSTITVTIO laicorum ecclesiam, seu eius bona non adstringit.

QVIA laici nullam habent iurisdictionem disponendi super rebus, & personis ecclesiasticis; cum in talibus maneat eos obsequendi necessitas, non auctoritas imperandi.c.bene. dist. 96. & not.in c.fin.de reb.eccl. non alien. Ideo si aliquid circa talia statuerint, non tenet. Abb.hic nu. 1. Cum statutum excedens fines potestatis statuentium, sit ipso iure nullum.c.vt animarum.infr.eod.in 6. & l.fin.ff.de iurisdict.omn.iudic. Et latius de hoc habetur in c. Ecclesia sanctæ Mariæ. infra eod.

Cap. 8. Cum accessissent.

DIGNITAS sublata de Ecclesia per statutum Capituli confirmatum per Papam, vlterius non censetur vacare.

QVIA licet Capitulum non possit aliquid statuere circa concernentia statum Ecclesiæ sine Episcopo, cum quo faciunt vnum corpus, cuius Episcopus est caput, & ipsi Canonici sunt membra. vt not. supra in c.cum omnes. & glos.in c.2.ver.statutum. de verb.sign.in 6. & sic tale statutum Capituli erat nullum.glos.hic.ver.confirmatum. Tamen ex quo illud statutum erat confirmatum per Papam ex certa scientia, reddi-

redditur validum; non ex actu statuentium, sed ex auctoritate confirmantis, qui inutile reddit vtile, & ex infirmo facit firmum. d. glos. hic. & argum. c. fin. & ibi glos. ver. consensum. 16. q. 1. Si verò confirmatio non fuisset ex certa scientia, sed conditionalis sub verbis generalibus, scilicet, confirmamus, sicut iustè possides; tunc non redderetur illud statutum validum. d. glos. hic. cum talis confirmatio modicum, vel nihil operetur. c. 1. de confir. vtil. vel inutil.

NISI per contrarium actum, statutum fuerit reuocatum.

QVIA si ille, qui impetrauit priuilegium, directè contrauenit priuilegio perdit illud, etiam per vnicum actum tantum. c. pro illorum. infra de præb. & glos. hic. ver. contrauenerint. Ideo Canonici contraueniendo, videntur confirmationi renunciasse; quod facere potuerunt, ex quo istud statutum tendebat in eorum commodum particulare; nam si tenderet in fauorem Ecclesiæ, non possent Canonici per vnicum actum illi præiudicare; sed requireretur ad præiudicandum Ecclesiæ legitima præscriptio. Abb. hic nu. 7. & Compostell. col. fin.

Cap. 9. Cum M. Ferrariensis.

NON obstante certo Canonicorum numero, etiam per Papam confirmato, prouidendum est receptis vltra numerum, de superexcrescentibus fructibus.

QVIA non est congruum vt præbenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus. c. relatum. de præbend. cum secūdum Apostolum, qui altari seruit, de altari viuere debeat. c. cum secundum. d. tit. de præb. Ideo ex quo isti fuerunt recepti in Canonicos, si non possunt habere de præbendis antiquis, debent habere de modernis, quæ ex fructibus de nouo auctis possunt assignari. glos. hic. ver. cum integritate. Confirmatio autem facta per Papam de certo numero, intelligitur habere in se clausulam, nisi reditus Ecclesiæ in tantum crescant, quod pluribus sufficiant. Abb. hic num. 4. Vnde tunc augumentatis facultatibus Ecclesiæ, debet numerus Canonicorum augumentari; & sic antiqua constitutio tolli. glos. hic. ver. industriam. Tot enim sunt ponendi in Ecclesijs, quot ex earum fructibus possunt competenter sustentari. c. 1. de institut. & not. infra eod. in c. ex parte.



MA-

MAXIME si voluntariè per Canonicos fuerint recepti.

QVIA Canonici sibi præiudicarunt, illos recipiendo. glos. hic. ver. industriam. Qui enim vult antecedens, censetur velle etiam consequens. argum. c. præterea. de offic. deleg. & Decius in c. pastoralis. §. verum. de appellat. Nam de connexis est idem iudicium. vt not. supr. eod. in c. translato. Ideo isti Canonici recipiendo illos ad canonias, & seruitia Ecclesiæ, censentur etiam voluisse eis prouidere, vnde viuere possint. Abb. hic nu. 14. & 15.

Cap. 10. Ecclesia sanctæ Mariæ.

STATVTVM generale laicorum, ad Ecclesias, vel ecclesiasticas personas, vel earum bona, in earum praiudicium non extenditur.

QVIA statutum assumit vires à potestate statuentium. c. à nobis. il 1. de sent. excom. & not. in c. quæ in Ecclesiarum. supra eod. Et quoniam nullus Princeps sæcularis, nec etiam Imperator, habet potestatem super Ecclesijs, vel earum bonis, vel personis ecclesiasticis. vt in tex. & c. si Imperator. dist. 96. Ideo nullus laicus potest super rebus ecclesiasticis statuere. vt in tex. & Abb. hic nu. 10. vnde not. Innocentius in c. 1. de reb. eccl. non alien. in 6. quod solemnitas introducta per Imperatorem in alienatione rei Ecclesiæ, de qua habetur in Authent. hoc ius porrectum. C. de sacr. san. eccl. non est seruanda necessario, quia non potuit Imperator statuere hanc solemnitatem. argum. c. similiter. 16. q. 1. Et pro hoc facit ratio generalis huius tex. vbi dicitur, quod super talibus nulla est laicis tributa facultas, cum in istis maneat eos necessitas obsequendi, non auctoritas imperandi. Præterea ex obseruantia illarum legum denotaretur quædam superioritas imperij ad Ecclesiam, ex qua confunderetur ordo totius monarchiæ. argument. c. singula. & c. ad hoc. dist. 89. Ideo non potest Imperator in talibus imponere legem, nec mittere manum in messem alienam. cap. venerabilem. de elec. Tamen quando lex laicorum est mere priuilegiatiua, potest teneri, quia tunc cessat ratio superioritatis, cum quis possit esse priuilegiatus, quamuis non sit subditus. c. super specula. de priuil. & sic potest intelligi. c. nouit. de iudic. vbi allegatur lex Theodosij Imperatoris. Et dic, quod vbi lex laicorum esset fundata super ratione naturali, potest iudex ecclesiasticus illam seruare, non ratione legis, sed ratione naturali. ad hoc l. scire. §. consequens. ff de excusat. tut. Deficiente enim lege, recurrendum est ad rationem naturalem. vt in d. l. scire. & glos. in c. consuetudo. ver. ratione. distin. 1. Et sic sunt intelligendæ auctoritates illæ, quæ dicunt leges

ges ciuiles esse seruandas, quando canonibus non contradicunt. Abb. hic.num. 10.

NEC speciale.

QVIA si lex Principis non valet super Ecclesijs, & personis ecclesiasticis, ac eorum bonis, vt superius dictum est; fortius non valebit statutum inferiorum, quod specifice super talibus disponat, ex maiori defectu potestatis. Abb. hic. nu. 20. Si enim quod videtur magis inesse, nō inest; nec id qđ minus videtur inesse, inerit. c. de iudicijs 3. q. 3.

ETIAM si earum commodum, & fauorem concernat.

QVIA etiam ex tali statuto denotaretur quædam superioritas disponendi aliquo pacto super Ecclesijs, personis ecclesiasticis, & earum bonis, vt de lege generali Principis, superius not. Et quoniam laicis nulla est tributa facultas super his disponendi. vt in tex. Ideo etiam tale fauorabile laicorum statutum nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. vt in tex. Et per Ecclesiam ad quam spectat illud approbare, intelligitur Papa, caput Ecclesiæ vniuersalis, non autem Episcopus loci. Butrius hic num. 5.

Cap. 11. Ex litteris.

POENA simpliciter apposità propter contumaciam, in dubiò intelligitur temporalis, & non perpetua.

QVIA in pœnis benignior interpretatio est facienda, vt illę potius restringantur, quam dilatentur, cum sint odiosæ. c. in pœnis. de reg. iur. in 6. Et quoniam ista pœna simpliciter apposita, potest intelligi ratione locutionis tam de temporali, quàm de perpetua. glos. hic. ver. in perpetuum. Ideo de temporali, quæ est benignior, non autem de perpetua, quæ est grauior, venit intelligenda. vt in tex. & d. glos. hic. Præterea circa pœnæ interpretationem consideranda est culpa, propter quam pęna illa imponitur. d. glos. hic. Cum pęna debeat esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Vt si culpa exigit pęnam perpetuā, pęna inflicta intelligatur esse perpetua; si verò exigit temporalem, pęna apposita intelligatur esse temporalis. Butr. hic nu. 17. Et quoniam contumacià sæpe purgatur. d. glos. hic. Ideò conueniens est, vt cum satisfactionem congruam contumax exhibuerit, restitutionem obtineat; & ita quòd pœna sit temporalis. vt in tex. Et hanc interpretationem tam ius canonicum, quàm consuetudo sequuntur. vt in tex. Ideo etiam senten-

sententiæ, & statuta secundum hanc interpretandi formam sunt intelligenda. Bald. hic num. 14.

Cap. 12. Ex parte.

NON possunt Canonici sine causa restringere numerum Canonicorum, seu præbendarum.

QVIA remouendo ministros ab Ecclesia, cultus diuinus diminuitur. c. ad hæc. de præb. Et quoniam potius est curandum, vt cultus diuinus augumentetur, quàm diminuatur. vt in tex. Ideo vbi potest solitus ministrorum numerus in Ecclesia sustentari, aliqui eorum non sunt remouendi. glos. hic. ver. diminui. Si verò fructus essent diminuti ita, vt non possent ibi tot personæ sustineri, possent Canonici ex hac causa rationabili, ministrorum, & præbendarum numerum restringere; dummodo hoc faciant cum auctoritate Episcopi. Abb. hic nu. 2. Nam sine Episcopo non possunt Canonici Ecclesiæ statum immutare, vt dictum est superius in c. cum accessissent. Et causa ista esset rationabilis restringendi numerum; cum in Ecclesijs tot sint instituendi, quot possunt de illarum bonis competenter sustentari. c. 1. de institut. & cap. quoniam. de vita, & honest. cler. & supra eod. in c. cum M. Ferrariensis.

Cap. 13. Quoniam.

CONSTITVTIO futura respicit, non præterita.

QVIA res, quæ culpa caret, damnum afferre non debet. vt in c. cognoscentes. supra eod. Et quoniam ante constitutionem, quis non est in culpa propter illius transgressionem. vt in d. c. cognoscentes. Ideo leges, & constitutiones futuris dant formam negotijs, non autem ad præterita facta trahuntur. vt in tex. Constitutio tamen iuris naturalis, vel diuini declaratiua extenditur ad præterita. glos. fin. hic. & not. supra in d. c. cognoscentes. quia ille, qui declarat, nihil de nouo inducit. l. hæredes. §. 2. ff. de testam. & glos. in c. vnic. ver. & filio. de summa Trinit. & fid. cath. in 6. Vnde tunc potius ligat ius antiquum naturale, vel diuinum, quam noua constitutio declaratiua illorum. Abb. hic nu. 7.

NISI in ea de præteritis caueatur.

QVIA lex assumit vires à potestate statuentis. c. à nobis il 1. de sent. excom. & not. supra in c. Ecclesia sanctæ Mariæ. Vnde sicut Princeps, qui condit legem, potest ex causa tollere ius alteri quæsitum. vt not. Abb. in c. quæ in Ecclesiarum. nu. 11. supra eod. Ita potest

hoc fa-

hoc facere per legem, quæ est omnibus communis, & pro publica vtilitate edita.c.erit autem lex.dist. 4. Ideo si in constitutione nominatim de præteritis caueatur, ad illa extenditur. vt in tex. licet per eam ius alteri auferatur, cum ex causa rationali Princeps hoc possit. vt dictum est superius. & not. Abb. hic num. 9.

In Sexto. Cap. I. Licet Romanus.

NOVA constitutio Principis tollit primam contrariam.

QVIA duo contraria simul esse non possunt. Arist. 5. Metaphisic. cap. de opposit. Ideo cum non possint simul esse lex prior, & lex posterior contraria illi, locum habet illa regula; vt vltima derogent prioribus. l. pacta nouissima. C. de pact. Frustratoria enim esset ista noua lex, nisi priorem contrariam reuocaret. glos. 1. & glos. ver. singularium. hic.

QVAMVIS id non exprimat.

QVIA Princeps omnia iura in scrinio sui pectoris censetur habere. vt in tex. & l. omnium. C. de testam. Et hanc iurium cognitionem censetur habere propter sapientes, & consiliarios sibi assistentes, qui dicuntur pars corporis ipsius Principis. glos. 1. hic. Ideo cum præsumatur habere notitiam prioris constitutionis contrariæ, condendo suã, tollit illam, quæ simul stare non potest, quamuis id non exprimat; cum ea, quæ tacitè insunt, pro expressis habeantur. l. cum quid. ff. si cert. pet. & l. hæredes. ff. quando dies leg. ced.

SPECIALES consuetudines, & statuta rationabilia non tollit, nisi id exprimat.

QVIA consuetudines, & statuta locorum, sunt quid facti, & in facto consistunt. vt in text. Ideo potest Princeps ea probabiliter ignorare. vt in tex. Et quoniam ea, quæ ignorat, non censetur Princeps tollere velle. glos. hic. ver. facti. Nec ista specialia reddunt frustratoriã suam constitutionem, cum possit illa obseruari in cæteris locis, licet non obseruetur in locis istis particularibus. glos. hic. ver. singularium. Ideo nisi expresse in constitutione caueatur, per eam non intelligitur rationabili consuetudini alicuius loci, vel statuto derogare. vt in tex. Quando autem consuetudo, vel statutum dicantur esse rationabilia, necne, pertinet ad iudicem arbitrari, cum de hoc certa regula non possil tradi. glos. hic. ver. rationabilia. & Hostien. in summa. de consuetud. §. quid sit consuetudo.

Cap. 2. Vt animarum.

STATVTA ordinariorum non ligant probabiliter ignorantes.

QVIA res, quæ culpa caret, damnum afferre non debet. vt dictum est superius in c.cognoscentes. Et quoniam probabiliter ignorantes statuta, non sunt in culpa. glos. hic. ver. ignorantes. & Gemin. num. 4. Ideo si non sit ignorantia crassa, aut supina, ignorantes excusantur, vt non incurrant pœnam statuti. vt in tex. Non autem quis excusatur sic ab ignorantia constitutionis generalis. glos. hic. ver. statuta. quia constitutiones canonum, vel legum, ab omnibus sciri, & custodiri debent. c. 1. extr. eod. Et cum sunt publicata per deputatum à Principe, intelliguntur intimata omnibus. vt not. in d. c. 1. Saltem post duos menses à die publicationis. c. 2. extr. eod. Non autem sic intelliguntur omnibus intimata statuta; cum non sint generalia vbique ex defectu auctoritatis in statuente. c. à nobis. il 1. extr. de sent. excomm. Vnde extra territorium statuentis non ligant. vt in tex. Et ideo si aliquis ibi accedit ex alio territorio, iustam habet causam ignorantiæ, quam non potest quis habere in lege generali principis, quæ extenditur vbique. glos. in d. c. à nobis. ver. non nisi.

STATVTVM Episcopi extra suam diœcesim, subditum non ligat.

QVIA lex assumit vigorem à potestate statuentis. vt not. supr. in c. Ecclesia sanctæ Mariæ. Et quoniam extra suum territorium Episcopus non habet iurisdictionem. c. si quisquam. 11. q. 1. & glos. fin. in c. nouit. extr. de offic. legat. vbi d. glos. declarat, quod hoc habet locum in his, quæ sunt contentiosæ iurisdictionis, qualis est illa, quæ exercetur per statuta, non autem in ijs, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, qualis est collatio beneficiorum. Ideo ista potest exerceri extra diœcesim, non autem illa. d. glos. & ibi per eam adducta. Et sic extra territorium ius dicenti, non paretur impunè. vt in tex. Vnde vt statutum aliquem liget, duo requiruntur, scilicet, quod statuens habeat iurisdictionem in loco vbi dirigitur virtus statuti; & quod persona sit sibi subiecta, saltem ratione causæ, propter quam vult illam ligare. Geminian. hic num. 18.

Liber

Liber Primus. Titulus Tertius.

DE RESCRIPTIS.

In Decretal. Cap. 1. Sicut.

PRIVILEGIO generali secundum ius commune obtento, obstat rescriptum speciale.



VIA per illud priuilegium generale, nihil conceditur, præter ius commune. sed indulgetur ad cautelam, quia solet timeri plus, quàm ius commune. glos. 1. hic. in fin. Et improprie dicitur priuilegium. Abb. hic nu. 7. Nam priuilegium proprie dicitur lex priuata. c. priuilegia. dist. 3. Vnde, cum illud sit ius generale, & rescriptum sit ius speciale, habet locum illa regula, vt generi per speciem derogetur. vt in tex. & c. generi de reg. iur. in 6. Priuilegio autem speciali non obstat posterius rescriptum speciale, nisi faciat de illo mentionem. c. cæterum. infra eod. quia Princeps censetur ignorare ea, quæ specialia sunt, cum in facto consistant. c. 1. de constitut. in 6. Et quoniam contra ea, quæ ignorat Princeps, non censetur facere gratiam. d. c. 1. Sed in tali casu secundum priuilegium, siue rescriptum censetur subreptitiè, & per importunitatem obtentum. Abb. hic nu. 15. Ideo secundus iste præcator, tanquã mendax, debet carere impetratis. c. super. infr. eod.

ETIAM de eo mentionem non faciens.

QVIA cum illud priuilegium generale contineat idem, quod ius commune. vt superius not. Princeps censetur de illo habere notitiam; cum omnia iura generalia præsumatur in scrinio sui pectoris habere. vt in d. c. 1. de constit. in 6. Ideo istud secundum rescriptum videtur concessum in præiudicium illius priuilegij generalis, ex certa scientia Principis, qui sicut de iure communi mentionem facere non tenetur; ita nec de priuilegio, quod solum ius commune continet. Innocentius hic. num. 3.

Cap. 2. Ex parte. il 1.

IN rescripto Apostolico subintelligitur clausula, si preces veritate nitantur.

QVIA rescriptum sumit vires à concessione Principis rescribentis. vt not. in c. si quando. infra eod. Princeps autem non cense-

tur concedere ea, quæ ignorat. vt supra in c. proxim. præsertim, quando concessio tenderet in præiudicium tertij, cui Princeps non præsumitur velle ius auferre. c. rescripta. 25. q. 2. Et quoniam ea, quæ consistunt in facto, & specialia sunt, præsumuntur à Principe ignorata, vt supra in c. prox. Ideo non præsumitur, Principem habere notitiam de facto in tali rescripto contento, nisi secundum narrationem ibi factam, & vltra eius notitiam, & consensum, non est gratia extendenda. d. c. 1. de const. in 6. Vnde si preces veritate non nitantur, sed malitiose sit aliquid tacitum, vel expressum, vt Princeps facilius concederet tale rescriptum; mendax ille precator debet carere impetratis. c. super. infra eod. & cap. dicenti. 25. quæst. 2.

ET si rescriptum probibet causæ cognitionem, est de falsitate suspectum.

QVIA quod totius negotij cognitionem tollit, & vires principalis negotij exhaurit, sine graui partis alterius dispendio conuelli non potest. l. quoties. C. de precib. imper. offer. Et quoniam Princeps non intendit per suum rescriptum alteri graue præiudicium afferre. c. rescripta. 25. q. 2. licet modicam læsionem per suum rescriptum, non sit graue, si alteri faciat. glos. 2. in d. c. rescripta. Ideo si rescriptum prohibet causæ cognitionem, per quam prohibitionem alteri parti graue præiudicium nasceretur, rescriptum illud non censetur à Principe emanasse. vt in tex. Et precator ille esset remittendus ad Sedem Apostolicam puniendus. c. ad falsariorum. infra de crimin. fals.

Cap. 3. Cæterum.

SI in secundo rescripto per aduersarium impetrato, non fiat mentio de primo, valet primum, & non secundum.

QVIA Huiusmodi secundum rescriptum fuit impetratum, tacita ea veritate, quam si Princeps sciuisset, non ita de facili istud secundum rescriptum concessisset. vt in tex. Et per istam suppressionem veritatis, fit rescriptum subreptitium. cap. super. infra eodem. Et quoniam rescriptum subreptitium nullius roboris obtinet firmitatem. vt in tex. Ideo cum secundum rescriptum sit nullum, primum, quod erat validum, remanet in suo robore. vt in tex. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? l. sancimus. C. de testamen.

ALIAS valet secundum.

QVIA cum istud secundum non sit, tacita veritate, impetratum. vt in tex. apparet in eo de voluntaria Principis concessione, à qua rescri-

reſcriptum accipit vires. vt ſupra in cap. prox. Et quoniam primum reſcriptum non poteſt ſimul ſtare cum ſecundo ei contrario. vt not. ſupra in c. 1. de conſtit. in 6. Ideo in eis habet locum illa regula, vt vltima derogent prioribus. l. pacta nouiſsima. C. de pact.

ET ſi primum fuit impetratum communi conſenſu partium, non valet ſecundum impetratum per alteram partem, hoc tacito.

QVIA omne tacitum, quo expreſſo Princeps non tam facilè dediſſet litteras, reddit reſcriptum ſubreptitium. c ſuper. & c, poſtulaſti. infra eod. Et quoniam ſi Princeps ſciuiſſet primum reſcriptum impetratum de communi conſenſu partium, non dediſſet ſecundum, ſaltem ita de facili; quia non debet dari iudex ad petitionem alterius partis tantum. l. obſeruandum. ff. de iudic. Ideo ſecundum reſcriptum, tanquam ſubreptitium, in tali caſu nullius eſt roboris. vt in tex. An autem ſit nullum ipſo iure, vel annullandum ope exceptionis, ita quòd valeat proceſſus ſecundi iudicis, niſi excipiatur, ſunt diuerſæ opiniones. Compoſtell. tenet hic, quod ſit ipſo iure nullum, & præcipuè per iſtum tex. qui dicit, quòd ſecundæ litteræ non obtinent alicuius roboris firmitatem; nam cum tex. loquatur per verba præſentis temporis, videtur, quod nullitas ſurgat ipſo iure; & ad hoc facit, quod not. gloſ. in reg. in pœnis. de reg. iur. in 6. & not. in l. in criminali. C. de iuriſd. omn. iud. Sed communis opinio Innoc. Hoſt. Goffr. & aliorum eſt, quod non ſit nullum ipſo iure, ſed annullandum ope exceptionis; ita quòd per tale reſcriptū detur iuriſdictio, & valeat proceſſus ſecundi iudicis, ſi contra per alteram partem non excipiatur. & pro hac opinione præcipuè faciunt. c. ſi autem. & c. plerunque. infra eod. In quibus patet, quod ſi primus impetrans, dolo, vel negligentia, vti poſtpoſuit ſuo reſcripto intra annum, poterit conueniri auctoritate ſecundi reſcripti; & ſic ſecundum à principio non fuit nullum; quia ſi fuiſſet nullum, non potuiſſet conualeſcere ex negligentia primi impetrantis; nam quod à principio eſt nullum, tractu temporis non conualeſcit. cap. non firmatur. de reg. iur. in 6. Et ad iſtum textum, & ſimilia iura, quæ videntur obſtare huic opinioni, dicunt, quòd ſecundum dicitur nullum in effectu; nam id, quod poteſt annullari, poteſt dici largo modo nullum. vt eſt bonus tex. in l. ſi dari ſtipuler. ff. de verb. oblig. & not. Abb. hic. Vtrum autem iudex delegatus debeat deputari ad inſtantiam vtriuſque partis; iſta decretalis videtur facere pro, & contra. Nam in Principio iudex fuit deputatus ad inſtantiam vnius partis tantum; in fine verò loquitur, quando fuit deputatus communi conſenſu; ſed diſtinguendo conclude ſic, quod aut vtraque pars eſt præſens coram ſuperiore, & tunc non debet ſuperior dare iudicem ad petitionem vnius tantum. d. l. obſeruandum. ff. de iudic. Aut vna pars eſt abſens, & alia eſt præſens, & tunc de ſtylo curiæ eſt, vt

est, vt detur iudex ad petitionem vnius partis, salua alteri parti facultate recusandi iudicem ex causa rationabili.vt in c.causam quæ. il 2. & c. insinuante. de offic. deleg. Et si præsens petit apponi aliquam clausulam in præiudicium absentis,de stylo curiæ est,si aduersarius dicitur esse in curia,vt fiat citatio saltem per edictum generale . vt not. Doct.in c.cum olim de re iudic. Aut vtraque pars est præsens , sed non concordant in iudicem,& communis stylus est, vt quælibet pars eligat vnum , & curia tertium ; & hæc not.glos.in d.l.obseruandum.& Abb.hic.

Cap.4. Inter cæteras.

SI Papa mandat in rescripto,de duobus inquiri alternatiue,ad certum effectum consequendum,sufficit alterum probare .

QVIA in alternatiuis electio est debitoris , vt quod velit de duobus,vel pluribus alternatiue mandatis, pro adimpletione mandati vnum illorum adimplere possit. c. in alternatiuis. de reg.iur. in 6. Alternatiua enim disiungit vnam rem ab alia, cum eius verba sint, vel, aut,siue,& similia. Abb hic. Ideo vbi aliqua mandantur sub huiusmodi verbis disiunctiuis,censetur positum à mandante in potestate illius, cui dirigitur mandatum,vtrum vnum , vel alterum illorum , quæ mandantur,velit adimpleri,aut probet esse adimpletum.Abb.hic. Et qui facit , quod debet,vlterius non tenetur.c.quod debetur.& c.quisquis.14.q.1.

Cap. 5. Si quando .

IS , ad quem Papa rescriptum dirigitur,debet illi parere .

QVIA Papæ rescriptum continet eius mandatum. vt in tex. Et iusto superioris mandato quilibet parere debet.c.si quis.& c.omnes.de maior. & obed.

VEL causam rationabilem assignare,quare parere non potest .

QVIA quandoque propter nimiam importunitatem petentium , Princeps non concedenda concedit.c.si aliquando.de senten. excom.& glos.hic.ver.qualitatem . Vnde si Principis concesio sit iniusta , præsumitur obtenta propter nimiam petentium importunitatem,& non valet.glos.in d.c.si aliquando. ver. occupationem . Et sicut subditus iusto superioris mandato parere debet . vt superius not. Ita si est notorie iniustum , & continet aliquid contra præcepta Dei , non est illi obediendum.c.si dominus.& cap. si Iulianus.11.q.3. Non enim contem-

tem-

temnit subditus in tali casu superioris potestatem; sed eligit Deo seruire, cui potius est obediendum, quam homini. cap. qui resistit. d. 11. q.3. Vbi autem dubitatur, an praeceptum superioris sit iustum, eo quod prima fronte deuiat ab honestate, vel ex eius executione praesumitur scandalum venire in ciuitate, etiam in tali casu non tenetur subditus ei immediate parere. Abb.hic nu.2. sed potest allegare causam, quare parere non debeat, illam scribendo Principi, & ab eo expectare secundam iussionem.vt in tex. & in Authent. de mand.princip. §. deinde competens. Nec dicitur in hoc casu inobediens principi, quia hoc facit auctoritate legis. glos.in d.auth.ver.nuncians.& Abb.hic. Princeps autem patienter sustinebit, quod non fuerit executum illud, quod ei fuit praua insinuatione suggestum. vt in tex. & notat glos.hic.ver. rationabilem, quantae efficaciae sit, reddere rationem, postquam Princeps contra suum mandatum iam factum quiescit ad dictũ sui subditi rationẽ adducentis.

Cap. 6. Cum ordinem.

CISTERCIENSES sunt priuilegiati, quòd non possunt conueniri per rescriptum Papae, nisi in eo fiat mentio de eorum ordine.

QVIA Papa volens fauere his religiosis, concessit eis tale priuilegium, per quod dedit formam rescriptis futuris contra eos. Butr. hic nu.7. Et quoniam priuilegia non sunt violanda, etiam indirectè. c. quanto. de priuileg. Ideo si fuerit contra tales priuilegiatos impetratum rescriptum, de illo priuilegio non faciens mentionem, rescriptum est subreptitium, & nullius roboris, cum sit obtentum, tacita ea veritate, quae erat necessario exprimenda. c. super litteris. infr. eod.

Cap.7. Eam te.

SI Sede vacante scribitur Capitulo, vt gerenti vices Episcopi, vt praebendam alicui conferat; si creatur Episcopus, nondum executo mandato, & ad eum spectet collatio praebendarum, illud adimplere tenetur.

QVIA hoc mandatum fuit scriptum Capitulo, non tanquam executori, vel ordinario collatori, vel vt succedenti in ius Episcopi; sed tanquam gerenti vices ipsius Episcopi in iurisdictionalibus, & cui commodius, quàm alijs, poterat hoc dari mandatum; Capitulum enim licet non succedat Episcopo in potestate conferendi, succedit tamen ei in iurisdictionalibus, & in illis gerit vices Episcopi. Innocentius hic nu. 4. &

4.& Butr.nu.5.& sequen. Vnde cum mandatum in effectu fuerit factum potestati Episcopi,& iurisdictioni Episcopali, ita quod Capitulum contulisset, non auctoritate propria, sed tanquam gerens in hoc auctoritate Papæ, vices Episcopi; ideo creato Episcopo, debet ipse mandatum illud adimplere, cum in Capitulo cessauerit iurisdictio illa,& in Episcopo reperiatur, ratione cuius fuerat mandatum illud Capitulo scriptum. Abb.hic nu.14.

Cap.8. Ad aures.

NON valet rescriptum impetratum ad beneficia, si in eo tacetur dignitas impetrantis.

QVIA ad validitatem rescripti requiritur.vt in precibus porrectis sit facta mentio de omnibus,quæ possent inducere Principem ad non concedendum,vel ad non ita facilè concedendum.c.postulasti.& c.super litteris. infra eod. Et quoniam dignitas impetrantis posset retinere Papam à concesione beneficij,non solum maioris,sed etiam minoris; cum Papa non intendat, vt personæ pluribus redditibus abundantes,super minoribus beneficijs pauperes clericos inquietent. vt in tex. Ideo rescriptum huiusmodi fuit subreptitiè obtentum, & nullius est firmitatis. vt in tex. & d.c. postulasti. Quæ autem sint in impetratione beneficij necessario exprimenda, late not. hic Abb. De alijs beneficijs obtentis,quamuis minimis,est mentio facienda,aliàs gratia est nulla.c.si motu.de præb.in 6. De nobilitate,& diuitijs impetrantis, non est necessario facienda mentio,cum hoc non caueatur in iure.Io.Andr.hic. De qualitate autem beneficij impetrandi est facienda mentio, vbi illa qualitas est notabilis. Et primo est facienda mentio de cura animarũ, quam illud beneficium habet.c.cum in illis.de præb.in 6. Item de qualitate residentiæ,si beneficium residentiam requirit.arg.cap.fin. de cleric. non resid. Item est facienda mentio, si illud beneficium sit dignitas.arg. huius tex. De ordine annexo beneficio non est necessario facienda mentio.tex.videtur in c.ei cui.de præb.in 6.& tenet Io.Cal.in c.in nostra. infr. eod. De quantitate valoris est dubium: nam nullibi expresse probatur, quod impetrans teneatur facere mentionem de valore beneficij, de quo vide glos.in Clem.1.ver.vel alteri.de præb. & Dominos de Rota decis.172. aliàs est 81. vbi dicunt Papam Vrbanum Tertium explicasse, non valere gratiam, nisi fiat mentio de valore beneficij impetrandi, & obtenti. Et hodie ita communiter seruatur; tamen facilior est illa clausula, quod non excedit valorem tantæ quantitatis; nam periculosum est, quod quis se adstringat ad certum valorem, & onus probandi incumbit impetranti. vt not.Abb.in c. fin. de præsumpt. In argumentũ tamen pro,& contra,potest induci tex.in c.cum adeo. infra eod. & cap.

cum

cum teneamur. de præb. Tenet tamen hic Abb. quod circunscripto stylo curiæ, non sit de iure veteri necessarium facere mentionem de quantitate valoris; quia beneficium debet principaliter conferri propter spiritualia: temporalia autem veniunt accessoriè ad spiritualia; sed quia hodie sæpe accipiuntur beneficia propter temporalia, ideo fuit ordinatum, & de stylo curiæ introductum, vt fiat mentio de valore; quæ prouisio est vtilis: nam dispensatio temporalium non est cuique committenda, sed secundum qualitatem personæ debet cõmitti; vnde talis est aptus ad habendum tenue, qui est omnino ineptus ad habendum beneficium pingue; & sic quantitas redditiũ posset Principem subtrahere à concessione gratiæ; & ob id ad euitandum vitiũ subreptionis, videtur necessarium, vt fiat ista expresſio valoris. arg. c. postulasti. infr. eod. & hoc procedit, vbi ad instantiam fit gratia; si verò fiat motu proprio, tunc est magis dubium: nam motus proprius excludit subreptionẽ. c. si motu. de præb. in 6. & Clem. si Romanus eod. tit. Contrariũ tamen videtur magis verum; quia motus proprius non operatur circa intrinsecas qualitates beneficij; vnde si Papa concedit beneficium motu proprio, & non facit mentionẽ, quod est curatum, gratia non valet; non ex defectu subreptionis, sed quia non apparet de Principis voluntate. arg. c. cum in illis. & c. is cui. de præb. in 6. Nec valet gratia, si beneficiũ est de iurepatronatus alicuius, & de illo nõ fiat mentio, ex eadem ratione, quod Papa non expresſit hanc intrinsecam beneficij qualitatem, & non exprimendo, non censetur velle alicui præiudicare. Abb. hic nu. 4. & seq.

Cap. 9. Si autem.

VALET secundum rescriptum impetratum ab aduersario, licet non faciat mentionem de primo, si primus impetrans, dolo, vel negligentia non fuit vsus illo.

QVIA licet regulariter, si in secundo rescripto per aduersarium impetrato non fiat mentio de primo, valeat primum, & non secũdum. c. cęterum. sup. eod. Tamen quoniam secundum non est nullum ipso iure, sed ope exceptionis venit annullandũ. vt not. in d. c. cæterum. Ideo iura voluerunt in odium illius, qui per annum, dolo, vel negligentia, non est vsus primo, vt ipse non possit excipere contra secundum, in hoc, quod non fecerit mentionem de primo; & sic quo ad hoc fuit statutum, vt valeat, ac si de primo illam mentionem fecisset. glos. 1. & 2. hic. & cap. plerunque. infr. eod. Iura autem, quæ dicunt, quod rescriptum perpetuo durat. vt in l. falso. C. de diuers. rescript. intelliguntur, nisi duo concurrant in contrarium, scilicet, nouella impetratio, & anni cursus. Bald. hic nu. 2. Sufficit tamen sola citatio facta per primum intra annum ad perpetuandum eius rescriptum, & excludendum secundum. Butr. hic nu. 7. Sed si intra annum non fuerit facta saltem citatio, præsumitur negligentia. d. c. plerunque. Dolus autem probatur ex côiectu-

ris,cum consistat in animo. l.dolum. C. de dolo. Et idem dic in rescriptis impetratis ad beneficia,vt sint perpetua.Abb.hic nu.4. Sed si detur negligentia impetratoris,& impetratio alterius sit contraria; tunc extinguitur gratia primi. vt habetur in c.tibi,qui. de rescript. in 6.& c. si clericus.de præb.eod.lib.

Cap. 10. Ad hæc.

NON valent rescripta, per quæ incerti iudices dantur.

QVIA si impetrans posset suo arbitrio eligere iudices, ad illos decurreret,qui sibi propitij, & parti aduersæ contrarij essent. vt in tex. Et quoniam per hoc quis cogeret partem aduersam coram suspecto iudice litigare,quod tanquã iustitiæ contrarium, non est faciendum.c.cum speciali. de appell. Suspectorum enim iudicum insidias declinare,& inimicorum iudicium refugere,naturale est. vt not. Specul.in rubr.de offic.iud.deleg. Ideo ad euitandum istud grauamen, quod posset alteri parti inferri,statuitur, vt non valeat impetratio de iudice incerto,sed quod illius nomen sit per impetrantem exprimendum. vt in tex.& glos. ver. elegerint.

VEL futura negotia committuntur.

QVIA per commissionem tam generalem, nimium absorberetur iurisdictio ordinarij. glos.hic.ver.elegerint. Et quoniam ordinariæ potestati enormiter præiudicare Papa non intendit.c.peruenit.11.q.1. Super omnibus verò negotijs præsentibus tantum ad vnum iudicem impetrare rescriptum, vt parcatur litium sumptibus, est commendabile.c.dispendia. eod. in 6. Nec in tali casu ita præiudicatur potestati ordinariæ, sicut præiudicaretur per commissionem negotiorum, quæ essent futura.d.glos.hic. Ideo prohibetur illa nimis generalis commissio futurorum, non autem prohibetur præsentium. Butr.hic num.7. posset tamen Papa concedere rescriptum etiam super omnibus futuris, si vellet; sed non est de stylo curiæ,& non præsumitur velle; vnde tale rescriptum esset de falsitate suspectum. d.glos.hic. Respectu verò diuersarum personarum, & generaliter, bene delegantur omnia negotia præsentia, & futura, sicut fit officiali foraneo Episcopi; sed talis iudex est tunc quasi ordinarius,& fit pro vtilitate reipublicæ, vt illi loco non desit iudex.Abb.hic nu.6.

Cap. 11. Ad audientiam.

FALSA latinitas vitiat rescriptum Papæ.

QVIA rescriptum Papæ transit per multas manus, & magna maturitate decoquitur.c.apostolicæ.& ibi glos.1.35.q.9. Et quoniã non est verisimile,quod aliquis illorum non viderit falsam latinitatem, & quod illam non emendauerit. glos.hic. Ideo si rescripium habet falsam

sam latinitatem, præsumitur non emanasse à Papa, sed esse falsificatum ab alijs.d.glos.hic. Testamenta verò, & contractus, cum transeant per manus vnius Notarij tantum, per aliquam falsam latinitatem non redduntur inualida. Butr.hic. Sed ad hoc vt falsa latinitas vitiet rescriptum Papæ, illa debet esse manifesta, nec sufficit quod sit dubitabilis, & si posset saluari per figuram, non vitiaretur rescriptum. Abb.hic nu.2.

Cap. 12. Ex parte, il 2.

CONTRA secundum rescriptum non potest opponi de taciturnitate primi impetrati per appellantem, de sua appellatione non habita mentione.

QVIA primæ litteræ non valuerunt, ex eo, quod appellans non fecit mentionem de appellatione sua, cui non potuit renunciare, cum res non esset integra propter prosecutionem illius. Abb. hic nu.10.& Butr.nu. 14. Vnde primæ litteræ fuerunt subreptitiæ, cum id tacuerint, quod erat necessario exprimendum.c.postulasti.infra eod. Et quoniam de litteris subreptitijs, & ideo nullius roboris, non est necesse facere mentionem in secundis.c.ex tenore.& ibi glos.1.infr. eod.& glos.in c.cum litteris.ver.de facto.de concess. præb. Generaliter enim vbicunque possunt primæ elidi per exceptionem, valent secundæ, licet non faciant mentionem de primis.d.glos.in d.c.ex tenore.& Abb. antiquus hic. Ideo secundum rescriptum fuit bene impetratum. vt in tex.& Abb.hic in fin.

Cap.13. Sciscitatus.

RESCRIPTVM, quo scribitur pluribus cum clausula (quod si non omnes, &c.) intelligitur tam de impotentia facti, quã iuris.

QVIA nomen, & effectus impotentiæ generaliter comprehendit tam impotentiam facti, quàm iuris. vt in tex.& not.in c. prudentiam.de offic.deleg. Et quoniam nomen generaliter prolatum, generaliter est accipiendum.c.solitæ.& ibi glos.fin.de maior. & obed. Ideo rescriptum, in quo scribitur, si non omnes posint simul interesse, vnus, aut plures, quibus scribitur, nihilominus exequantur, verificatur tam de impotentia facti, quàm iuris. vt in tex.& d.c.prudentiam.

Cap. 14. Pastoralis.

IN quæstione reuocationis rescriptorum recurritur ad arbitros, si iudices in cognitione sibi non deferant, nec inuicem concordent.

QVIA per huiusmodi rescripta, tam primi, quam secundi iudices habent à Principe super causa eis delegata, & illius accessoribus,

cognoscendi iurisdictionem.vt not.supra in c. si autem. licet iurisdictio illius iudicis,qui fuit per subreptionem obtentus,sit elidibilis per exceptionem. Compostell.hic.ver. deferendum. Vnde ad ipsos iudices spectabat cognoscere, cuiusnam eorum esset valida commissio facta. c.super litteris.infra eod.& Abb.hic nu. 1. Sed ex quo ipsi iudices non concordant in cognitione iurisdictionis, & per superiorem est prouidendum,vt lites amputentur, & ne partes coram diuersis iudicibus vexentur,ac vt processuum cõtrarietates euitentur.c.finem. de dolo, & contum.& l.3. C.de fruct.& lit.expens. Ideo ad hæc incommoda euitanda, in casu huius discordiæ plurium iudicum, conceditur partibus, vt possint arbitros eligere,per quos terminetur, an primi, vel secundi iudices habeant validam iurisdictionem procedendi. vt in tex.& glos.1. & ver. sopiatur. Et si per arbitros adhuc non possit quæstio decidi, ad Papam rescribentem,erit recurrendum. per not.in c.fin. de offic. deleg. & not.Abb.hic num.4.

§.Quoniam.

PER generalem clausulam positam in rescripto, delegatus ante expressionem personarum,vel rerum,iurisdictionem habet in habitu, & non in actu.

QVIA in causis delegatis iurisdictio datur à delegante, sed specificatio,& expressio super quibus delegatur,& contra quos; fit ab ipso litigante: exercitium autem procedendi in causa nascitur ab vtroque coniunctim. Bald. hic ver.potestatem. Ideo si causa fuerit commissa sub huiusmodi forma, videlicet,causam, quàm talis aduersus talem,& quosdam alios,super hoc,& quibusdam alijs, se habere proponit, tibi duximus committendam; delegatus per huiusmodi rescriptum generale recipit iurisdictionem in causa super exprimendis, ab ipso Principe rescribente; sed quoniam Princeps non expressit, sed se retulit ad expressionem faciendam ab ipsa parte litigante. Ideo antequam sit expressio facta,habetur iurisdictio in habitu,& non in actu.vt in tex. & glos.fin.hic.

ET speciales litteræ derogant litteris generalibus super non specificatis in eis,quanquam de illis nullam faciant mentionem.

QVIA rescriptum recipit vires ab intentione Principis rescribentis.c. ad aures. supra eod. Et quoniam intentio rescribentis per speciales litteras satis apparet ea esse,vt velit derogare litteris generalibus super specialiter expressis in ipsis litteris specialibus, licet de litteris generalibus nullam faciant mentionem.vt in tex. Ideo in huiusmodi litteris habet locum illa regula; quòd generali per speciale

dero-

derogatur. vt in tex. & quod vltima derogant prioribus. l.pacta. C. de pact.& not.in c.cæterum.supra eod.

Cap. 15. Sedes.

PER generalem clausulam (quidam alij , & res aliæ) multitudo effrenata non includitur,nec persona,nec res maiores expressis ; sed pares,vel minores.

QVIA sæpe eueniebat, quod aliqui in eorum supplicationibus ad sedem Apostolicam, malitiose exprimebant quasdam personas, & res viles, adijciendo postea istam clausulam, quosdam alios, & res alias, sub quibus verbis postea in iudicijs declarabant, se voluisse comprehendere personas, & res maiores expressis, contra quas non ita facile obtinuissent rescriptũ.vt in tex.& glos.ver. maiores. Et quoniã dolus,& fraus alicui patrocinari non debent.vt in tex.Ideo ad obuiandum istorum fraudibus,statuitur,vt sub illis verbis generalibus,nec personæ, nec res maiores expressis includantur.vt in tex. nec multitudo effrenata,quæ hodie est restricta,vt non excedat per illa verba,quatuor personas,c.cum in multis.eod. in 6. Et si quis fraudulenter expresserit personas maiores,non vt velit contendere cum illis,sed vt possit deuenire ad pares,vel minores,rescriptum, tanquam subreptitium,est inualidum, & mendax iste precator debet carere impetratis. vt in text. Cum etiam in tali casu deprehendatur fraus, quæ alicui patrocinari non debet, vt in tex. & not.supr.in c.ad aures.

Cap. 16. Ex tenore.

QVI contra vnum super eodem ad diuersos iudices diuersa rescripta impetrat,& eis vtitur,perdit commodum vtriusque.

QVIA ista diuersa rescripta censentur fraudulenter impetrata ad fatigandam partem coram pluribus iudicibus.vt in tex.& c.fin. infra eod. Et quoniam fraus,& dolus alicui patrocinari non debent. vt in tex.& supra c.prox. Ideo ad obuiandum istis fraudibus,& in pœnam talium,qui huiusmodi fraudem committunt, istæ litteræ rescriptorum irritantur,licet aliàs essent validæ. Abb. hic num.4. Si verò talis impetrans non vtatur vtrisque rescriptis; nec illa malitiosè impetrauit, sed ad cautelam; puta, quia timebat perdere vnum rescriptum, vel timebat aliquos mori,valent litteræ: sed postquam cœpit agere per alteras, reliquæ non valẽt; & si agere attentaret, perderet vtrasque. glos.1.hic. Causam tamen principalem super qua sunt huiusmodi rescripta impetrata,per hoc non perderet,sed solum perderet litteras, & condemnaretur in expensis.glos.fin.hic.

Cap.

Cap. 17. Cum adeo.

NON valet rescriptum ad beneficium impetratum, de beneficio impetrantis non faciens mentionem.

QVIA talis impetrans censetur fraudulenter tacuisse aliud beneficium, quod habebat, quantuncunque exiguum, vt citius, & facilius impetraret rescriptum ad aliud beneficium. c. si proponente. & ibi glos. 1. infr. eod. & c. si motu. de præb. in 6. Et quoniã ea, quæ in fraudem fiunt, vitiant rescriptum, & imputantur. c. sedes. supra eod. Ideo talis fraudulenter, & subreptitiè impetrans, debet carere impetratis. c. super litteris. infra eod. & d. glos. in d. c. si proponente.

Cap. 18. Causam, quæ.

ORDO rescripti interpretationem recipit à iure communi.

QVIA rescriptum conceditur ad iuris communis obseruantiam, nec debet aliquid continere contra ius, nam tunc esset priuilegium. vt in c. 1. ver. noscatur. de constitut. in 6. Ideo vt rescriptum non operetur contra suam naturam, debet ita, & taliter intelligi, vt non obuiet à iure communi. Abb. hic nu. 1. & hoc intellige, quando verba id patiuntur. Abb. hic. Nam vbi nulla esset ambiguitas, cessat illa communis interpretatio. l. ille. §. cum in verbis. de leg. 3.

Cap. 19. Constitutus.

NON valet impetratio in Ecclesia numerata, non facta de numero mentione, si per eam frangitur numerus Canonicorum.

QVIA rationabile est, vt in Ecclesia numerus Canonicorum sit certus, & institutus iuxta Ecclesiæ facultates. c. quoniam. de vit. & honest. cler. & auth. vt determ. sit num. cler. col. 1. Vnde litteræ, quę non faciunt mentionẽ de tali numero, qui per illas veniret frangendus, sunt impetratæ, tacita ea veritate, quam si orator expressisset, non præsumitur, quòd litteras illas obtinuisset. Innoc. hic nu. 2. Ideo gratia illa subreptitie impetrata, nullius est validitatis. c. proxim. infr. & c. cum adeo. supra eod.

LICET non frangatur numerus præbendarum.

QVIA præbenda est annexa canonicatui. c. si quis obiecerit. 1. q. 3. nam non est congruum, vt præbenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus. c. relatum. de præbend. Et quoniam de connexis idem est iudicium. c. translato. de constitut. Ideo subreptio commissa in

cano-

canonicatu, vitiat gratiam, etiam quo ad præbendam. Abb. hic num. 6. Licet enim quis possit esse Canonicus sub expectatione præbendæ. c. dilectus. de præb. & ideo quo ad præbendam non videatur impetratio ista subreptitia, ex quo non mandabatur, vt præbenda simpliciter conferretur de præsenti; sed si vacaret, vel esset de proximo vacatura, & sic per hoc nullum præiudicium fiebat numero præbendarum; cum talis impetrans deberet subrogari in locum defuncti. Abb. hic num. 5. Tamen quia subreptio erat respectu canonicatus, ad quem mandabatur recipi de præsenti, & non poterat sine fractione numeri, quod non fuit expressum; ideo gratia vitiatur etiam quo ad præbendam, quam propter canonicatum ille esset consecuturus. vt dictum est superius. & not. Abb. d. num. 5.

ET processus inde factus est nullus.

QVIA iurisdictio formandi processum, & facultas prouidendi de canonicatu, simul continebantur in eisdem litteris. vt in tex. vnde facultas, & iurisdictio ista, erant accessoria ad gratiam de canonicatu. Abb. hic nu. 5. Et quoniam accessorium sequitur naturam sui principalis. c. accessorium. de reg. iur. in 6. Ideo subreptio, quæ vitiat gratiam principalem, vitiat etiam iurisdictionem, & facultatem, quæ pro illa gratia dantur. Abb. d. nu. 5. Et cum non sit valida iurisdictio, non erit validus etiam processus ab illa dependens. gloss. fin. in c. ad audientiam. infr. eod.

Cap. 20. Super litteris.

EXPRIMENS falsum, vel tacens verum in rescripto, si malitiosè, caret prorsus impetratis.

QVIA rescriptum sumit vires à voluntate principis rescribentis. c. ad aures. supra eod. Et quoniam ea, quæ particularia sunt, & in facto consistunt, potest princeps probabiliter ignorare. c. 1. de constit. in 6. Ideo non potest de eius voluntate in rescriptis præsumi, nisi secundum narrata. c. ex parte. il 1. supra eod. Errans enim in facto, non consentit in illud. S. Th. 1. 2. q. 76. art. 3. & l. nihil consensui. ff. de reg. iur. Et sic si non fuerit verum narratum, princeps non consensit in gratiam; sed quia aliquando malitiose, aliquando per simplicitatem tacetur verum, vel exprimitur falsum. vt in tex. Et quia peccans per malitiam, grauius peccat. S. Thom. 1. 2. q. 78. art. 4. & pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. & in eo debet quis præcipuè puniri, in quo peccauit. c. litteras. de temp. ordin. Ideo contra malitiosum istum impetrantem, non solum decernitur, vt gratia non valeat in illis, in quibus est mentitus, sed in eius pœnam statuitur, vt etiã in alijs, in quibus verũ expresit, si in eisdem litteris contineantur, nullum commodum consequatur, vt in tex.

SED

SED si per simplicitatem, vel ignorantiam, aut obtinuisset, vero suppresso, & expresso falso, saltem litteras in forma communi, delegatus procedit, seruato iuris ordine.

QVIA ea, quæ non mouent Principem ad facilius concedendum, siue sint tacita, siue expressa, non vitiant rescriptum, quo ad vitiū obreptionis, vel subreptionis. vt in tex. & not. in c. ad aures. supra eod. Et quoniam si istud verum non fuisset suppressum, vel falsum istud expressum, nihilominus Papa dedisset huiusmodi litteras in forma communi. vt in tex. & facit c. dicenti. §. præscriptione. 25. q. 2. Ideo ex quo constat de intentione superioris, & impetrans non fuit in malitia, & expressa, vel tacita, quamuis falsa, non releuant; eius simplicitati est parcendum. glos. hic. ver. simplicitatem.

ET non speciali forma rescripti.

QVIA ex quo subreptio fuit causa obtinendi specialem formam, vitiat prorsus illam formam; sed remanet potentia quo ad modum procedendi secundum ius commune, id est ipsa iurisdictio, quam nihilominus Princeps dedisset; & vt actus potius valeat, quam pereat, intelligitur data, cum subreptio non fuerit causa concessionis. Abb. hic nu. 3. Ideo iudex ille delegatus habet iurisdictionem procedendi, non sequendo formam in ipsis litteris appositam, sed iuris ordinem seruando, vt in tex.

SECVS, si nullo modo litteras habuisset.

QVIA quando obreptio, vel subreptio sunt causa concessionis rescripti, vitiant gratiam, & reddunt inualidam iurisdictionem cōcessam, vt not. supra in c. prox. Et quoniam si nullo modo habuisset rescriptum, nisi secundum narrata, sequitur, quod narratio ista fuerit causa concessionis. vt in tex. Ideo rescriptum est inualidum ex parte concedentis, qui non præstitit consensum in illud, & ex parte impetrantis, qui verum nōn expressit. Abb. hic nu. 3. Noua autem forma impetrandi rescripta, fuit Pientini illius, qui de anno 1605. porrexit supplicationem Serenissimo Ferdinando Magno Hetruriæ Duci, in qua, pagina extensa tenuē gratiam pro sua famula petebat; pagina verò parum ex lateribus implicata, sub remanentibus verbis maiora pro se exposcebat; ex vi enim rescripti non debuisset obtinere gratiam, nisi pro famula, de qua Princeps intendebat; sed propter inuentionis subtilitatem, meritò à principis magnanimitate, qui subscripserat supplicationem, reportauit vtramque.

Cap.

Cap.21. Edoceri.

IN causa monasterij conuenitur Abbas per rescriptum, in quo nulla fit mentio de conuentu.

QVIA tota potestas monasterij est penes Abbatem.c. nullam. 18. q.2.& ita pertinet ad eum, quod non ad monachos.glos.in d.cap. nullam. vnde Abbas ex officio suo tenetur congregationum suarum negotia procurare. vt in tex. Et quoniam quicunque habet administrationem, potest agere,& conueniri sine consensu alterius.c. cum deputati.de iudic.& l.fin.ff.quod cuiusque vni. Ideo in causa monasterij non est necesse exprimere alium, quam Abbatem. vt in tex. Nomine enim prælati intelligitur Ecclesia,& nomine Ecclesiæ prælatus. glos.hic. ver. teneantur. Cum vnus eorum intelligatur esse in altero.c.scire. 7.q.1. & l.ciuibus. ff.de reb. dub. Excipe tamen à prædictis, quando negotia sunt ardua; nam tunc de consensu Abbatis, & monachorum, talia debent promoueri. c.si quis. de reb.eccl. non alien. Similiter excipe, quando Abbatis,& conuentus negotia essent omnino discreta. vt in tex. nam tunc non tenetur vnus eorũ respondere, nisi de parte sua; cum rescripta non extendantur ad res, vel ad personas in eis non comprehensas. glos. fin.hic. Rescripta enim sunt strictè intelligenda.c.sedes. supra eod. & c. cum olim. §. quia. de offic. deleg. Sed licet valeat rescriptum impetratum contra solum prælatum super causa communi ipsi,& conuentui. vt in tex. Curia tamen non dat de facili rescriptum super rebus communibus contra prælatum, quin faciat mentionem de conuentu. Gul. de Monte Lauduno in Clem.1.eod.tit.

NEC propter hoc appellari potest.

QVIA talis appellatio esset irrationabilis.vt in tex. Per eam enim impedirentur sæpe negotia monasterij, & fieret ab illis, quibus à iure non est permissa.d.c.nullam.18.q.2. Appellatio autem, quæ fit sine rationabili causa,& ab illis, quibus non est permissa, tanquam inualida, nõn est admittenda.c.vt debitus.de appell.

NISI abbatis,& conuentus bona essent distincta omnino.

QVIA licet de iure communi, inter Abbatem,& monachos, omnia debeant esse communia. c. cum ad monasterium. de statu regul. Et rerum dispensatio debeat esse penes Abbatem. vt not. superius. De iure tamen speciali, puta ex consuetudine, vel statuto ex rationabili causa facto, bona monasterij possunt inter Abbatem, & conuentum esse diuisa, vt aliqua pertineant ad mensam Abbatis, aliqua ad mensam monacho rum. Abb. hic num.2. Et quoniam rescripta non extenduntur ad res, & personas in eis non comprehensas, vt dictum est superius; Ideo

F in tali

in tali casu sub rescripto impetrato contra Abbatem, non tenentur monachi de eorum rebus respondere. vt in tex. Ex diuersis enim non fit illatio.l.Papinianus.ff.de minor.

Cap. 22. Cum dilecta.

PROCESSVS factus per litteras subreptitias, irritatur.

QVIA per litteras subrepritie impetratas datur iurisdictio, quæ non est ipso iure nulla, sed ope exceptionis potest annullari. vt not.in c.cæterum.supra eod.& Butr.hic nu.10. Et quoniam illud, quod non est ipso iure nullum, sed per exceptionem, ad instantiam partis annullatur, dicitur irritari. vt not. in c.cum inter.de re iudic. Ideo iurisdictio, quæ fuit per rescriptum subreptitiũ concessa, irritatur.vt in tex.& c.constitutus.supr.eod. Et quoniã processus, qui dependet ab illa iurisdictione, tanquam accessorium debet sequi naturã illius. c.accessorium.de reg.iur.in 6.Ideo irritata iurisdictione, irritatur etiã processus. vt in text.De connexis enim idem est iudicium. c. translato. de constitut. Si autem pars non opponat, & non excipiat de subreptione, processus ille tenet.arg.huius tex. quia pars illa videtur renunciare suo iuri,& quiescere illis litteris. Abb. hic num. 6. Fuerunt enim concessæ ab illo, qui poterat illas dare; & ideo non tractatur de præiudicio iurisdictionis superioris; sed quia fuerunt impetratæ subreptitie contra interesse partis; ideo dependet ab ipsa parte, an velit illas reijcere, vel acceptare.vt not.in d.c.cæterum.

SED factus contra formam rescripti, irritus nunciatur.

QVIA forma est illa, quæ dat esse rei.l.Iulianus. §. sed & si quis.ff. ad exhiben.& Arist.1.de anima.text.53. Et quoniam iurisdictio datur tali iudici per illam formam rescripti.c.super litteris.supr. eod. Ideo si ipse non seruat illam formam, venit contra substantiam suæ iurisdictionis, & sic tam illa, quàm processus ab illa dependens, est ipso iure nullus,& per sententiam non annullatur, sed nullum esse nunciatur.glos.hic.ver.irritum.& Abb.num.4.

Cap. 23. Plerunque.

VALET secundum rescriptum, licet de primo non faciat mentionem, quo vti noluit impetrans intra annum.

QVIA huiusmodi secundum rescriptum subreptitie impetratum, non est ipso iure nullum, sed potest ad instantiam partis annullari.vt not.supra in c. prox. Sed quoniam illa pars, vel ex malitia, vel ex negligentia, non est vsa primo suo rescripto intra annum; & ideo ei est imputandum; cum non sit malitijs hominum indulgendum

dum.vt in tex.Ideo in eius pœnam statuitur, vt postea non possit excipere contra secundũ.vt in tex.& c.si autem.supra eod. Et hoc procedit, quando secundus per simplicitatem, vel ignorantiã non fecit mentionẽ de primo rescripto: nam si dolosè tacuisset, nõ debet audiri etiam post anni lapsum; sed debet carere omni commodo litterarum, quas dolosè per mendacium impetrauit. argum.c. super litteris. supra eod. Immo quando secundus fuit in dolo, debet valere potius rescriptum primum, quàm secundum; quia primus impetrans reperitur in culpa in non vtendo; secundus verò est in dolo, principi obripiendo; dolus autem præponderat culpæ. l. item si obstetrix. ff. ad leg. Aquil. Quid autem si primus fuisset in dolo in non vtendo, & secundus etiam in dolo in impetrando? Dicunt Doctores, quod valet primum; quia dolus primi fuit in non vtendo, & sic non concernit rescriptum; sed dolus secundi fuit in impetrando, & sic rescriptum est vitiosum; vnde potius debet valere primum, in quo non est defectus in fieri, licet sit defectus postea in facto esse. Abb.hic in fin. Generaliter enim peccatum ex commissione, est grauius, quam peccatum ex omissione. S.Th.1.2.q.76.art.2.

Cap. 24. Cum contingat.

SI à delegato aliquid mandatur ordinario, debet humiliter exequi.

QVIA delegatus in causa sibi commissa repræsentat vices Papæ delegantis. c. significasti. de offi. deleg. vnde in causa illa iurisdictionem habet super omnes. c. sanè. il 2.d.tit. Et omnia intelliguntur sibi commissa, sine quibus causa illa expediri non potest. c. præterea. d. tit. Ideo sicut ordinarius quilibet debet obtemperare Papæ. cap. cuncta. 9.q. 3. ita debet in causa illa obtemperare delegato, qui repræsentat vices Papæ. d.c. sanè. & c. præcipimus. dist. 93.

SED si alius delegatus per alias litteras post executionem, mandat contrarium, vel si ante executionem innotuerit ordinario, inter delegatum, qui mandat, & alium contentionem esse de iurisdictione, faciet sibi vtrarunque litterarum copiam exhiberi; non vt iurisdictionaliter cognoscat; sed vt se informet, an per secundas reuocentur primæ.

QVIA cum rescriptum secundum non possit stare simul cum primo ei contrario. vt not. in c. si autem. supr. eod. necesse est, vt iurisdictio, vel primi, vel secundi delegati contraria mandantis, sit inualida. Contrariorum enim ea est natura, vt si vnum est verum, alterum sit falsum. Arist. 2. phisic. tex. 15. Et vt vnum sit corruptiuum alterius. Arist. 1. phisic. tex. 42. & Instit. de his, qui sunt sui, vel alien. §. 1.

Vnde vnus de istis delegatis oportet, quod non sit iudex competens, & quod ei non sit obediendum. Et quoniam melius est ante tempus occurrere, quàm post causam vulneratam remedium quærere. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. Ideo ne iste ordinarius obediat illi prætenso delegato, qui non habet iurisdictionem, vel ne inobediens sit illi, cui est parendum; ad hunc effectum per hanc decretalem datur ei facultas, vt faciat sibi vtrarunque litterarum copiam exhiberi, vt possit se informare, cui eorum debeat parere. vt in tex. & Butr. hic nu. 19.

ET si primæ reuocentur, exequatur secundum mandatum.

QVIA illi delegato debet ordinarius obedire, qui iurisdictionem habet validam. c. sanè. de offic. deleg. Et quoniam vbi primæ litteræ fuerunt reuocatæ per secundas, delegatus secundus, & non primus habet iurisdictionem. vt not. in c. cæterum. supra eod. Ideo secundum rescriptum, non autem primum, erit per ordinarium exequendum. vt in tex.

SI autem non reuocentur, vel de hoc dubitet, non exequatur secundum mandatum, donec contentio de iurisdictione terminetur.

QVIA cum nulla potestas tribuatur ordinario executori, vt inter istos delegatos de eorum iurisdictione iudicet; sed tantum ei conceditur, vt se informet, an per secundas litteras primæ reuocentur, vt in tex. Ideo vbi ex inspectione litterarum extraiudicialiter facta, sibi clarè non apparet, quænam litteræ sint validę, & per consequens cuius delegati mandatum exequendum; melius est in cuiuslibet mandati executione supersedere, quàm illud forsan exequi, quod erat respuendum; & illud respuere, quod forsan erat exequendum. arg. c. pastoralis. supra eod. & c. cum in iure. de offic. deleg. Melius est enim ante tempus occurrere, quàm post causam vulneratam remedium quærere. vt dictum est superius. & habetur in l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest.

Cap. 25. Cum olim.

QVANDO in rescripto plura narrantur, diuersos effectus operantia, non sufficit impetranti alterum solum probare, ad vtrumque effectum consequendum.

QVIA limitata causa limitatum producit effectum. l. in agris. ff. de acquir. rer. dom. Et quoniam probatio determinata ad vnum particulare, ita est causa determinata ad illud, quod non potest ex illa inferri ad aliud diuersum; cum ex diuersis non fiat illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo impetrans tenetur probare omnia, ad quæ se adstrinxit, si omnia in rescripto contenta vult obtinere; aliàs vel obtinet

tinet ea,quæ probat,vel nihil obtinet,iuxta ea,quæ not.in c.super litteris.supra eod.glos. fin. hic.

Cap.26. Dilectus.

NON valet rescriptum super restitutione beneficij impetratum, quod de causa excommunicationis, & amotionis impetrantis, non facit mentionem.

QVIA rescriptum impetratum,eo tacito,quod si fuisset expressum, illud non fuisset concessum,viribus subsistere non debet.c.super litteris.supr.eod. Et quoniã tale est illud impetratum ab eo, qui non fecit mentionem de causa suæ excommunicationis,& à beneficio amotionis.vt in tex.& glos.fin. hic. nam talis impetrans dicitur agere. Innoc.hic.ver.excommunicationis. Et excommunicatus non potest agere,nisi prius absoluatur. c. exceptionem. de except. Et absolui non debet,nisi causam suæ excommunicationis exprimat.c. cum pro causa. & ibi glos.ver.tanquam.de sent.excom. Et exprimenti aliam causam, quã illam, pro qua fuit excommunicatus, litteræ super absolutione impetratæ non valent.glos.fin.hic. Similiter præsumitur talis impetrãs, seriẽ negotij dolosè tacere,si non exprimit causam suæ amotionis.c.super eo. de cohabit.cler.& mul. Ideo tales litteræ tanquam per veri suppressionem obtentæ, viribus subsistere non debent.vt in tex.& glos.ver.virib.

Cap.27. Postulasti.

PER litteras iustitiæ non tenetur Episcopus prouidere habenti perpetuam vicariam.

QVIA per huiusmodi litteras necessitatibus pauperum clericorum,qui nullum sunt ecclesiasticum beneficium assecuti,sedes Apostolica ducit succurrendum. vt in tex. Et quoniam carere beneficio non debet dici, cui competenter de perpetuæ vicariæ prouentibus est prouisum. vt in text. Ideo si in litteris non fuerit facta mentio de tali vicaria,& tunc mandatum, quod prouideatur, tales litteræ sunt subreptitiè impetratæ, & non sunt exequendæ. vt in tex. Nomine enim beneficij intelligitur vicaria,siue præbenda, siue aliud beneficium. glos.2. hic. Sed de quolibet beneficio,quamuis modico, est facienda mentio in impetratione alterius.c.si motu.de præb.in 6. Ideo ex quo fuit tacita talis vicaria,littere fuerunt subreptitiæ: Et sic præter id, quòd, cum sint iustitiæ, non intelliguntur concessæ habenti aliud beneficium. vt in tex. non sunt exequendæ,etiam propter vitium subreptionis.cap. super litteris.supra eod.

VEL sufficiens patrimonium.

QVIA per huiusmodi litteras iustitiæ, solum intendit Sedes Apostolica prouidere necessitatibus pauperum clericorum. vt in tex. & glos.fin.hic. Et quoniam non dicitur pauper, qui habet sufficiens patrimonium.c, quoniam quicquid.in fin.16.q.1. Et exhortatio est, vt qui sumptibus proprijs sustentari potest, ab Ecclesia stipendia non accipiat, ne id, quod pauperum est, assumat.c.clericos.1.q.2. Ideo habenti de bonis paternis, vnde valeat competenter sustentari, non tenetur Episcopus per litteras iustitiæ de beneficio prouidere. vt in text.& cap. tuis. de præbend.

NEC valent litteræ gratiæ ad beneficium obtinendum, in quibus impetrans tacuit perpetuam vicariam.

QVIA perpetua vicaria est beneficium. vt in tex. Et quoniam de quolibet beneficio est facienda mentio, etiam in litteris gratiosis; aliàs gratia est subreptitiè impetrata.c.si proponente. infr.eod.nisi nouũ beneficium conferatur à Papa motu proprio, qui motus tunc solum intelligitur adesse, quando in litteris exprimitur.c.si motu.de præb. in 6. Ideo, licet litteræ gratiosæ concedantur etiam habenti aliud beneficium. vt in cap. gratia. eod. in 6. si de beneficijs prioribus non fiat mentio in impetratione alterius beneficij, litteræ illæ sunt subreptitiæ, & non valent. vt in tex.& Clem.gratiæ.eod.tit.

Cap.28. Nonnulli.

PER litteras Apostolicas de hac constitutione mentionem non facientes, non potest quis trahi vltra duas dietas extra suam diœcesim.

QVIA nonnulli gratia Sedis Apostolicæ abutentes, litteras ad remotos iudices impetrare nitebantur, vt reus fatigatus laboribus, & expensis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compelleretur. vt in tex. Et quoniam per iudicium iniurijs aditus patere non debet. vt in tex.& l.meminerint.C.vnde vi. Ideo ad obuiandum istorum fraudibus, statuitur, ne quis vltra duas dietas extra suam diœcesim, per litteras Apostolicas ad iudicium trahi possit. vt in tex. nisi de hac constitutione expressam fecerint mentionem, vt in tex. nam tunc rescriptum tenet ex speciali gratia, quæ derogat iuri communi ex certa scientia, & voluntaria concessione Papæ. Abb.hic num. 10. Hodie verò terminus, qui hic dicitur de duabus dietis, est restrictus ad vnam dietam.per c.statutum.§.cum verò.eod.in 6.

NISI

NISI de consensu partium litteræ fuerint impetratæ.

QVIA ista restrictio dietarum est facta in fauorem rei, ne ab actore malitiose fatigaretur laboribus, & expensis. vt in tex. Et quoniam fauori suo quilibet renuntiare potest. c. ad apostolicam. de regular. Et volenti non fit iniuria, neque dolus. l. penult. C. de pact. Ideo si reus conueniat cum actore ad renuntiandum huic dietarum restrictioni, litteræ impetratæ tenent. vt in tex.

§. Sunt & alij.

NON valent litteræ ad lites impetratæ sine speciali mandato domini.

QVIA aliqui erant, qui nouum genus mercimonij circa litteras Apostolicas exercebant, vt vel sopitas possent suscitare querelas, vel nouas immittere quæstiones: fingebant enim causas, super quibus à Sede Apostolica impetrabant litteras sine mandato dominorum; quas vel reo (ne propter eas laborum, vel expensarum dispendio molestaretur) aut actori, (vt per ipsas aduersarium indebita molestatione fatigaret) venales exponebant. vt in tex. Et quoniam lites restringendæ sunt potius, quam laxandæ. vt in tex. & l. quidam. ff. si cert. pet. Ideo per hanc decretalem statuitur, vt si aliquis de cætero super aliqua quæstione sine speciali mandato domini, litteras apostolicas impetrare præsumpserit, & litteræ illæ non valeant, & ipse tanquam falsarius puniatur. vt in tex. Nec possunt litteræ illæ ratificari; quia hoc non fuit inductum in fauorem partis conuenientis, sed in fauorem conueniendæ, & in fauorem reipublicæ; vt colligitur ex tex. Ideo non potest pars aliqua supplere ex post facto id, quod non dependet à voluntate sua. cap. contingit. de sent. excom. & c. si diligenti. de for. comp.

NISI impetrentur per coniunctam personam.

QVIA propter affectionem, quæ naturaliter solet esse inter sanguine coniunctos, non præsumitur, quod coniunctus pro coniuncto aliud impetret, quàm ipse principalis impetraret. l. si seruus. & ibi glos. ff. de donat. inter vir. & vxor. Et quoniam prohibitio ista de impetrando huiusmodi litteras, fuit facta ad remouendum illud genus mercimonij, quod per istas litteras, quæ vtrique parti ad libitum impetrantis fiebant venales, committebatur. vt in tex. Et suspicio ista cessat in coniuncta persona, vt dictum est superius. & Abb. hic num. 10. Ideo ius admittit, vt coniunctus possit impetrare tales litteras pro coniuncto, etiam sine mandato. vt in tex. & l. sed & hæ. ff. de procur. Et hoc, dummodo præstet cautionem de rato. Specul. in tit. de coniuncta persona. in princ. Generaliter tamen coniuncta persona non potest agere ea, quæ

ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum.l.illud. & l.patri. ff.de minor. niſi & ipſa habeat in illa cauſa proprium intereſſe.d.l.patri.

Cap. 29. Dilectus. il 2.

S I occaſione duorum reſcriptorum, vnius ſcilicet in cauſa principali, alterius in cauſa appellationis, contenditur, non Iudex ſuper principali, ſed deputatus ſuper appellatione cognoſcere debet de validitate appellationis.

QVIA poſtquam cauſa appellationis eſt commiſſa ex certa Principis ſcientia, iuriſdictio priorum iudicum eſt ſuſpenſa.c.paſtoralis.§.præterea.de off.deleg. Et data eſt poteſtas iudici appellationis, vt inhibere poſſit iudici, à quo eſt appellatum, ne in eadem cauſa amplius procedat.c.Romana.§.ſi autem. de appell. in 6. Et quoniam acceſſoriũ ſequitur naturam ſui Principalis.c.acceſſorium.de reg.iur.in 6. Ideo ex quo cognitio cauſæ appellationis ſpectat ad ipſum iudicem ad quem, etiam quæſtiones incidentes ſuper illa cauſa, debent ſpectare ad eundem. Bald.hic nu.1. Et quoniam iudex poteſt cognoſcere, an ſua ſit iuriſdictio. c.paſtoralis. & ibi Abb.nu.1.ſupr. eod. Ideo ſpectat ad iudicem appellationis cognoſcere, an ſit legitimè appellatum; & ſi appellatio eſt legitima, ipſe cognoſcat cauſam; aliàs remittat partes ad priorem iudicem, condemnando appellantem in expenſis. c. vt debitus. de appell.& gloſ. fin.hic.

Cap.30. Capitulum S. Crucis.

S I plures impetrant in eadem Eccleſia, ſtatur datæ, vt primus impetrans præferatur.

QVIA in gratijs obtinendis, qui prior eſt tempore, potior eſt iure. c.qui prior.de reg.iur.in 6. Et quoniam in beneficijs gratia eſt ex parte concedentis, non autem ex parte exequentis, vel in poſſeſsionem mittentis.c. eum, cui. de præb.in 6. Ideo qui anteriorem habet datam, à qua gratia dependet, anteponendus eſt ſecundo; licet iſte ſecundus litteras prius præſentauerit. vt in tex. Si verò ambæ litteræ eſſent impetratæ ad idem corpus beneficij, ſecundus impetrans nunquã poteſt aliquid obtinere vigore illarum litterarum; quia fuerunt ſubreptitiæ, non faciendo mentionem de prioribus.c.cæterum. & c. ad aures. ſupra eod.& ideo ſunt nullæ, cum ſubreptio in beneficialibus vitiet gratiam, ipſo facto.c.1.& 2.de fil.presb.in 6. Nam in iſtis ſpiritualibus debet abeſſe prauitas, & omnis puritas adeſſe.c. quam pio.1.q.2.& c.fin. de pact. Quando verò duo impetrant litteras in eadem Eccleſia pro diuerſis beneficijs, ambæ litteræ valent, cum reſcripta ſint ad diuerſa, quorum

rum vnum non contrariatur alteri. Abb. hic num. 4. sed qui datam habet priorem; prius est prouidendus, vt dictum est superius.

ET solus admittatur.

QVIA si admitteretur vterque, nimium videretur grauari collator, cui huiusmodi litteræ diriguntur. c. mandatum. infra eod. Et quoniam Papa non intendit per suas litteras alicui graue præiudicium inferre. c. super eo. de offic. deleg. Et rescripta recipiunt vires ab intentione rescribentis. c. ad aures. supra eod. Ideo, nisi Papa exprimat, non tenetur ordinarius collator prouidere vtrique. vt in tex. licet, si vellet, hoc posset; cum litteræ secundi impetrantis, si se non referant ad idem corpus beneficij, non sint subreptitiæ, vt dictum est superius. Et ex quo secundæ litteræ non sunt nullæ, si primus impetrans non prosequitur ius suum, dolo, vel negligentia, debet secundus prouideri. glos. 1. hic. cum sit intentio Papæ, vt vnus de istis duobus, beneficium assequatur. Abb. hic num. 6.

Cap. 31. Ad audientiam.

SI habens litteras Papæ ad beneficium, eis per annuam pensionem renuntiat; non valent litteræ beneficiales per eum, hoc tacito, impetratæ.

QVIA omne tacitum, quo expresso, habuisset retardare Principem à concessione, inducit subreptionem, & reddit gratiam inualidam, c. postulasti. supr. eod. Et quoniam si Papa sciuisset, istum habuisse alias litteras, & eis pro annua pensione renuntiasse, non ita de facili concessisset secundas. Abb. hic nu. 4. ex quo enim per illas litteras poterat consequi beneficium, & per eum deficit; perinde est, ac si beneficium illud fuisset consecutus: nam qui actionem habet, ipsam rem habere videtur. l. qui actionem. ff. de reg. iur. Et sibi imputet, qui voluit potius pensionem, quam beneficium. Io. And. hic in princ. Sed ista imputatio hodie multis placeret, qui potius assumerent pensiones, in quibus habetur vtile cum paruo onere, quam beneficia cum pane doloris. iuxta not. per Abb. in c. ad aures. nu. 4. supra eod. Ideo istæ secundæ litteræ non facientes mentionem de primis, sunt subreptitiæ; & cum sint in prouisione beneficiali, sunt nullæ ipso facto. vt not. supr. in c. prox. licet litteræ subreptitiæ ad lites, sint per exceptionem annullandæ. gl. fin. hic.

Cap. 32. In nostra.

RECEPTVS per litteras Apostolicas, licet præbendam expectet, per alias litteras hoc supprimentes, in alia Ecclesia recipi non debet.

QVIA Papa non intendit per secundas litteras alicui prouidere in aliquibus beneficijs, nisi in secundis fiat mentio de primis litteris,& de obtentis beneficijs.c.si proponente.infra eod. Et quoniam canonia sub expectatione præbendæ dicitur beneficium, maximè si est intra numerum in Ecclesia deputatum, & præbenda est quid accessorium ad illam. vt not.Ludouic.Rom.consil.447.& etiam si non est intra numerum, est aliquo modo beneficium, & per receptionem factam ad illam,est gratia incępta ad præbendam, quæ appellatur beneficium.glos. 2.in c.postulasti. supra eod. Ideo licet iste receptus ad canoniam, non dum sit præbendam assecutus, tamen in secundis litteris tenebatur de hoc facere mentione,glos.fin.hic.alias impetratio censetur fraudulēter, & subreptitiè impetrata. vt in tex.& Bal.nu.2. Et quamuis potius præbenda,quam ius canoniæ,videatur hic in tex.appellari beneficium; hoc fit, quia spiritualia sine temporalibus diu subsistere non possunt. cap. si quis obiecerit.1.q.3. Abb.hic nu.1.

Cap. 33. Ex parte.

NON valet rescriptum, quod procurator reuocatus, & de hoc certificatus, extra iudicium impetrauit.

QVIA Apostolicæ litteræ,quas sine speciali dñi mandato quis impetrat,valere non debent, nisi impetrãs sit de illis personis,à quibus nō est exigendum de iure mandatũ.vt in tex.& c.nōnulli.§.fin.supr. eo.Ideo multo minus debēt valere litteræ impetratæ ab illo, à quo mādatum dominus reuocauit. vt in tex. nam ille, qui est reuocatus, agit contra expressam domini voluntatem, qui verò nunquam habuit mandatum, agit solum sine voluntate. glos. fin.hic. Debet tamen procurator, de eius reuocatione certiorari. vt in tex. quia ipse non tenetur reuocationem diuinare.l.si fideiussor.ff.mand. aliàs sibi imputet dominus, qui illum constituit.glos.2.in c.mandato.de procur. Et si non agitur de actibus iudicialibus,vel de extraiudicialibus, in quibus habeat interesse altera pars,sufficit, vt ipse certioretur: si verò agitur de his, in quibus pars altera habeat interesse, etiam ipsa est certioranda. vt in text. & d.l.si fideiussor. Quando autem procurator fuit constitutus ad negotia,& non ad certam personam; tunc non est necesse alios facere certiores; cum ipse tantum interueniat in fauorem domini, & de alterius interesse non tractatur.vt not.in Clem.vnic.de renuntiat.

SECVS tamen in iudicio; dummodo reuocatio ad notitiam aduersarij,vel iudicis non peruenerit.

QVIA in iudicio quasi contrahitur.l.3.§. idem scribit.ff. de pecul. vnde ex quo procurator fuit destinatus ad quasi contrahendum cum certa persona,debet illa persona de reuocatione certiorari,ne ipsa ad li-

ad libitum aduersarij deludatur. d. glos. in d. c. mandato. Ideo non sufficit in iudicio ad annullandũ actum, vt solum procurator sit de eius reuocatione certioratus; sed etiam ad notitiam aduersarij, vel iudicis debet reuocatio peruenire, ne ipsi illudantur. d. glos. in c. mandato. Et idem est dicendum in extraiudicialibus, quando procurator mittitur ad certam personam; propter eandem rationem, ne illa decipiatur, & quæ, cum sit certa, scitur cui sit talis notitia facienda, quod non potest exequi in incertis, cum non sciatur tunc, cum quibus tractetur. Abb. hic num. 10.

Cap. 34. Significante.

RESCRIPTVM impetratum contra hominem alicuius diœcesis, non extenditur ad hominẽ eiusdem nominis alterius diœcesis.

QVIA rescriptum assumit vires ab intentione principis rescribentis. supra cap. ad aures. Et quoniam intentio iudicatur ex verbis aptis ad illam exprimendam. c. humanæ. 22. q. 5. Ideo cum ex verbis rescripti appareat de intentione principis contra vnum, non debent verba illa extendi contra alium, de quo Princeps non intendit, & ad quem verba non sunt apta in totum, licet sint in partem. vt in tex. Et ex qua extensione sequeretur, quod rescriptum esset in incertum. glos. hic. quod esse non debet, cum generalitas in huiusmodi litteris reprobetur. c. ad hæc. supra eod. Si tamen per alia signa constaret, quod princeps voluerit in suo rescripto intelligere de tali alterius diœcesis; tunc rescriptum ad eum extenditur, licet fuerit commissus error in nomine. Innocentius hic, & Abb. nu. 4. cum verba debeant seruire intentioni, non autem intentio verbis. c. intelligentia. de verb. sign. Sed nunquid in litteris impetratis ad beneficium, falsitas commissa circa expressionem illius, debet vitiare, si constat de corpore beneficij? Dicendum, quod aut falsa expresio non fuit causa inductiua principis, quia, ea pariter suppressa, litteras dedisset, nec fuit apposita causa restringendi gratiam; exemplum habetur in c. susceptum. eod. in 6. & tunc non habet vitiare, per rationem. c. super litteris. supra eod. Exemplum, quidam impetrauit Sacristiam Senensem, & dixit eam esse dignitatem; reperitur autem, quod est officium, & non dignitas, non habet vitiare; quia fortius dedisset Papa, si dixisset, quod erat officium: Item illa falsa expresio non restringit gratiam ad certum casum, secus vbi restringegeret; nam tunc vitiaret in alio casu ex defectu intentionis rescribentis, licet constaret de corpore beneficij. vt in d. c. susceptum. vbi dicitur, quod si impetraui certum beneficium, quod dixi vacare per mortem, non venit illud beneficium, si vacat per renuntiationem, licet constet de corpore, & renuntians habeatur pro mortuo quo ad illud beneficium; nam illa expresio vacationis habet restringere gratiam, & princi-

pis voluntatem ad illum casum, ita quod non extendatur ad alium. Abb.hic in fin.

Cap 35. Rodulfus.

PER rescriptum impetratum contra homines diœcesis, non possunt conueniri homines ciuitatis.

QVIA verba rescriptorũ ad lites sunt strictè interpretanda. c. Petro, & G. de offic. deleg. Et in stricta interpretatione nomine diœcesis non comprehenditur ciuitas. gloss.1. in c. cum clerici, de verb.sign. secus autem in materia larga,& fauorabili, vel saltem in materia indifferenti ad hoc.c.vnic.& ibi glos. de rer. permut. in 6. & c. cum Episcopus.de offic.ordin in 6.& late hic per Abb.

Cap. 36. Significauit.

SI conueniendus per illam clausulam generalem: Quidam alij &c. moriatur re integra, successor conueniri non potest.

QVIA quando defunctus erat conueniendus per illam clausulam, nec fuit conuentus tempore vitæ suæ, eo mortuo, rescriptum corruit, cum non fixerit radices in persona cõuenienda.l.2.ff. quæ sent. sine appell.rescind. Et quoniam ille iudex videtur datus contra conueniendum sub tali clausula, tempore quo exprimitur; nam antea iudex non habet iurisdictionem in non expresso.cap.pastoralis.§.1. supra eod. Ideo non valet talis iudicis datio quo ad effectum contra defunctum, nec quo ad extensionem faciendam contra eius successorem, cum non viueret is,contra quem iudex datur.d.l.2. & sic corruit rescriptum quo ad vtrunque. vt in tex. Et si diceres, eo ipso,quod exprimitur, fingitur expressus tempore dati rescripti. arg.l.potior. ff. qui pot. in pign. hab. vbi conditio trahitur retro à tempore initi contractus. Solutio est duplex. Prima, quòd hic non potest contrahi; cum deficiat subiectum per mortem; simile habetur in c.si pro te.infr.eod.in 6. Secunda solutio, & melior est, quod in eodem casu non debent concurrere duæ fictiones. vt not.in l.1.C.de dot.promiss. Sed si rescriptum hoc casu extenderetur ad successorem, concurrerent duæ fictiones: prima, quia fingeretur iste expressus tempore datæ: secunda, quia successor fingeretur eadem persona cum defuncto; nam verè successor non est eadem persona cum defuncto,& ita limitatur.l. hæres absens. ff. de iudic, vbi dicitur hæredem posse conueniri, vbi defunctus poterat; intelligitur enim in ordinario,& non in delegato, saltem dato sub illa clausula generali: & ratio est,quia rescripta sunt personalia,& odiosa, merito restringenda. c. ad hæc. supra eod. Et generaliter, cum quæritur,an rescriptum extendatur ad successorem, distingue secundum Cald. supra eod. in c. in nostra.

ſtra. & Io.Andr.in c.is,qui in ius.de reg.iur.in 6. Quod,aut materia, ſuper qua impetratur reſcriptum,non eſt extendibilis ad ſucceſſorem, & expirat reſcriptum per mortem. Exemplum in actore: Impetratum eſt reſcriptum ſuper beneficio debito: nam ſi moritur, non poteſt hæres eius vti illo reſcripto; quia non ſuccedit in beneficio,cum in beneficio non habeat locum ſucceſsio.c.ex tranſmiſſa.de fil.presb. Exemplum in reo: Fuit impetratum reſcriptum,vt reus deponeretur ab ordine, vel à beneficio; certum eſt, quod mortuo reo,non poteſt conueniri ſucceſſor: nam crimina morte extinguuntur. c.quorundam. diſt.23.& l.1. & 2.C.ſi reus,vel accuſ.mor.fuer. Aut materia concernit ſucceſſorem, & tunc,aut res non eſt integra, puta, quia defunctus fuit citatus, & tunc reſcriptum extenditur ad ſucceſſorem. arg. hic à contrario ſenſu, ibi, nec fuerat ad iudicium euocatus, aut res eſt integra; & tunc,aut prædeceſſor erat conueniendus ſub clauſula, & tunc non extenditur ad ſucceſſorem,vt hic,ex quo non fuit expreſſus dum viueret. Et hoc verum, niſi reſcriptum fuiſſet impetratum contra dignitatem: nam dignitas non moritur,licet moriatur præſidens.c.liberti.12.q.1. Aut conueniendus erat expreſſus in reſcripto; & tunc ſi fuit reſcriptum impetratum in materia concernente dignitatem, licet nomen Prælati fuerit expreſſum,extenditur ad ſucceſſorem; & in hoc caſu loquitur.c.dilecti.de for. compet. Aut non concernebat dignitatem, ſed perſonam; & tunc non extenditur ad ſucceſſorem ſingularem,niſi in tribus caſibus. Primus, ſi ſucceſſor ſuccedit in vitium,& in hoc caſu loquitur.c. quia V. de iudic. Secundus caſus habetur in c. 1.de alien.iud. mut.cauſ.fact. Tertius, ſi emanat ſecunda iuſsio. vt in dicto cap. quia V. Aut quæritur, nunquid debeat extendi ad ſucceſſorem vniuerſalem,& fuerunt multæ opiniones; ſed opinio magis communis habet, quod ſic; quia cenſentur eadem perſona.vt in Auth.de iureiur.à mort.præſtit.col.5. Item,quia agitur de modico præiudicio; & intellige hæc, quod defunctus erat in rerum natura tempore dati reſcripti; aliàs reſcriptum non valet. d.l.2. C.ſi reus,vel accuſ. Et ſimili modo, nec priuilegium tranſit in ſucceſſorem,ſi mortuus erat tempore datæ is, cui concedebatur.l. Neratius.ff. de reg.iur.& per Abb. hic.

Cap.37. Ex inſinuatione.

NON valent litteræ executoriæ, in quibus impetrans falſo dixit monitorias præceſsiſſe.

QVIA talis impetrans iſtud falſum expreſsit, vt facilius litteras executorias obtineret.Butr.hic nu. 6. Ordo enim,& conſuetudo curiæ tunc erat, quod primo monitoriæ, ſecundo præceptoriæ, tertio, & vltimo executoriæ concederentur. c. conſtitutus. ſupra eod. licet ſi fuiſſent conceſſæ executoriæ ſine illis præcedentibus, eſſent exequendæ; dummodo non fuiſſent obtentæ per falſi expreſsionem.

Abb.

Abb. hic in princ. Hodie verò communiter ſolum dantur executoriæ, nec ſunt in vſu monitoriæ, & præceptoriæ, niſi quando Papa reſcribit pro receptione alicuius monialis. Abb.hic. Ideo litteræ illæ executoriæ fuerunt obtentæ obreptitiè per falſi expreſsionem, vt facilius obtinerentur, & ſic nullius ſunt roboris.c.ſuper litteris.ſupr.eod.& gloſ.hic.

Cap. 38. Mandatum.

CESSANTIBVS clauſulis, in dubio Papa non intendit grauare eundem collatorem ſuper prouiſione duorum.

QVIA Papa per ſuas litteras non vult alicui graue præiudicium inferre.c.licet.de offic.ordin.& c.ſuper eo.de offic.deleg.Et quoniam collatio beneficiorum computatur inter fructus ad collatorem ſpectantes.gloſ.2.in c.cum olim.de maior.& obed. Beneficiorum enim collatio cenſetur quædam donatio,cum ordinarius vtatur liberalitate alicui conferendo.c.relatum. de præb. Ideo non poteſt dici, collatorem non grauari,cum priuetur hac liberalitate,& facultate donandi. Abb.hic nu.3.& ſic talis priuatio eſt potius reſtringenda,quam dilatanda.vt not.in c.capitulum ſanctæ Crucis. ſupra eod. Papa enim licet poſſit conferre omnia beneficia,cum ſit ordinarius omnium.c. cuncta. 9.q.3. Tamen non intendit vti hac poteſtate, quando eſt conceſſa ordinarijs, niſi hoc exprimat. vt in tex. nam eccleſiaſticus ordo confunditur, ſi vnicuique Epiſcopo ſua iuriſdictio non ſeruetur. cap. peruenit. 11.quæſt.1.

IDEO ſecundus impetrans repellitur, ſiue primus expectet, ſiue ſit iam gratiam conſecutus.

QVIA cum iſtud mandatum Papæ non ſe extendat, niſi ad prouiſionem vnius.vt in tex.& dictum eſt ſuperius. De duobus, ille debet eſſe prouiſus, qui prius gratiam impetrauit. vt not.in d.c. capitulum ſanctæ Crucis.ſupra eod. Prior enim tempore, potior eſt iure.c.qui prior.de reg.iur. in 6. Vnde ſi primus expectat, cum ſit proximè accingendus,pro accinto habetur. vt not.Bald.in c.in noſtra. nu. 2. ſupra eod. Si verò obtinuit,iam mandatum eſt adimpletum, & intentio principis executa. vt in text. Ideo collator ad vlteriora non tenetur. gloſ.fin.hic.

Cap. 39. Litteris.

ECCLESIA, in qua primus Papa dedit monitorias, & ſecundus executorias, per primum, non per ſecundum intelligitur grauata.

QVIA iſte ſecundus Pontifex per ſuas executorias magis proſequitur factum prædeceſſoris,qui dedit monitorias,quam aliquid con-

conſtituat de ſuo. vt in tex. Et quoniam operatum attribuitur principio mouenti, non autem factum proſequenti. Butr. hic nu. 4. Et ex vrbanitate quadam conuenit, vt Papa perficiat rem inchoatam à prædeceſſore. c. quia Ioannes. 12. q. 5. Ideo iſtud grauamen prouidendi, eſt attribuendum litteris monitorialibus, à quibus creatur principium iuris agendi, non autem litteris illud principium exequentibus. vt in tex. Sicut dicimus in exequente ſententiam iudicis, quod grauamen dicitur illatum à primo iudicante, non autem ab exequente, dum tamen ipſe non excedat modum in exequendo. c. ſuper quæſtionum. de offic. deleg. & c. quod ad conſultationem. de re iudic.

Cap. 40. Abbatem.

DIOECESANVS, cui ſcribitur, vt in diœceſi ſua, vbi pro alio ſcriptum non eſt, prouideat, vel faciat prouideri, non poteſt id exequi circa beneficium ſpectans ad collationem alterius iam pro alio grauati.

QVIA Papa non intendit grauare eundem collatorem ſuper prouiſione duorum. c. mandatum. ſupr. eod. Et quoniam collator ſubiectus tali diœceſano, cui ſcribitur, fuit per ſpeciale reſcriptum iam grauatus ſuper prouiſione alterius. vt in tex. Ideo iſte diœceſanus debet exequi ſecundum reſcriptum ad eum directum, ſuper alijs beneficijs ſuæ diœceſis non ſpectantibus ad collationem ſui inferioris iam grauati. Innocentius hic.

Cap. 41. Excommunicato.

PER reſcriptum directum excommunicatori, vt abſoluat excommunicatum, ſi contra concilium eum excommunicauit; datis executoribus, qui, eo non parente, exequantur, non excommunicatori, ſed executoribus cognitio demandatur.

QVIA ipſe excommunicator iam cenſetur eſſe certus, an excommunicauerit contra Concilium, vel non. vt in tex. ſcilicet, an extiterit iuſta cauſa excommunicandi, & an præceſſerit competens monitio, iuxta ſtatuta per Innocentium Tertium in Concilio generali. vt in c. ſacro. de ſent. excom. cum nemo præſumatur proprium factum ignorare. l. quiſquis. C. de reſcind. vend. Ideo tale reſcriptum dirigitur excommunicatori, non vt ipſe cognoſcat id, quod iam cognoſcere cenſetur; ſed ſolum vt abſoluat, quatenus contra Concilium proceſſerit. Abb. hic nu. 14. Et fit ei talis remiſſio, ad ipſius honorem ſeruandum; nam minor pudor eſt, quod quis corrigat factum ſuum, quam quod corriga-

riga-

rigatur ab alio. vt in tex. ibi, licet in hoc deferatur eidem. & c. qualiter. de accusat. Cognitio verò demandatur executoribus, quia excommunicatore nolente absoluere, & iustitiam sententiæ prætendente, isti executores delegati habent ante omnia absoluere excommunicatum, nec aliter ipsum audire, nisi absolutionem petat, præstita cautione de parendo mandatis Ecclesiæ, si constiterit eum esse iuste ligatum c. ad hæc. de sent. excom. Et iste est primus actus, quem tales delegati facere debent. Nec obstat, si dicatur, quod tex. hic mandat, ipsum absolui sine difficultate; quia illud refertur ad excommunicatorem in casu, quo illum excommunicauerit contra formam Concilij; sed quo ad istos executores delegatos illud non procedit: nam ex quo eis non dum constat de iniustitia excommunicationis, non debent absoluere sine cautione, nec eum audire, nisi prius petat absolutionem cum obligatione cautionis. iuxta d.c. ad hæc. nàm ex quo fatetur se ligatum, licet iniuste, non debet perseuerare in excommunicatione, ne videatur illam contemnere. c. per tuas. de sent. excom. & c. cum contingat. de offic. deleg. Deinde, facta absolutione, debent isti delegati cognoscere de iustitia, vel iniustitia excommunicationis; & si constiterit, excommunicationem iustam, puniant quærelantem. Si verò constiterit, eam iniustam, puniãt excommunicatorem, iuxta formam traditam. in d.c. sacro. glos. fin. hic. Et in quantum ista glossa dicit, illum absoluendum, si hoc petierit; insurgit quæstio: An quis possit ab excommunicatione absolui inuitus, vel non petens? Et dicendum, quod sic; nam excommunicatio contra voluntatem potest alicui inferri; sed quæ contra voluntatem eueniunt, etiam contra voluntatem amoueri possunt, sicut patet de bonis fortunæ; ideo excommunicatio potest tolli ab aliquo inuito. S.Th. 4. sent. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Præterea in excommunicatione est considerandum duplex malum, scilicet malum culpæ, & malum pœnæ: Malum culpæ est ipsum peccatum, propter quod excommunicatio fertur; quod cum sit à nobis, non potest à nobis tolli sine voluntate nostra. c. peccati. de regul. iur. in 6. Malum verò pœnæ plerunque est extra nos, nam sine facto nostro ingeritur; ideo etiam sine facto nostro potest remoueri. vt dictum est superius. & S.Thom. in d. art. 5. Par enim ius est in ligando, & in soluendo. c. verbum. de pœnit. dist. 1. An autem expediat illam tollere? dicendum, quòd si per excommunicationem quis efficitur deterior, iudex benefacit illam tollendo: nam ex quo videt illam non proficere, debet vti alio remedio. Io. Andr. in c. 1. de sent. excom. in 6. Est tamen aduertendum, quando quis fuit iuste excommunicatus, & perseuerat in contumacia sua, ne ille magis indurescat, & deteriora committat, vt per mala, quæ committit, inducat superiorem in necessitatem ad illum absoluendum: nam in tali casu daretur ei occasio malignandi, & videretur reportare commodum ex malitia sua, quod esse non debet. Io. Cald. hic. Poterit autem superior considerare, quando expediat illam tollere, vel non,

vel non, Abb.hic in fin. nam siue plectendo, siue indulgendo, hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur.c.prodest.23.q.5. Sed quando non est spes de correctione alio remedio, & talis non vult obedire Ecclesiæ, debet haberi tanquam ethnicus, & publicanus, id est, vt gentilis, & infidelis. c. nouit. de iudic. Et si fuerit excommunicatus propter suspicionem hæresis, si per annum steterit in excommunicatione, postea tanquam hæreticus habetur. c. cum contumacia. de hæret. in 6. si verò fuerit excõicatus pro contumacia non in causa hæresis, siue per vnum, siue per plures in excõicatione steterit, nõ habetur vt hæreticus. glos. in c. excommunicamus. §. qui autem. ver. condemnentur. de hæret. sed aliàs contra eum proceditur. c. fin. & ibi glos. 2. de pœnis. Hodie verò excommunicatus quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem, non est recipiendus; sed si obdurato animo censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi potest. Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de reform.

Cap. 42. Si proponente.

SI impetrans rescriptum ad beneficium, dixit se non beneficiatum, cum tamen haberet beneficium, non valet rescriptum.

QVIA talis non solum subreptitie impetrat, ex eo, quod non facit mentionem de beneficio, quod habet, & sic tacet veritatem, quam ad validitatem rescripti exprimere debet. c. si motu. de præben. in 6. sed etiam obreptitie peccat, exprimendo falsum, vt facilius impetraret. c. super litteris. supra eod. Et sic vtroque modo fraudulenter obtinet. vt in tex. In rescriptis autem fraus, tam in tacendo verum, quàm in exprimendo falsum, vitiat gratiam. d. c. super litteris. & glos. 1. hic.

LICET illud beneficium sit exiguum.

QVIA de quolibet beneficio obtento, quantuncunque minimo, est facienda mentio in impetratione alterius beneficij. c. si motu. de præb. in 6. Et quoniam nemo præsumitur factum proprium ignorare. c. prox. supr. eod. Ideo impetrans, qui in tali casu mentitur, in fraudem falsum expressisse censetur. glos. 1. hic. Et quoniam paruum vitium non est, ad gratiam impetrandam fraudulenter principi mentiri etiam in minimis. l. fin. C. de his, qui à non dom. manu. Ideo talis impetrans debet gratia carere, non tam ratione prioris beneficij, quàm ratione expressi mendacij. Innoc. hic. Præterea, an beneficium sit modicum, vel non, requirit causæ cognitionem, & arbitrium superioris, sicut an mulier sit competenter dotata, vel non. ff. de leg. 3. l. si filio. vnde cum ad superiorem pertineat indagatio, non debet propria auctoritate impetrans id supprimere. Bald. hic nu. 1. mendax enim est, etiam qui parua

supprimit. l. tutor, qui repertorium. in princ. ff. de administr. tut. Et sic licet lex non curet regulariter de minimis. l. scio. ff. de restit. in integr. ratione tamen fraudis id, quod videbatur minimum, euadit vitium non paruum. Bald. & Innoc. hic. Et qui conqueritur de tenuitate beneficij, sibi imputet, qui illud acceptauit. glos. 1. hic.

Cap. 43. Quia nonnulli.

ABVTENTES rescripto Apostolico in casibus hic enumeratis, priuantur commodo rescripti.

QVIA fraus, & dolus nemini patrocinari debent. c. sedes. supr. eod. Et quoniam isti casus in textu enumerati, sunt sex modi, quibus impetrantes fraudulenter abutebantur rescripto. vt in tex. Ideo commodo rescripti in huiusmodi casibus carere debent, & in expensis sunt condemnandi. glos. 1. hic.

ET condemnantur in sumptibus, & damnis aduersario.

QVIA quotiescunque aliquis non habuit probabilem causam litigandi, debet victori condemnari in expensis, ad indemnitatem illi seruandam, qui iniuste fuit per litem vexatus, & ad pœnam ipsi infligendam, qui litem temerè mouere præsumpsit. glos. in c. finem. ver. expensas. de dol. & cont. & authent. de iudicib. §. oportet. col. 6. Ideo iste, qui in prædictis casibus iniuste, & fraudulenter litem mouebat, debet alteri parti reficere sumptus, & damna. glos. 1. hic.

In Sexto. Cap. 1. Ipso iure.

RESCRIPTVM impetratum ab excommunicato, est ipso iure nullum, & processus inde secutus.



VIA iurisdictio delegata sumit initium ex persona agentis, & impetrantis. glos. hic. ver. processus. Et quoniam excommunicatus non potest agere in iudicio. c. pia. infr. de except. Ideo tam rescriptum, quam processus ab eo dependens (qui sequitur naturam sui principalis) tanquam habentia vitiosum principium, viribus non subsistunt. arg. c. principatus. 1. q. 1. & not. in c. nam concupiscentiam. extr. de constit. Vbi verò excommunicatus agit coram ordinario, tunc processus tenet, donec de excommunicatione contra illum excipiatur. d. c. pia. nam ordinaria iurisdictio non incipit ab aliquo particulari actore. d. glos. hic. Et est magis fauorabilis, quàm delegata. cap. ad hæc. extr. cod.

Ideo

Ideo si tunc non opponatur cōtra actorem excommunicatum, iudicium agitatum tenet. glos. in d. c. pia. ver. duraturis.

NISI in causa excommunicationis, vel appellationis.

QVIA istæ duæ causæ pertinent ad defensionem. Archid. hic. nu. 1. Et quoniam excommunicatus potest ad sui defensionem interuenire in iudicio, licet in illo non possit stare vt actor. c. cum inter. extr. de except. & c. intelleximus. de iudic. Ideo in istis duobus casibus potest interuenire etiam coram iudice per rescriptum delegato. vt in tex. & glos. ver. alio.

Cap. 2. Cum in multis.

PER clausulam, Quidam alij, possunt soli quatuor conueniri.

QVIA in multis iuris articulis infinitas reprobatur. vt in tex. Et præcipue in rescriptis, per quæ ordinariæ iurisdictioni derogatur. glos. 1. hic. Vnde ad obuiandum huiusmodi infinitati, & ad consulendum ordinariæ iurisdictioni, quæ debet esse fauorabilis; fuit aliàs statutum, vt per istam clausulam, Quidam alij, multitudo effrenata non comprehenderetur. vt in c. sedes. extr. eod. Sed quoniam adhuc impetrantes malitiosè quærebāt clausulam illam ad multos extendere, & in iudicijs circa hoc difficultas oriebatur. vt in tex. Ideo per hanc decretalem fuit statutum, vt per illam clausulam, vltra tres, vel quatuor in iudicium non trahantur, quorum nomina, &c. vt in tex.

QVORVM nomina in primo citatorio exprimantur, ne variationi sit locus.

QVIA si circa nomina istorum quatuor exprimenda, posset impetrator libere variare, eius fraudi locus relinqueretur, vt in tex. Et quoniam fraudibus est obuiandum. cap. ex litteris. extr. de dolo, & contum. Ideo statuitur, vt in primo citatorio impetrator exprimat, quos velit per illam clausulam conuenire, vt post huiusmodi expressionem non possit circa alios ad eos conueniendos clausulam illam extendere. Compostell. hic. col. 2. & not. in c. pastoralis. in fin. extr. eod.

Cap. 3. Dispendia.

SI actor contra reum super pluribus personalibus litteras impetrat ad diuersos, non valent litteræ, nec processus earum.

QVIA licet fuerit aliàs statutum per Gregorium Papam Nonum, vt abutentes rescripto Apostolico in sex casibus enumeratis in c. fin. extr. eod. priuentur commodo illius. vt in d. c. fin. Tamen quoniam adhuc committebatur fraus, dum impetrans ad defatigandum reum, ei mouebat lites coram diuersis iudicibus, ad quos impetrabat

rescripta, vt in tex. Ideo Summus Pontifex Innocentius Quartus volens dispendia litium æquitatis compendio coarctare, illud Gregorij statutum ampliando, per hanc decretalem statuit, vt si quis contra alium plures personales mouere voluerit quæstiones, non ad diuersos iudices, sed ad eosdem, super omnibus huiusmodi quæstionibus litteras studeat impetrare; decernens irritum rescriptum, & processum, si contrarium per impetrantem factum fuerit. vt in tex.

ET reo condemnabitur in expensis.

QVIA ad indemnitatem illius, qui temere fuit lite vexatus, & in pœnam iniustè litigantis, regulare est, vt victus victori condemnetur in expensis. vt not. in c. fin. ext. eod. & l. eum, quem. ff. de iudic.

ET idem in reo conueniente, vel reconueniente actorem, eodem durante iudicio.

QVIA in iudicijs debet seruari æqualitas. c. cum inter. de except. Ideo sicut non licet actori vexare reum coram diuersis iudicibus super pluribus personalibus quæstionibus, vt dictum est superius; ita non debet reo permitti, vt conueniat, vel reconueniat actorem apud alium iudicem, quàm apud illum, vbi causa vertitur, nisi eum possit vt suspectum recusare. vt in tex.

Cap. 4. Cum aliquibus.

RECEPTVS per litteras facultatis, si ad recipientes spectabat receptio, ipsorum, & non Papæ auctoritate intelligitur esse receptus.

QVIA per huiusmodi litteras Papa nihil facit, nisi quòd remouet impedimentum, si quod erat, per quod illi non possent recipere istum, & concedit, vt possint illum recipere in canonicum, & fratrem, ac si nullum haberent priuilegium, statutum, vel consuetudinē, per quæ talis receptio prohiberetur. Archid. hic. ver. facultatem. Vnde per istas litteras Papa excitat iurisdictionem illorum, non autem mandat, vt auctoritate Apostolica receptio fiat. glos. 1. hic. Et quoniam actus attribuitur ei, qui ponit illum in esse, non autem ei, qui remouet impedimentum, per quod non deueniebatur ad illum. c. licet. extr. de offic. ordin. & l. Iulianus. §. sed & si quis. ff. ad exhiben. Ideo talis, non Apostolica, sed recipientium censetur auctoritate receptus. vt in tex.

NISI in litteris aliud esset expressum.

QVIA rescriptum accipit vires ab intentione rescribentis. c. dilecto. & ibi glos. ver. intentionis. extr. de verb. sign. & cap. ad aures. extr. eod. Et quoniam intentio cognoscitur ex verbis. c. is autem. 22. q. 2. nisi ex verbis prauus generetur intellectus, & per alia signa de inten-

intentione clarius appareat; nam in tali casu potius signa essent considerandæ, quam verba. c. sedulo. & ibi glos. 1. dist. 38. Ideo si in litteris aliud esset expressum, per quod rescribentis intentio appareret, non esset à tali intentionis interpretatione recedendū. c. susceptum. & ibi glos. ver. expressè. infr. eod. & c. si motu. infr. de præb.

SI autem receptio non spectat ad eos, tunc Apostolica auctoritate dicitur receptus.

QVIA nemo dat, quod non habet. c. quod autem. extr. de iurepatr. vnde cum isti non habeant in tali casu potestatem recipiendi iure proprio, non potest quis dici eorum auctoritate receptus. vt in tex. Sed quoniam isti recipiunt potestatem ex viribus rescripti. vt in text. Ideo talis actus debet denominari ab illo, qui dat ei esse; & sic à Sede Apostolica, quæ illum recipi mandat. glos. hic. ver. concedimus. & ver. ad eosdem.

Cap. 5. Si gratiosè.

RESCRIPTVM Papale, quod concedit promoto retentionem primorum beneficiorum vsque ad beneplacitum Papæ, extinguitur, mortuo Papa.

QVIA per huiusmodi rescriptum denotatur beneplacitum potius personæ Papæ rescribentis, quam Sedis Apostolicæ, & dignitatis, quam ille habet. glos. hic. ver. suæ, & arg. c. litteris. extr. eod. Et quoniam beneplacitum personæ extinguitur per mortem ipsius. vt in tex. nam tale beneplacitum importat, perinde ac si dixisset; donec moriar, nisi prius reuocauero. glo. ver. expirat. Ideo expirante Papa, expirat hæc gratia. d. glos. hic. Sicut etiam expirant reseruationes, quas Papa facit, quando illas reseruat collationi suæ, & non dicit illas reseruare collationi Sedis Apostolicæ. Gemin. hic nu. 16. & Archid. col. fin.

SECVS, si ibi dicatur vsque ad beneplacitum Apostolicæ sedis.

QVIA in tali casu respicitur beneplacitum non personæ, sed dignitatis. vt in tex. & Archid. col. fin. Et quoniā dignitas, & Sedes Apostolica nunquā moriuntur. vt in tex. & c. liberti. 12. q. 2. Ideo talis gratia durabit perpetuò, nisi à successore fuerit reuocata. vt in tex. Perpetuò autem hic intelligitur, idest, donec vixerit ille, cui gratia fuit concessa. glos. ver. perpetuo. & ad idèm l. 1. ff. pro socio. Vnde nota, quod sicut priuilegium personale ex parte eius, cui conceditur, extinguitur cum persona. c. petisti. 7. q. 1. sic priuilegium personale ex parte concedentis extinguitur cum ipso concedente. vt hic. & sic de vtroque potest intelligi. c. priuilegium. infr. de reg. iur. scilicet, quod priuilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona. vt in d. c. priuilegium

gium. Priuilegium autem reale ex parte concedentis, cum concedente non extinguitur. vt hic not. glos. in d. ver. perpetuo.

NEC intelligitur tale rescriptum de beneficijs prius non canonice detentis.

QVIA retentio plurium beneficiorum est ambitiosa. vt in tex. & c. non potest. & ibi glos. 1. infr. de præb. Et quoniam in ambitiosis, & à iure communi exorbitantibus, verba sunt potius restringenda, quàm dilatanda. glos. in c. dilectus. ver. permissa. extr. de tempor. ordin. Ideo per rescriptum, in quo conceditur retentio priorum beneficiorum nil noui iuris in illis conceditur. glos. fin. hic. Sed retentio illa est intelligenda de beneficijs, quæ talis obtinet de iure, non autem de obtentis solum de facto. arg. d. c. non potest. in fin. & Francus hic nu. 4. Rescriptum enim recipit interpretationem à iure communi. c. ex causam. extr. eod. Et de iure communi non conceditur, vt quis beneficium iniuste detineat. c. 1. infr. de reg. iur.

Cap. 6. Susceptum.

VACATIO per mortem, & vacatio per renuntiationem sunt diuersa.

QVIA vacatio per mortem est coacta; vacatio verò per renuntiationem est voluntaria. glos. ver. humanis. Et aliud est cedere, aliud est decedere. glos. ver. non morte. Ideo impetrans beneficium per vnum de istis duobus modis vacationis, si per alterum modum vacet, illud obtinere non potest. Gemin. num. 4. nisi de intentione mandantis aliud appareret expresse, vt in tex. scilicet, quia expresit, se velle beneficium illud tali conferri, resignatione, vel quocunque modo vacauerit. glos. ver. vacauerit. nam vbi apparet de intentione concedentis, à qua rescriptum accipit vires, illa est sequenda. c. ad aures. extr. eod. Nec obstat, quòd renuntians quo ad ipsam Ecclesiam fingatur mortuus. vt in c. in apibus. §. ecce. 7. q. 1. & ideo videatur, quod vacatio per mortem comprehendat etiam vacationem per renuntiationem. Nam respondetur, quòd renuntians dicitur haberi pro mortuo, in quantum post cessionem non amplius administrat illud beneficium, nisi habeat nouam prouisionem, vt in d. §. ecce. nec in omnibus æquiparatur mortuo; nam talis posset de nouo ad Ecclesiam reassumi. c. ex transmissa. extr. de renunt. quod in mortuo esse non potest. & nunquam mors ciuilis comparatur naturali, nisi in casibus in iure expresis. l. ex ea parte. §. in insulam. ff. de verb. oblig.

ET ideo in litteris ad beneficia impetratis, vno expresso, non venit reliquum.

Quia

QVIA ex diuersis non fit illatio.l.Papinianus.ff.de minor. Et quãuis plenissima sit alias in beneficijs interpretatio facienda; litteræ tamen super obtinendis beneficijs impetratæ, debent (cum sint ambitiosæ) restringi.c.quamuis. il 1. infr. de præb. Ideo vbi beneficium impetratur per mortem alicuius, debet strictè intelligi de morte naturali, prout verbum sonat, non autem de morte ciuili, & ficta. glos. penult.hic.

Cap. 7. Gratia.

LICET ignorans beneficium sibi collatum, in impetratione alterius, illius mentionem non fecerit, valent litteræ.

QVIA talis non fuit in culpa, tacendo illud, quod nesciebat, cum nemo teneatur diuinare ea, quæ sunt facti. glos.hic ver.nescites. & not.in c.1.de cõstit.in 6. Et quoniam vbi non est culpa, quis non debet damnum sentire.c.cognoscentes.extr. de constitut. Ideo iusta ignorantia non debet obesse tali, qui de beneficio sibi collato non fecit mentionem in impetratione alterius beneficij. vt in tex. Et hoc habet locum in rescripto ad beneficium, in quo non tractatur de præiudicio tertij; nam in rescripto ad lites, vbi tractatur de præiudicio tertij, taciturnitas veri etiam in facto alieno, & per probabiliter illud ignorantem, vitiat rescriptum. Gemin. hic nu.4. Tunc enim deficit intentio rescribentis, qui non intendit alicui præiudicium inferre.c.licet.extr. de offic. ordinar. Et vltra intentionem rescribentis non se extendit rescriptum.c.ad aures.extr. eod. Præterea primum illud beneficium non fuit tali impetranti secundum, ante acceptationem, & ratihabitionem acquisitum.c.si tibi absenti, infr.de præb. Et de beneficio, quod quis nondum habet, nec scit se illud habiturum, non tenetur quis facere mentionem in rescripto ad aliud. Archid.hic nu.1.

ALTERVM tamen eliget, si de iure simul teneri non possunt.

QVIA licet talis probabilis ignorantia excuset à vitio subreptionis, vt dictum est superius, & not.in c.super litteris.extr.eod. non tamen inducit dispensationem contra Concilium, de quo habetur in c. de multa. extra de præbend. sicut nec etiam expressio beneficij, quod iam aliquis habet, dispensationem inducit, nec plus iuris tribuit, quam prius ille haberet. vt not. supra in cap. si gratiosè. sed tantum operatur, quod litteræ subreptitiæ non dicuntur.cap.non potest. infra de præbend.& glos.1. hic. Et quoniam plura beneficia, quæ de iure communi simul teneri non possunt, indigent ad illa retinenda, particulari dispensatione.vt in d.c. de multa. Ideo si talis impetrat secundum, quod non potest retineri sine dispensatione cum primo, vnum, vel alterum dimittere debet.vt in tex.

Cap.

Cap. 8. Quamuis.

SI restituatur quis ad gratiam reuocatam, sine alterius praiudicio intelligitur restitutus.

QVIA Papa non intendit alicui facere gratiam cum præiudicio tertij, nisi expresse hoc dicat. vt in tex & c. super eo. extr. de offic. deleg. Et quoniam rescriptum accipit vires ab intentione rescribentis. c. ad aures. extr. eo. Ideo talis restitutio sic est intelligẽda, vt alteri non faciat præiudicium. vt in tex. Non enim debet nasci inde iniuriarum occasio, vnde iura nascuntur. c. qualiter. il 1. extr. de accus.

VNDE alteri ante restitutionem impetranti, præferri non debet.

QVIA vbi vtriusque par est causa, qui prior est tempore, potior est iure. c. qui prior. & ibi glos. infr. de reg. iur. Vnde cum iste restitutus sit posterior, nam gratia prior ei non suffragatur, cum fuerit reuocata, & restitutio ad illam gratiam non intelligitur cũ præiudicio tertij, qui interim impetrauit, vt dictum est superius. Ideo eius gratia incipit valere à data vltimi rescripti; & sic tanquam posterior non debet præferri priori. glos. 1. hic. Et in quantum dicitur, quod restitutio est prioris status reparatio, & restitutus in pristinum ius recidit. C. de sent. pass. & l. quod si minor. §. restitutio. ff. de minor. Illud intelligitur in præiudicium restitutionem concedentis, non autem in præiudicium tertij, nisi hoc exprimatur. Gemin. hic nu. 5. Præterea ista gratia, de qua loquitur hic tex. est potius noua concessio, quam vera restitutio. glos. penult. hic. Ideo non obstant iura, quæ de vera restitutione loquuntur. Archid. hic in fin. Hodie verò huiusmodi mandata de prouidendo sunt sublata per Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 19.

Cap. 9. Si eo tempore.

IN litteris ad beneficia impetratis, inspicitur tempus datæ.

QVIA rescriptum accipit vires ab intentione rescribentis. vt supra in c. prox. Et quoniam non præsumitur, Papam rescribentem habuisse intentionem prouidendi alicui de beneficio, qui illo non sit dignus tempore, quo ei conceditur rescriptum. Archid. hic nu. 1. nisi dicat de certa scientia, & non obstantibus ætate, & quibuscunque. Gemin. hic nu. 6. Ideo si tempore datæ, quando per scripturam rescribens exprimit suam intentionem, impetrans erat inhabilis, rescriptum censetur subrepticium. Gemin. hic nu. 3. Vbi verò rescriptum continet aliquid, de quo non poterat fieri mentio tempore datæ; sed habet respectum ad casum, & qualitatem futuram, tunc respicitur tempus receptionis,

ptionis,& præsentationis litterarum, cum talis præsumatur tunc intentio rescribentis,ex eo, quod non poterat fieri mentio de eo, quod non erat.glos.2.in c.dilectus.il 2.extr.de præb. Et ideo non potest in tali casu argui rescriptum de subreptione. Zabar.in Clem.fin.num.fin.eod. vbi distinguit, quod attenditur data, quando consideratur rescriptum quo ad eius substantiam,& quo ad effectum intrinsecum; secus quando consideratur quo ad effectum extrinsecum,& ad conditionem futuram.

VNDE per illas beneficium curatum obtinere non poterit, qui licet nunc sit maior,illo tempore minor erat.

QVIA non firmatur tractu temporis,quod de iure ab initio non subsistit. c.non firmatur.infr.de reg.iur. exceptis casibus, in quibus in iure contrarium exprimitur.Archid.hic nu.2. Et quoniam talis impetratio ab initio fuit inualida,vt dictum est superius. Ideo non valet, etiam si deueniat postea ad eum casum, à quo rectè posset habere principium.Archid.d.nu.2.

Cap. 10. Si propter tua.

GRATIA generalis, non præiudicat speciali.

QVIA Princeps non intendit per suum rescriptum tollere ius tertij,nisi hoc exprimat.vt not.in c.quamuis.supra eod.Et quoniam per generalem gratiam non intelligitur aliquid expressum in præiudicium tertij; cum in generali concessione non veniant ea, quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus.c.in generali. infr. de reg.iur. Ideo per concesſionem generalem non intelligitur præiudicatum gratiæ speciali,& iuri alicui acquisito.vt in tex.

ET debet facere mentionem de præcedenti priuilegio, consuetudine, vel statuto.

QVIA cum ista sint quid facti,& in facto consistant,potest ea Princeps probabiliter ignorare.c.1. supr. de constit. Et quoniam non intelligitur concessum id, quod Princeps ignorat, cum ad illud sua intentio non feratur.c.ad aures.extr. eod. Ideo si de istis in litteris non fiat mentio, per rescriptum generale non intelligitur eis aliquod præiudicium generatum.vt in tex.& d.c.1.de constit.

Cap. 11. Statutum.

CAVSAE ab Apostolica Sede, vel eius Legato, committi debent dignitatem obtinentibus,vel canonicatum Ecclesiæ Cathedralis.

QVIA in deputandis iudicibus est habenda ratio publicæ, & priuatæ vtilitatis,vt illi scilicet deputentur, qui legum sint eruditi,

& causarum habeant experimentum, per quos præsumatur, iustitiam partibus esse administrandam. Authen. de iudicib. coll. 6. circa princ. Et qui non sint personæ viles, per quas redundaret ignominia in principem, cuius gerunt vices. glos. hic. ver. sedes. Et quoniam tales idonei magis præsumuntur reperiri inter dignitatem obtinentes, & inter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis. glos. hic. ver. canonicis. Nam quanto quis maioribus, & melioribus præest, tanto maior, & sanctior esse censetur. c. miramur. dist. 61. & Authen. de defens. ciuit. §. nos igitur. coll. 3. Ideo vt iudicium rectè administretur, & ne illud committatur personis vilibus, statuitur, vt causæ solum committantur dignitatem, vel canonicatum Cathedralis Ecclesiæ obtinentibus. vt in tex. & d. glos. ver. sedes. Si tamen ex certa scientia Papa committeret simplici clerico, tunc commissio valeret; cum certa scientia excludat vitium subreptionis. vt not. in c. si motu. infra de præb. Et Papa cum sit supra ius positiuum, intelligitur in tali casu constitutioni huic derogare. glos. hic. ver. litterarum. Certa autem scientia tunc dicitur adesse, quando ex litteris, vel per testes, illa clarè apparet, propter expressam notitiam facti, vel alio modo, licet non dicat explicite, committimus ex certa scientia. Gemin. hic nu. 11. Sed si non constat de hac eius scientia, tunc præsumitur talis commissio facta contra ius commune, subreptitie impetrata, & est de tali rescripto certiorandus Princeps, & eius secunda iussio expectanda. glos. in c. 1. ver. noscatur. de constitut. hoc lib. Episcopus tamen, & inferiores ordinarij possunt causas suas committere simplici clerico, dummodo audiat causam in ciuitate, aut alio honesto & insigni loco. Prima pars huius dicti patet ex hoc tex. nam ista constitutio non tangit Episcopos, & alios ordinarios, qui propria auctoritate committunt; vnde cum hoc non sit in iure cautum, remanet iuris communis dispositio, vt quilibet possit in causarum cognitione committere vices suas. arg. c. consuluisti. 2. q. 5. & Archid. hic nu. 2. Non prohibetur autem hoc ordinarijs, quia censentur particulariter cognoscere in eorum diœcesibus, quinam sint apti ad causas cognoscendas; & quia cum eorum delegati non gerant vices Apostolicæ Sedis, non ita requiritur persona grauis, cui committatur, sicut quando committitur à Papa, vel ab eius delegato, vt in persona delegati retineatur, plusquam potest, dignitas delegantis. Archid. d. nu. 2. Secunda pars huius dicti probatur in clem. quamuis. de for. compet. Nam si Episcopus in diœcesi aliena tenetur eligere locum insignem in casu, quo ibi procedere, & iudicare potest. vt in d. clem. quamuis. fortius debet hoc facere in propria, vbi habet liberam iurisdictionem vbique. Io. Vanquel hic in fin. quod tamen intellige, quando est talis causa, quæ pro sua discusione indiget iurisperitis; nam in parua causa, in qua esset summariè, & sine figura iudicij procedendum, tunc Episcopus posset illam committere in quolibet loco suæ diœcesis, quamuis minimo. Abb. in d. clem. quamuis. & vide quod nouissimè

mè sanciuit Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 10.

NEC tractari debent, nisi in ciuitatibus, vel locis insignibus.

QVIA in huiusmodi locis potest commode copia peritorum haberi: vt in tex. Et in causis est curandum iuxta earum exigentiam pro iustitia rectè administranda, vt aduocati, assessores, consiliarij, & alij ad illas pertinentes possint per iudicem, & partes haberi. l. 1 §. ait prætor. ff. de postul.

§. Cum vero.

ACTORE, & reo eiusdem diœcesis existentibus, causa committi non debet extra illam.

QVIA per superiorem est curandum, ne subditi in litibus nimium grauentur laboribus, & expensis. c. finem. extra de dol. & contum. Et quoniam eo magis labores, & expensas regulariter patiuntur litigantes, quo plus à proprijs domicilijs distant. Archid. hic nu. 5. Ideo in litigantium fauorem fuit prouisum, vt causa regulariter non committatur extra eorum diœcesim. vt in tex. & c. fi. extr. eod.

NISI in sex casibus hic expressis.

QVIA in his casibus litigantes, aut possunt habere suspectos iudices intra diœcesim, aut non est eis ibi locus tutus. Archid. hic nu. 8. Et quoniam iudicium sine suspicione procedere debet. c. quod suspecti. 3. q. 5. & l. apertissimi. C. de iudic. Et nemo est cogendus in loco, vbi de eius discrimine vitæ agitur, litigare. c. ex parte. il 1 extr. de appell. Ideo melius est obtinere iustitiam extra diœcesim cum aliquibus maioribus incommodis, & expensis, quam intra diœcesim iniustam reportare sententiam, vel propriam amittere vitam, vel saltem de his probabiliter suspicari, & continue timere; cum inter duo mala sit minus malum eligendum. c. duo mala. dist. 13.

IN quibus tamen non trahetur vltra vnam dietam.

QVIA licet olim quis posset trahi per duas dietas in casibus, in quibus causa extra diœcesim committebatur vt in cap. nonnulli. extr. eod. Tamen ad diminuendum litium labores, & expensas, Innocentius Quartus, per hanc suam constitutionem restrinxit terminum ad vnam dietam tantum. vt in tex. Et huic nouo, & posteriori iuri hodie standum est. glos. hic. ver. vnam. Computatur autem hæc dieta, non à loco habitationis rei conuenti, sed à fine diœcesis sui domicilij. vt in tex. nam per totam diœcesim, cum sit sub suo ordinario, reus non dicitur grauari. c. cũ Episcopus. infr. de off. ord. Ideo debet incipi dieta, vbi incipit noua iurisdictio. Franc. infr. in §. prox. nu. 2.

ET nisi in duobus vltimis casibus impetrans per iuramentum fidem fecerit de illis, repelletur à iudice.

QVIA sex casus hic enumerati sunt isti. Primus, quando aliquis impetrat rescriptum contra Episcopum. Secundus si contra Capitulum ipsius Episcopi. Tertius, si Episcopus impetrat contra aliquem de sua diœcesi. Quartus si aliquis impetrat rescriptum contra vniuersitatem alicuius ciuitatis, castri, aut villæ. Quintus si impetrans non audet intrare diœcesim suam, in qua etiam reus moratur. Sextus, si impetrans merito perhorrescit potentiam aduersarij. vt in tex. Vnde cũ quatuor primi casus appareant realiter, non potest circa illos impetrans aliquam cõmittere fraudẽ; sed circa duos vltimos, cum cõsistant in eius animo, posset sæpe ibi asserere timorẽ, vbi non est timor. Gemin. hic nu.8. Ideo ad euitandam fraudem, & mendacium, statuitur, vt impetrans saltem per proprium iuramentum fidem faciat iudici, se verè, & merito timere. vt in tex. Statur autem suo iuramento, si aliter non potest fieri fides de eius timore, quia non est verisimile, quod in hoc sit suæ salutis immemor. Archid. hic nu. 11. Nec tenetur iste causam timoris exprimere; nam etiam si sua culpa incidisset in timorem, excusatur; cum hic potius attendatur iustitia, & æquitas iudicis, quam factum ipsius delinquentis. Archid. nu.8. Debet tamen esse talis timor, qui caderet in constantem virum; nam vanus timor in iure non excusat. Archid. d. num.8.

ET in expensis condemnabitur.

QVIA regulare est, vt vbi aliquis temere trahit alterum ad iudicium, ei reficiat expensas. vt not. in c. dispendia. supr. eod.

§. Cum autem.

ACTOR contra reum diuersæ diœcesis, debet impetrare delegatum, vel in diœcesi rei, vel in alia non propria.

QVIA si actor posset impetrare iudicem in sua diœcesi, de qua non est reus, sæpe illum impetraret, vt reus fatigatus laboribus, & expensis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compelleretur c. nonnulli. extr. eod. Et quoniam vnde iura nascuntur; inde iniuriæ oriri non debent. l. meminerint. C. vnde vi. Ideo datur electio actori, vt impetret in diœcesi rei, vel in alia vicina, dummodo non sua; & succurritur reo, vt non patiatur incommodum litigandi extra diœcesim suam in diœcesi actoris. Francus hic in princ. Vt sic iusta sit compensatio, vt qui grauatur in vno, subleuetur in alio. c. 1. de paroch. ne claudice t iudicium, c. cum inter. de except.

NEC

NEC vltra vnam dietam distante.

QVIA iam est statutum ad diminuendum litium labores,& expensas,vt si actor,& reus sint eiusdem diœcesis, reus non possit trahi ad iudicem vltra vnam dietam. vt supra in §. prox. Et quoniam est eadem ratio etiam in casu,quo sunt diuersæ diœcesis,ne reus, scilicet,nimium incommodis fatigetur. Archid. hic nu.9. Ideo etiam in tali casu debet statui idem ius.l.illud.ff.ad leg.Aquil. An autem ista dieta computanda sit legaliter, scilicet, vt viginti milliaria computentur pro vna dieta. vt l. vicena. ff.si quis cau. An vulgariter, scilicet, secundum regionis consuetudinem. Dic,vt not.in d.c.nonnulli.extr.eod.& in c.cupientes.,infr. de elect. & quod de vulgaribus intelligi debeat, probatur in c.præsenti.§.loca.infr.de præb.glos.hic.ver.vnam.

§. In nullo.

DELEGATVS extra locum commissionis,nec partes citare,nec causam cognoscere potest sine expresso partium consensu.

QVIA forma delegationis non est alteranda; cum delegantis mãdatum sit diligenter obseruandum.glos. 1.in c.statuimus.infra de offic. deleg. Et quoniam vbi forma rescripti se restringit ad certum locum,si vltra illum locum,delegatus procederet,non obseruaret formam mandati. glos. hic. ver. deputatus. Ideo iudex deputatus intra ciuitatem, seu diœcesim, extra illas iurisdictionem exercere non debet.vt in tex. Conceditur tamen,vt partes per expressum earum consensum possint illius iurisdictionem etiam extra locum deputatum dilatare.vt in tex. quia cum talis locus sit restrictus ad ipsarum fauorem.vt not.supra in §.cum verò, Quilibet permittitur, vt fauori suo renunciare possit.c. ad Apostolicam.extr.de regul.

NEC subdelegare locis,vel personis alijs,quam hic expressis.

QVIA subrogatus sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur.§.fuerat. Instit.de action. Ideo qualitas requisita in delegato respectu personæ, vel loci, de quibus hic habetur in tex. requiritur etiam in eius subdelegato, qui eius vices,& naturam gerit,& in quibus est eadem ratio.Francus hic nu.2.

§. Insuper.

DELEGATVS nihil debet à partibus recipere.

QVIA iudicium siue iustum,siue iniustum vendere non licet. c.non licet.11.q.3.Et quoniam ab omni specie mali, præcipit Apostolus,esse abstinendum.c.cum ab omni.extr.de vita,& honest. cler. Ideo,

vt iu-

vt iudicium cum omni puritate coram delegato procedat, & venditionis absit iniquitas, illud gratis iudex præstare debet. vt in tex. & vide S. Tho. 2. 2. q. 100. artic. 5.

NISI esculentum, & poculentum libere oblatum, quod paucis possit consumi diebus.

QVIA talia xenia non sunt lucra. l. solet. ff de offic. proconf. & tolerantur, quia non est verisimile, quod propter illa moueatur animus iudicantis. c. & si quæstiones. extr. de simon. Sicut etiam pro modica re non datur actio de dolo; cum non sit verisimile, quod in re modica adhibeatur dolus. l. si oleum. & sequen. ff. de dolo mal. Et de modico non est curandum. c. re vera in princ. & ibi glos. ver. mortui. de consecr. dist. 2. Et hoc intellige, quando libere offeruntur. vt in tex. Nam non debet iudex ista exigere, sed oblata non prohibetur accipere; cum liberalitas offerentis tollat suspicionem, quam etiam in re modica, instantia induceret petentis. Francus hic nu. 2. & Gemin. nu. 4.

VEL moderatas expensas; si non sunt pauperes, quando pro necessitate, vel vtilitate, non malitiosè extra domicilium pergeret.

QVIA nemo tenetur proprijs stipendijs militare. 13. q. 1. c. vnic. §. his itaque. Ideo ne delegato sit damnosa ista profectio, quam facit occasione causæ, debent ei partes administrare moderatas expensas, quas ei conuenit extra suum domicilium facere. vt in tex. nec deducuntur expensæ, quas domi esset facturus. Gemin. hic nu. 8. secus est in iudice ordinario, quia ipse habet salarium à publico §. illud. Authen. de mand. princ. col. 3. Si verò vna pars esset pauper, vel essent pauperes ambæ; tunc pars abundans non soluet totum, sed suam partem tantum; pauper verò nihil soluet; sed aliam partem administrabit de suo ipse iudex, si potest, sicut etiam quando ambæ partes sunt pauperes. glos. 3. in c. cum ab omni. extr. de vita, & honest. cler. ex quo enim causam acceptauit, sibi imputet, si non præuidit ea, quæ præuidenda erant. arg. l. 1. §. quæsitum. ff. de separat. Si verò ipse non habet, vnde istas possit facere expensas, remittet negotium ad superiorem, se excusando. arg. c. si quando. extr. eod. Gemin. hic in fin. Si verò abest, non principaliter propter causam sibi delegatam, sed propter alia negotia; tunc non debet habere expensas. glos. hic. ver. propter. Nam non potest tunc dici, quod sit absens propter causam, licet talis absentia coadiuuet causæ; Cum illud sit inspiciendum, quod principaliter intenditur, non autem quod per accidens venit. l. non verè. & ibi glos. & l. reipublicæ. ff. ex quib. caus. maior.

§. Assessorem.

DELEGATVS, nisi indigeat, non assumat assessorem.

QVIA aliqui iudices quandoque fraudulenter sibi assumebant assessores, vt in tex. Et hoc faciebant, vel vt partes grauarent, vel alteram earum; vel vt amicis seruirent, vel vt lucrum participarent, vel vt seipsos exonerarent, quæ facere non debent. c. pastoralis. in princ. extra de offic. deleg. & glos. hic. ver. fraudulenter. Et quoniam fraudibus non est indulgendum. c. sedes. extr. eod. Ideo statuitur, vt si delegatus non indigeat assessore, non assumat illum. vt in tex. Si verò eo indigeat, potest eum assumere, vt sibi in causæ cognitione assistat, & ipsum ad rectè iudicandum instruat, ne sibi imprudentia imputetur, & ex ea puniatur, quod fieri posset; nam iudex tenetur ex quasi maleficio, in quantum bonum, & æquum superiori visum fuerit. Instit. de obligat. quæ ex quas del. nasc. in princ. & Specul. in tit. de assessore. §. 1. & §. salarium.

ALIAS, de suo illi prouideat.

QVIA cum talis assessor tunc non interueniat in causa ad vtilitatem partium. vt in tex. illæ non sunt in expensis indebitis aggrauandæ. arg. c. cum te. extr. de offic. deleg. Et quoniam assessor, non tenetur sine præmio assistere, & consiliari. l. 1. C. de assess. Ideo iudex, qui ad suum placitum, non ad commodum partium, illum adhibuit, sibi imputet, si de suo tenetur satisfacere illi. arg. d. l. penult. de separat. An autem iudex indigeat assessore, vel non, relinquitur conscientiæ suæ. vt in text. Vnde si ipse dicat, se illo indigere, potest illum assumere, etiam inuitis partibus, licet conueniens sit, vt de assensu partium eligat illum. Specul. d. tit. de assess. §. & igitur. Et cum hoc relinquatur conscientiæ iudicis, non possunt partes reclamare, & ei referre quæstionem, dicendo; quod assessore non egeat; nam quando aliquid est remissum conscientiæ alicuius, nullus alius, sed solus Deus est iudex. glos. hic. ver. relinquatur. & glos. in c. significasti. il 1. ver. si est ita. extr. de homicid. Si tamen conscientia appareret euidenter erronea in re magni præiudicij, posset haberi recursus ad superiorem, non per viam appellationis, & iustitiæ; sed per viam supplicationis, & gratiæ, vt emendet, quod male factum est; cum conscientia debeat esse regulata, & non erronea; nec debet magnũ præiudicium alteri inferre. Francus hic nu. 6. Est autem notandum, quod conscientiæ attribuuntur tria officia. Primum est testificari, iuxta illud Apost. ad Rom. cap. 2. Testimonium reddente illis conscientia. Secundum est instigare, & ligare, quando dictat aliquid faciendum, vel omittendum sub pęna peccati mortalis, tunc ligat sic, quod stante tali dictamine, peccat mortaliter, se difformando illi, & venialiter, si dictet

ſub pęna peccati venialis; vt dicit gloſ. ad Rom.14.ſuper illud: Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. vbi gloſ. Qui facit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. Quia ſecundum Damaſcenum: Conſcientia eſt lex priuata hominis; ſed facere contra legem, peccatum eſt, ergo & facere contra conſcientiam. Viguerius cap.3.nu.46.

SI eget, non ſuſpectum partibus aſſumet.

QVIA in iudicijs æqualitas eſt ſeruanda. c.qualiter.il 1.extr. de accuſat. Et quoniam aſſeſſor eſt conſiliarius iudicis, & poſſet prauo conſilio peruertere illum.l.1.C. de aſſeſſor. Ideo ne iniuriæ inde naſcantur, vnde iura oriri debent. d.c.qualiter. Curandum eſt, vt conſilium, & inſtructio præſtetur ab eo, qui non habeat paſsionem in cauſa, ex qua iudicis quærat corrumpere animum. Specul.in tit.de aſſeſſor.§. debet.& Decius conſil.8.nu.2.

CVM moderato ſalario à partibus ſoluendo.

QVIA vnicuique iuxta laborem eſt merces conſtituenda. c.charitatem.12.q.2. cum nemo teneatur proprijs ſtipendijs militare.c. c.cum ex officij.extr. de præſcript. Et quoniam rectum conſilium vendere licet.c.non licet iudici.11.q.3. Et ille tenetur ſoluere mercedem, qui de tali labore commodum ſentit. c. qui ſentit.infr. de reg.iur. Ideo cum iſte aſſeſſor aſſumatur ad negotium vtrique parti commune. ſupr. §. prox. ab eiſdem partibus eſt ei de ſalario communiter prouidendum. vt in tex.& gloſ.hic.ver. competenti.

§. Notarium.

DELEGATVS taxare debet ſalarium Notariorum.

QVIA ſicut ad iudicem etiam delegatum ſpectat ſibi in cauſa eligere Notarium, vt fideliter cuncta iudicij acta conſcribat.c. quoniam.extr.de probat. qui tamen non debet eſſe ſuſpectus alicui parti. ſupr.§. prox. Ita debet ad eundem iudicem ſpectare, illi conſtituere, & taxare ſalarium; nam cum cauſa ſit ei commiſſa, ſuper omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem. c. præterea.extr.de offic. deleg. Et cum ad eum ſpectet principale, debet ſpectare etiam acceſſorium.c.acceſſorium.infr.de reg. iur. Et cum Notarij, vt plurimum, in exigendo ſalario metas rationis excedant; ideo debet iudex eos prudenter refrænare.vt in tex.

NEC participare debet cum ipſis, vel aſſeſſoribus in ſalario.

QVIA licet Notarius, & aſſeſſor poſsint pro eorum mercede moderatum recipere ſalarium.vt ſuperius not.Iudex tamen aliquid, præter eſculentum, & poculentum liberè oblatum, à partibus recipe-

cipere prohibetur.vt supra in §.insuper. Cum nec iustum iudicium vendere liceat.c.cum ab omni.extr.de vita,& honest.cler.Et quoniam,cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia admitti non debet. c. cum quid.infr.de reg.iur. Ideo sicut iudex non potest recipere tale lucrum nomine proprio, ita non debet illud recipere sub nomine alterius, vel participando cum alio.vt in tex.& d.c.cum ab omni.

§. Si quid.

DELEGATVS recipiens aliquid contra probibitionem huius capituli,tenetur restituere.

QVIA nemo debet contra iura mercari. c.qui contra.infr. de reg. iur. Vnde qui recipit contra ius,iniuste detinet.l.non videntur.ff. de reg.iur. Et quoniam, qui iniuste detinet, ad restitutionem tenetur; nam non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.c.cum tu. extr. de vsur. Ideo si iudex recipit aliquid, vbi à iure prohibetur, illud restituere debet. vt in tex. & c.quia sæpe.infr.de elect. Turpiter enim accipit,cum ad id gratis teneatur.glos.in l.4.§.penult.ver.repeti.ff.de cond. ob turp.caus.

NON obstante dantis remissione.

QVIA licet regulariter nihil tam conueniens sit naturali æquitati,quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.§.per traditionem. Institut.de rer.diuis. Hoc tamen fallit, quando ius exprimit, & prohibet remissionem; nam tunc ad publicum bonum,& ad obuiandum delictis, est potius attendenda prohibitio legis,quàm voluntas dantis.glos.hic.ver. remissione. & Gemin.num.1.

§. Pro ferendo.

DELEGATVS non debet vocare testes, nisi statu causæ requirente.

QVIA iudex non solum debet parcere laboribus, & expensis partium.c.finem.extr.de dolo,& contum. sed etiam testium.glos.hic. ver. expensis. Et quoniam aliqui prætextu ferendi testimonij, fraudulenter alios à iudicibus interdum vocari procurarent, vt eos laboribus,& expensis fatigarent, aut aliquid extorquerent ab eis. vt in tex. Ideo ad obuiandum talium malitijs, & ad testium indemnitatem seruandam, statuitur, vt iudex nullum vllatenus conuocet ad testificandum,nisi quando conditio, & status causæ requirunt. vt in tex. & l. quoniam liberi.C.de testib.

ET producens, illis administrare debet expensas in veniendo, stando, & redeundo.

QVIA licet testis non sit pretio conducendus. c. 1. extr. de testib. est tamen prouidendum, ne proprijs militet stipendijs. vt not. supra in §. assessorem, & ibi glos. ver. competenti. Ideo sunt ei competentes expensæ ministrandæ, vt in tex. Et licet testis debeat pro vtraque parte dicere veritatem. c. 1. extr. de testib. cogen. Et vbi aliquid cõcernit commune negotium iudiciale, vtraque pars debeat conferre expensas. supr. in c. insuper. nihilominus in isto casu solum producens tenetur ei prouidere. vt in tex. quia, licet testis debeat pro vtraque parte dicere veritatem; non tamen principaliter ille, qui eum producit, tendit ad hoc; sed tendit, vt probet intentum suum; & ideo debet illi prouidere; secus est in iudice, & assessore, qui principaliter intendunt negotio communi. Et nos debemus potius inspicere id, quod principaliter fit, quam id, quod fit in consequentiam. vt not. glos. fin. in c. quamuis. infr. de pact. Et sicut pars producens procurat suos testes, ita altera pars volens producere testes reprobatorios, habebit eis prouidere in necessarijs. Gemin. hic nu. 3. Si autem idem testis, vel testes producantur ab vtraque parte, tunc vtraque pars tenetur conferre in expensis. Bald. in l. eos. §. si quidem. in fin. C. de appellat. Et de expensis testium, vide per Io. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de testib. §. qualiter. super ver. testes autem. Et deberent habere vecturas equorum, si personarum qualitas hoc requirit. vt not. in l. idemque. §. idem Labeo. ff. mand. & Bald. in l. quoniam liberi. in princ. C. de testib. Sed an testis possit petere salarium, vel emendationem damni, quod patitur ratione temporis positi in eundo, stando, & redeundo? tex. hic facit, quòd non, quia solum dicitur, quod habeat expẽsas, ergo alia videtur prohibuisse. arg. c. nõne. extr. de præsumpt. & sic alia damna non veniunt. & ita not. Bald. in l fin. in fin. C. de fruct. & lit. expens. Quod dictũ est menti tenendũ, nam multoties erratur in hoc; & diceretur testis corruptus, ex quo reciperet cõtra prohibitionem iuris; & eius dictum non probaret. l. 1. ff. de fals. Francus hic. num. 4.

§. Quicquid.

GESTA contra hanc decretalem, sunt ipso iure nulla.

QVIA licet factum contra legem, etiam specialiter prohibentem, non sit ipso iure nullum, sed sit per exceptionem annullandum, nisi aliud in ipsa lege exprimatur; & ex eo, quod ille facit contra legem, sit puniendus. glos. in Clem. 1. ver. inhibentes. de iurepatr. & Gemin. hic. Vbi tamen lex non solum prohibet, sed etiam perpetuam prohibitionis causam apponit, & declarat illud esse ipso iure nullum, etiam si exce-

si exceptio non opponatur, factum illud nullo modo tenet. d. glos. in d. Clem. & glos. in l. non dubium. ver. ob id. C. de legib. & glos. in c. quæ contra. infr. de reg. iur. Ideo cum hic exprimatur irritum, & inane ipso iure, quicquid fuerit factum contra hanc decretalem, etiam si exceptio non opponatur, illud non tenet. vt in tex. & glos. fin. hic.

Cap. 12. Tibi, qui.

SOLA præuenta præsentatio, & receptio in canonicum secundi impetrantis in eadem Ecclesia, non excludit primum impetrantem à præbenda vacante tempore suæ receptionis; vel postea vacante ante suam receptionem, vel præsentationem; & hoc, si per processum executoris, vel interpositionem decreti pro primo impetrante affecta extiterat.

QVIA in beneficijs gratia est ex parte concedentis, non autem ex parte exequentis, vel in possessionem mittentis. vt not. in c. capitulum sanctæ Crucis. extr. eod. Et in exequenda gratia est attendenda intentio rescribentis. c. cum aliquibus. extr. eod. & est inspiciendum tempus datæ. c. si eo tempore. extr. eod. Ideo cum ipsi primo impetranti sit primo ius acquisitum ad præbendam propter intentionē mandantis; quando non inuenitur factum completum in persona secundo impetrantis, licet secundo impetrans fuerit receptus in Canonicum, non tamen est præferendus ad præbendam vacantem illi, qui primo litteras impetrauit. Archid. hic nu. 1. Vt sic, qui prior est tempore, potior sit iure. c. qui prior. infr. de reg. iur. Hodie verò mandata de prouidendo, & gratias expectatiuas omnino sustulit Concil. Trid. sess. 24. de reformat. cap. 19.

NISI dolo, vel negligentia, excluderetur ab eadem.

QVIA sibi imputet, qui malitiosè, vel negligenter abutitur gratia principis; & paruifacit illam, quam revereri, & æstimare deberet. glos. in c. imputari. infr. de reg. iur. Quando autem aliquis dicatur negligens, arbitrio iudicis est relinquendum. glos. in c. si clericus. ver. negligenter. infr. de præb.

Cap. 13. Si pro te.

SI primo sub conditione prouideri mandatur, & secundus purè impetrans, priusquam veniat conditio, à Papa, vel executore suo, canonicatum obtineat, in assecutione præbendæ primo præfertur.

QVIA omne ius impetrantis sub conditione, trahitur ad diem conditionis existentis. glos. fin. hic, & glos. in Clemen. vnic. ver. exe-

cutorem.de conceff. præb. Sed fecundus impetrans habebat ius ad rem per fuam impetrationem,antequam exifteret conditio. fupr. c. proxim. Ideo cenfetur prior impetrans,& fic præferendus. Gemin.hic nu.6. Et quando dicitur,quod primo impetrans eft præferendus,& quod in gratia attenditur tempus datæ, intelligitur, quando vtriufque gratia eft pura; fecus quando vna eft conditionalis,& altera pura.Francus hic in fin.Nam conditionalis nō trahitur ad tempus datæ, fed ad tempus exiftentis conditionis,vt fuperius dictum eft. Talia autem mandata de prouidendo funt hodie fublata per Concil.Trid. vt not.fupr.in c.prox.

Cap. 14. Duobus.

DVO, vel plures in eadem Ecclefia impetrantes, fi de prioritate, vel pofteritate non apparet, ius potentius præponderat alteri.

QVIA duo vincula magis ligant,quam vnum.c.1.extr. de treug.& pac. Et quoniam ille,qui habet ius potentius, non folum habet quid æquale alteri,fed etiam habet illud plus,per quod præponderat ei. Gemin.hic nu.5. Ideo, fi in reliquis gratia fit obfcura, verifimilius eft, eam effe concedentis voluntatem,vt ad gratiam obtinendam,melior fit conditio potentius ius habentis.c.infpicimus.& c.in pari.& ibi glof. infra de reg. iur.

ET fi de hoc non apparet; quia vtrunque ius eft æquale, ille præfertur,qui primo præfentat.

QVIA vigilantibus,& diligentibus,non autem pigris,& dormientibus iura fubuenire folent.l.pupillus.ff.quæ in fraud.cred. Ideo, ftante parilitate datæ,illi,qui magis folicitus fuit in præfentando,iura in dubio voluerunt fauere.Gemin.hic nu.2.

ET fi in præfentatione concurrunt, locus eft gratificationi fiendæ per ordinarium.

QVIA ex quo Papa grauat ordinarium, conferendo, vel mandando conferri beneficium in eius Ecclefia.c.mandatum.extr.eod.voluit ei gratificare, & eius grauamen in hoc fubleuare, vt, cæteris paribus,per eum electus alteri præferatur.Gemin.hic nu.8.

ET electione de vno facta in via gratificationis, ius alterius cenfetur extinctum.

QVIA in dubio non præfumitur, quod Papa velit eandem Ecclefiam grauare fuper receptione duorum beneficiandorum. d.cap. mandatum. Ideo cum iam fit vnus prouifus, alter debet carere impetratis. vt in tex.

NISI

NISI de mente Papæ scribentis aliud appareat.

QVIA in claris non egemus coniecturis.l.continuus.§. cum ita.ff. de verbor. oblig. Vnde si ex tenore litterarum expresse apparet; quod vtrique ipsorum Papa voluit prouidere, tunc eius mandato est obtemperandum.vt in tex. Nam Papa,cum sit ordinarius omnium. c.cuncta. 9. q.3. potest omnia beneficia conferre, licet regulariter hoc non faciat,ne nimium præiudicetur cæteris Episcopis, & particularibus diœcesum ordinariis,vt not.in d.c.mandatum. Hæc autem mandata de prouidendo sunt sublata hodie per Concil.Trid.sess.24. de reform.c.19. vt dictum est supra in c.prox.

Cap. 15. Quia.

OMNES indulgentiæ concessæ à Bonifacio, vel suis prædecessoribus; clericis,de percipiendis perpetuò fructus suorum beneficiorum in absentia,sunt reuocatæ.

QVIA per ambitiosam importunitatẽ petentium, isti Summi Pontifices indulgentias perpetuas multis concesserunt de percipiendis fructibus beneficiorum suorum (distributionibus quotidianis duntaxat exceptis) siue in scholis essent,siue in Ecclesiarum suarum altera residerent, aut in Romana Curia moram traherent, seu alio certo loco, vel etiam vbicunque. vt in tex. Et quoniam per huiusmodi concessiones vagandi insolentiæ oriebantur, & dissolutionis præparabatur materia,cultusq. diuinus minuebatur,qui desiderãdus est, vt augeatur, & officium plerunque (propter quod beneficium ecclesiasticum datur) omittebatur.vt in tex. Ideo iste Summus Pontifex Innocẽtius Quartus, volens emendare præterita,& quantum potest aduersus futura cauere; omnes huiusmodi,& similes indulgentias (personis,non ecclesijs,vel dignitatibus datas) per hanc constitutionem penitus reuocat. vt in tex. & vide Concil.Trid.sess.5.de reform.c.1.

ET profitetur Papa,se illas in posterum non daturum.

QVIA digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.l.digna vox.C. de legib. Vnde cum ipse ediderit hanc constitutionem, benefacit offerendo se illam seruaturum. vt in tex. Tamen si tales indulgentias de nouo concederet, valerent,quia non potuit sibi legem imponere, à qua ei recedere non liceret.ad hoc.ff.de legat.3.l.si quis.in princ.& ff.pro soc.l.si fratres.§. idem respondit. Et primam constitutionem tollit per secundam, licet de prima non faciat mentionem. c.1. de constitut.hoc lib. & glos.penult. hic. Quodq. sibi licere non patitur, iste Summus Pontifex suis successoribus indicat.vt in tex.nam propter easdem causas,quæ ipsum induxerunt ad

hanc

hanc constitutionem edendam, dignum est, vt eius successores inducantur ad illam conseruandam.arg.c.cum dilecta.extr.de confirm. vtil. vel inutil. Dicit autem,se indicare, non autem præcipere; quia par in parem non habet imperium ad præcipiendum. glos.fin.hic. Et Papa, qui succedit,non reuocando ius antecessoris, censetur illud approbare. Gemin. hic in fin.

In Clement. Cap. 1. Abbates.

MAIOR prælatus pro membris suis (etiam si sunt de mensa) reum conuenire non potest per rescriptum Apostolicum, nisi vbi possent administratores membrorum.



QVIA cum alias sit in iure statutum,quod si actor,& reus sunt eiusdem diœcesis, actor impetret in diœcesi, de qua sunt. Si verò sunt diuersarum, quod actor impetret, vel in diœcesi rei, vel in propinqua per dietam, & quod in sua propria actor tunc impetrare non possit. vt in c. statutum.§.cum autem.supra eod.in 6. Et hoc est introductum in fauorem rei,ne nimium fatigetur laboribus, & expensis. vt not. in d.§.cum autem. Et quoniam aliqui fraudulenter,& præcipuè religiosi impetrabant sub nomine eorum religionis ad excludendam diœcesim rei; puta, si prior alicuius domus Bononiensis impetrare volebat, habebat necesse impetrare Bononiæ; sed si plus expediebat, vel placebat ei me conuenire Ferrariæ,impetrabatur ibi rescriptum sub nomine maioris,puta Camaldulensis,Cisterciensis,Carthusiensis,& similis, cui suberat illa domus; & sic quasi actor,& reus essent diuersarum diœcesum, fiebat commissio in loco vicino diœcesis Bononiensis intra dietam ad excludendam diœcesim rei. Eodem modo,si domus erat Ferrariæ,me Bononiensem conueniebat Ferrariæ ipse maior, quod prior loci non po tuisset. glos.1.hic. Ideo ad excludendam istam fraudem, per quam reus indebitè defatigabatur,fuit per hanc Clementinam declaratum, vt maior prælatus non posit reum conuenire, nisi vbi possent speciales administratores membrorum. vt in tex. Et licet de religiosis loquatur, idem tamen est intelligendum etiam de sæcularibus, qui simili modo præessent. Est enim in vtrisque eadem ratio.Zabar.hic num.1.Ideo debet esse idem ius. l. illud. ff. ad leg. Aquil. Sed quia in sæcularibus id erat rarum,& in religiosis frequens; ideo loquitur de istis, & non de illis.glos.hic.ver.præsidentes.

CONTRAFACIENS in expensis,& interesse punitur.

Quia

QVIA regulare est, vt victus, qui non habuit probabilem causam litigandi, condemnetur victori in expensis, & interesse litis, in eius temeritatis pœnam, & in releuamen victoris, qui fuit indebite fatigatus. glos. in c. finem. ver. expensas. extr. de dol. & contum.

ET processus est irritus.

QVIA in pœnam istorum, qui temerè contra hanc constitutionem venire præsumunt, non solum statuitur, quòd eorum processus sit annullandus ope exceptionis, sicut regulariter fit de gestis contra legem simpliciter illa prohibentem. vt not. supra eod. in c. statutum. in fin. in 6. Sed etiam declaratur, quod sit ipso iure nullus. vt in tex. quæ verba important canonem latæ sententiæ, & non ferendæ, & reddunt actum gestum irritum, & nullum sine ope exceptionis. glos. fin. hic. & glos. 1. in c. 1. supra eod. in 6.

Cap. 2. Et si principalis.

PRINCIPALIS officialis Episcopi, & prior conuentualis, licet obedientiarius, delegari possunt à Papa.

QVIA isti dicuntur esse in dignitate constituti. glos. hic. ver. delegatus. Et personis in dignitate constitutis solent à Sede Apostolica causæ delegari. c. statutum. in princ. eod. in 6. Nec obstat, quod istorum dignitas sit ab alio dependens, & non sit perpetua; quia sufficit, quod aliquis sit in dignitate tempore, quo ei causa committitur; glos. hic. ver. per electionem. Nec est curandum, an illa sit dependens, vel principalis, perpetua, vel temporalis. Anchar. hic nu. 1. Talis enim dignitas in delegato consideratur ratione temporis præsentis potius, quàm futuri. Barbat. hic in princ.

OFFICIALIS verò foraneus, vel prior claustralis, non.

QVIA officialis foraneus, qui constituitur ab Episcopo in certa parte diœcesis, vt ibi eius vices gerat, non constituit vnum consistorium cum Episcopo, sicut constituit vicarius generalis; nec habet iurisdictionem ordinariam, sicut habet generalis; sed habet delegatam; vnde ab eo appellatur ad Episcopum. glos. hic. ver. foraneo. Ideo non est in dignitate, vt sint ei committendæ causæ à Sede Apostolica, sicut committuntur vicario generali. Abb. hic nu. 11. Et prior claustralis, qui constituitur tantùm, vt præsit claustro, habet in eodem monasterio Abbatem supra se, ad quem pertinet immediatè cura totius monasterij. Abb. hic nu. 6. Ideo non est in dignitate, vt ei committantur causæ, sicut cõmittuntur priori conuentuali, qui dum est in loco prioratus, est principale caput monasterij, & in quibusdam à regula absolutus. Anchar. hic nu. 9. & vide Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 10.

Cap.

Cap. 3. Auditor.

AVDITOR in Romana Curia deputatus à Papa, de beneficio, quod pronuntiabit alicui de iure fore debitum, poterit illi, absque commissione alia prouidere.

QVIA, vt euitetur circuitus, qui esset, si oporteret ad Papam redire pro noua commissione, vel pro collatione ad ipsum, vel ad alium executorem; ex æquitate per hanc constitutionem statuitur, vt auditor in Curia habeat hanc potestatem prouidendi, vt in tex. cum glos. ver. circuitus. Auditori verò extra curiam non datur hæc potestas prouidendi, absque alia commissione; quia cum alibi non procedant Auditores, causam conferendo cum alijs Auditoribus, sicut fit in Romana curia, (loquitur enim hæc decretalis de Auditoribus palatij, qui solent simul dubia conferre) circuitus in eis non est inutilis, vt ad Papam reuertatur prò noua commissione; nam posset eorum factum reuocari, & rursus causa committi, vt plenius cognosceretur; quod non fit de re cognita ab Auditore in curia; cum verisimile non sit, Papam reuocaturum factum per collegium Auditorum. Ideo in curia circuitus in talibus esset inutilis, quod non est extra curiam; & circuitus inutilis est euitandus, non autem vtilis, & qui potest bonum parere effectum. Zabar. hic nu. 1. & 11.

Cap. 4. Gratiæ.

EXPECTANS beneficium, perdit gratiã, si consequitur aliud, quod cum illo, quod expectat, de iure tenere non potest.

QVIA in iuribus incompatibilibus acceptatio vnius inducit tacitam renuntiationem alterius. cap. vt quis duas. de elect. in 6. & Anchar. hic nu. 4. Sicut de illo, qui potest rumpere testamentum per querelam; nam recipiendo legatum, ex eo tacitè querelæ renunciat. vt in l. si pars. §. fin. & l. fin. ff. de inoff. testam. Vnde sicut per acquisitionem secundæ dignitatis, vel beneficij curati, vacat primum tale, ipso iure. vt in c. de multa. de præb. Ita vacat gratia, quam quis habet ad tale beneficium obtinendum; nam si perditur ius in re, quod est potentius, multo magis ius ad rem, quod est debilius. c. quodam. de præb. in 6. Ideo cum tale secundum beneficium pacifice assecutum, de iure simul retineri non posit cum dignitate, vel beneficio, quod iste expectabat, per acceptationem secundi, gratiæ primi renuntiasse videtur. vt in tex. & Anchar. hic num. 6. Sed hodie gratias, quæ expectatiuæ dicuntur, omnino sustulit Concil. Trid. sess. 24. de reform. c. 19.

Cap.

Cap. 5. Litteras.

GRATIA super vacaturo,non comprehendit beneficium post datam in substantia creatum.

QVIA in rescriptis debet attendi intentio mandantis.c.quia sæpe de præb.in 6. Sed de beneficio non extante tempore datæ, non videtur cogitasse mandans.arg.c. cum inter.extr. de renunt. Non entis enim nullæ sunt qualitates.l.eius qui.ff.si cert. pet. Ideo ad tale beneficium non extenditur rescriptum. vt in tex. Quod etiam non venit extendendum,cum sit odiosum.c.quamuis.eod.in 6. Et simile est in rescriptis contentiosis, quæ non extenduntur ad lites post datam rescripti exortas.c.fin.extr.eod. Ex alia etiam ratione,talis gratia non comprehendit beneficium post datam rescripti creatum, scilicet, ne fundatores retrahantur à beneficijs creandis,sicut fieret,si viderent illa quasi debita ab alijs impetrata. glos.fin.hic. Sicut enim voluit æquitas, beneficiũ permutatione vacans expectanti non deberi; quia forsan aliàs vacaturum non fuisset.c.vnic.de rer. permut. in 6. ita voluit non deberi beneficium nouiter creatum, licet vacet, quia aliàs forsan creatum non fuisset.d.glos.fin. hic. Gratiæ autem expectatiuæ, & mandata de prouidendo sunt hodie sublata per Concil.Trid.vt dictum est supra in c.prox.

Liber primus. Titulus Quartus.

DE CONSVETVDINE.

In Decretal. Cap.1.Consuetudines.

CONSVETVDO inferens grauamen ecclesijs, debet iudicis officio tolli.



VIA consuetudo,vt sit seruanda,debet esse rationabilis; nam cum illa sit ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur,cum deficit lex.c.consuetudo. dist.1. sicut lex debet esse rationabilis,& religioni conuenire.d. c. consuetudo; ita talis debet esse consuetudo,vt habeat vim legis, aliàs est potius dicenda corruptela,& extirpari, non seruari debet. infr.c.fin. Et quoniam consuetudo grauosa Ecclesijs,est contra religionem debitam Deo, & Sanctis, & sic repugnat rationi, & fini æterno. Abb.hic nu.1. Ideo iudex ex officio debet illam extirpare. vt in tex. nam iudex tenetur prouidere diuino

honori, & indemnitati ecclesiarum. c.nouit. de iudic. Summa enim est ratio, quæ pro religione facit. l. sunt personæ.ff. de relig. & sumpt.fun. Vnde omnes debent religioni fauere, sed præcipuè ex officio tenentur illi, qui ad iustitiam administrandam, sunt assumpti.c.iudicet. & c.infames.3.q.7.& c.Rex debet.23.q.5.

Cap.2. Ex litteris.

EX consuetudine potest introduci actus, siue solemnitas, per quam sine apprehensione reali transferatur possessio rei absentis.

QVIA licet dicatur possessio, quasi pedum positio; nam tunc naturaliter habetur, cum res pedibus calcatur.l.1.ff. de acquir. possess. Ius tamen positiuum introduxit diuersos actus in signum traditæ possessionis, quos facit æquiualere possessioni naturali, vt multos de illis enumerat glos.fin.hic. Et quoniam consuetudo est altera lex. vt supr.in c.prox. Ideo sicut artificio iuris scripti transfertur possessio in multis casibus sine apprehensione naturali; ita potest hoc facere consuetudo, inducendo aliquem actum, & solemnitatem in signum traditæ possessionis. vt in tex.

Cap.3. Ad audientiam.

NON valet consuetudo, vt in causis ecclesiasticis dictum populi pro sententia teneatur.

QVIA consuetudo, quæ canonicis obuiat institutis, nullius debet esse momenti, vt in tex. Et quoniam obuiat canonicis institutis, vt populus se intromittat tanquam superior in causis ecclesiasticis; cum laicis super ecclesijs, & personis ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas.c.ecclesia.supra de constitut. Ideo talis sententia, cum sit à non suo iudice lata, nullam obtinet firmitatem. vt in tex.

Cap.4. Quanto.

CONSVETVDO non potest operari, vt clericus non Episcopus possit exercere ea, quæ sunt reseruata ordini episcopali.

QVIA consuetudo non facit aliquem capacem actus, cuius ille per se est incapax. Abb.hic num.2. Hinc dicit Io.Andr.in c.2.de præb.in 6. quod quantuncunque longo tempore laicus exercuerit actum spiritualem, nunquam tamen illum præscribere potest; nam possessio temporis, cuius initij non sit memoria, habet vim tituli, quando datur capacitas in exercente, aliàs non; & sic limita, & restringe c.1.de præscript.in 6.& l.hoc iure.§.ductus.ff.de aqua quot.& æstiu. Secus, dicit, in competentibus Episcopo ratione iurisdictionis, vel dignitatis epi-

tis episcopalis; nam illa possunt præscribi per inferiorem clericum, cum talium per se non sit incapax, sicut est illorum, quæ competunt ratione ordinis episcopalis. vt in c. auditis. & cap. cum olim. de præscript. Ideo cum aliqua sint reseruata ordini episcopali in signum præeminentiæ, illorum clericus non Episcopus non est capax; & ratione consuetudinis illa sibi attribuere non potest. S. Tho. par. 3. quæst. 72. art. 11. & Abb. hic nu. 6. Ex delegatione tamen Papæ, illa exercere posset. c. peruenit. & ibi glos. dist. 95. & glos. 1. hic. Nam Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem; & ex hac plenitudine potestatis, concessit beatus Gregorius Papa, quòd simplices sacerdotes sacramentum Chrismatis conferrent, quandiu scãdalum tolleretur. vt in d. c. peruenit. S. Tho. d. art. 11. Cum tamen ordinarius minister sacramenti Confirmationis sit solus Episcopus. Concil. Trident. sess. 7. de confirmat. can. 3.

Cap. 5. Cum inter.

NON valet consuetudo, per quam interdicti sententia violatur.

QVIA ex tali consuetudine disrumperetur neruus ecclesiasticæ disciplinæ. vt in tex. induceretur grauamen ecclesijs; & esset contra bonos mores. Innocent. hic nu. 3. Ideo tanquam irrationalis non est seruanda, sed extirpanda. c. mala. dist. 8. & c. cum decorem. de vita, & honest. cleric.

Cap. 6. Cum olim.

IN attribuendis officijs nouæ dignitati, seruatur consuetudo vicinarum ciuitatum, quæ si diuersa fuerit, seruabitur magis rationabilis, & alij non præiudicans.

QVIA cum ista noua dignitas non fuerit adhuc in esse, non potest dici, quòd in præteritum fuerit circa eam aliqua particularis cõsuetudo, quæ ante omnia esset seruanda. c. catholica. dist. 11. Non entis enim nullæ sunt qualitates. l. eius, qui. ff. si cert. pet. Et vbi non inuenitur aliquid dispositum per consuetudinem specialem, est postea videndum, an sit aliquid dispositum per ius commune. Butr. hic in fin. vbi verò ius commune nihil disponit, (sicut præsupponitur in casu huius tex.) tunc est attendenda consuetudo vicinorum locorum; nam quælibet prouincia abundat in suo sensu. glos. fin. in d. c. catholica. Et similis æquitatis ratio similia iura suadere videtur. l. fin. C. ad leg. Falc. Si verò consuetudo vicinorum est diuersa, tunc attenditur illa, quæ est magis rationabilis; quia quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est,

 quod

quod minimum habet iniquitatis.l.quoties.ff.de reg. iur. Et quæ alteri non præiudicet; vt in tex. quia non debet aliquis locupletari cum alterius iniuria, vel iactura.c locupletari.de reg.iur.in 6. Omnibus autem istis deficientibus,recurrendum est ad cap.fin.dist.20. scilicet,vt congregentur sapientes,& seniores,quorum consilio stetur.Abb.hic nu.7.

Cap.7. Cum venerabilis.

NON potest induci ex consuetudine, vt quis possit dimittere dignitatem sine superioris licentia.

QVIA nihil tam naturale est, quàm vnumquodque dissoluere eo genere,quo colligatum est,c.1.infr.de reg. iur. & l. nihil tam naturale. ff. eod. Et quoniam quis alligatur dignitati, per eius voluntatem confirmatam à superiore. vt in tex. & not.in c.litteris. de rescript. Ideo etiam quando vult dissolui ab illa, debet superioris interuenire consensus. vt in tex. Nec potest consuetudo inducere contrarium, quia esset irrationabilis, & contra ecclesiasticam disciplinam, & publicam vtilitatem.Butr.hic num. 21. Et consuetudo contra iura tenentia obedientiam,vnionem, & ecclesiasticam disciplinam, ac publicam vtilitatem,est potius dicenda corruptela,infra.c. fin. Et ideo extirpanda. cap. mala.distinct.8.

VEL vt possit electus administrare, non habita confirmatione à superiore.

QVIA electus ante confirmationem non habet ius in Ecclesia.cap. inter corporalia.de translat.episc. licet habeat ius ad illã;quod tamen est tenue; cum posit per exceptionem repelli.glos.in d. c.inter. ver.confirmatus. Actus enim denominatur à confirmante, qui perficit illum.l.tanta. C. de veter.iur. enucl. Vnde qui administrat ante confirmationem,dicitur intrusus, & ex seipso honorem sibi assumere videtur. c.qualiter.de elect. Ideo consuetudo,quæ talia admitteret, tanquam sacris canonibus inimica non est seruanda. vt in tex. Hodie tamen (licet non sit mutatum in Italia id, quod hic dicitur de administratione) ex generali dispensatione Papæ,vltra Italiam constituti, statim postquam sunt in concordia electi,possunt in temporalibus, & spiritualibus ministrare. c.nihil.de elect. Et hoc conceditur eis,ne Ecclesia interim in illis patiatur detrimentum.glos.2.hic,& Innoc.in fin. Secus,si ibi esset Legatus in prouincia, à quo posset peti confirmatio; nam etiam illi tunc deberent ante administrationem petere confirmationem à Legato. Compostel.hic in fin.

Cap.

Cap. 8. Cum dilectus.

DE consuetudine potest induci, quod vna ecclesia de gremio alterius teneatur sibi prælatum eligere.

QVIA licet de iure communi vna Ecclesia non habeat ad aliam istam seruitutem; sed ille est eligendus, qui Ecclesiæ prodesse possit, non qui de alia Ecclesia existat. c. Abbatem. 18. q. 2. & not. in c. abbate. de verb. sign. Ex quo tamen istud ius est positiuum, consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta potest ei præiudicium generare. infr. cap. fin.

ET consuetudo est optima legum interpres.

QVIA consuetudo legem imitatur. §. fine scripto. Institut. de iure natur. Ideo sicut lex posterior interpretatur priorem. l. de quibus. & l. si de interpretatione. ff. de legib. ita potest hoc facere consuetudo. vt in tex. & Institut. de iure natur. §. sed naturalia.

Cap. 9. Cum consuetudinis.

CAPITVLVM sine Episcopo statuta, seu consuetudines nouas facere, vel antiquas immutare non potest.

QVIA cum consuetudinis, vsusq; longæui, non sit leuis auctoritas; & plerunque discordiam pariant nouitates. vt in tex. per huiusmodi statuta, & consuetudines, facile alteraretur status Ecclesiæ. glos. fin. hic. Et quoniam gubernatio Ecclesiæ spectat ad Episcopum, qui est eius sponsus, & caput: Canonici verò sunt membra illius. c. nouit. de his, quæ fiunt à prælat. sine cons. cap. Ideo non debent membra recedere à capite, & sibi assumere officium illius, ne totum corpus perturbetur. c. cum non liceat. de præscript. Sed cum ipsi Canonici sint inferiores, debent Episcopo superiori parere. c. cum inferior. de maior. & obed. Vbi verò non alteratur communis status Ecclesiæ, nec agitur de iuribus, in quibus habeat interesse Episcopus; sed tractatur de rebus exiguis pertinentibus ad solum capitulum; puta, qualiter capitulũ debeat congregari, qualiter distribuantur quotidianæ distributiones, vel mensa grossa diuidi debeat, vel quid simile, potest capitulum statuere sine Episcopo. glos. in cap. constitutionem. ver. statutum. de verb. sign. in 6. & Abb hic num. 4.

Cap. 10. Ex parte.

NON valet consuetudo, per quam quis inducitur ad peccandum.

QVIA talis consuetudo est abusiua, & irrationalis. vt in tex. Est enim contra ius diuinum, & naturale, vt quis inducatur ad peccandum; cum sit contra honorem Dei, & contra propriam salutem. infr. c. prox. & supr. in procemio Decretalium. Ideo talis consuetudo esset corruptela, & venit extirpanda. infr. c. prox.

VEL bona propria dissipandum.

QVIA dissipare bona est vitiũ prodigalitatis, quæ opponitur virtuti liberalitatis per excessum; nam sicut liberalis est ille, qui dat & quibus, & quæcunque, & quando oportet; ita prodigus est ille, qui dat sine mediocritate, & quibus, & quando non oportet; & sic fortunas suas dissipat, & consumat contra proprium commodum, & per seipsum perditur; nam esse sui ipsius perditio videtur bonorum dissipatio; vt potè, cum ea sint, ex quibus vitam traducamus. Auarus tamen, qui opponitur liberali per defectum, est peior, quàm sit prodigus: nam cum auarus in accipiendo excedat, & in dando deficiat, nemini prodest; imo ne sibi ipsi quidem vtilis est; & illiberalitas incurabilis est; nam & senectus, & omnis imbecillitas reddere illiberales videtur, magisque quam prodigalitas, hominibus natura insita est: nam plerique sunt pecuniarum cupidi magis, quam ad dandum prompti; & magis opponitur liberali auarus, quam prodigus; nam prodigus habet ea, quæ liberalis sunt, in quantum dat, & non accipit (licet differat in eo, quòd hæc non facit, vt debet) & ideo prodigus facilius euadit liberalis, quàm faciat auarus; & aliquibus ille iuuat, quod non facit auarus; & non est tam mali, & ignobilis animi prodigus, sicut est auarus, qui nihil commune habet cum liberali. Arist. 4. ethicor. cap. 1. Vnde si non valet consuetudo prodigalitatis, per quam quis inducitur ad bona propria dissipandum. vt in tex. multo minus est ferenda illa, per quam auarus quis redderetur. Arist. d. c. 1. & Cicero 2. officiorum circa medium. Longius autem ista notaui, ne aliqui de eorum auaritia gloriarentur, dum vident prodigalitatem hic esse damnatam.

Cap. 11. Cum tanto.

CONSVETVDO non derogat iuri naturali, seu diuino.

QVIA iura naturalia, quæ apud omnes gentes peræque obseruantur, diuina quadam prouidentia constituta, semper firma, atque immutabilia permanent. Institut. de iure natur. §. sed naturalia. Cum enim ius naturale dicatur illud, quod semper bonum, ac æquum est. l. penult. ff. de iust. & iur. Illud, quod contrariatur iuri naturali, oportet esse malum, & iniquum. Arist. in prædic. cap. de oppositis. Et quoniam consuetudo iniqua non est seruanda, sed extirpanda. cap. mala. dist. 8. Ideo nulla consuetudo potest iuri naturali derogare. vt in tex. Potest tamen con-

consuetudo illud interpretari, & distinguere, sicut illud idem potest ius positiuum. Innocentius hic. Vbi enim ratio naturalis suadet ius diuinum,& naturale distingui, & limitari, tunc non est transgresio,& non inducitur peccatum. Hoc enim præsumitur fieri ex Dei voluntate per facultatem concessam eius vicario,illud interpretandi.Abb.hic nu.3. & ad intelligentiam vide S.Tho.1.2.q.97.art.2.

CVIVS transgressio peccatum inducit.

QVIA peccatum consistit in hoc, quod aliquis agit contra rectam rationem.S.Tho.1.2.q.71.art.6.& ibi Caietan. Peccatum enim est iniquitas,vt in Epist.1.B.Ioan.Apost.cap.3. Et quoniam ius naturale est semper iustum, & secundum rationem, vt dictum est superius. Ideo illud transgredi non licet.vt in tex.Vnde definitur peccatum, quod est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. S. August.relatus per S.Tho.in d.art.6. Et tanto sunt grauiora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. vt in tex. quia ille,qui peccat ex habitu,magis peccat,quàm ille,qui peccat ex pasione. S.Tho.1.2.quæst.78.art.4.

NEC positiuo,nisi sit rationabilis,& præscripta.

QVIA cum ius positiuum sit fundatum super ratione.c. erit autem lex.dist.4.& c.consuetudo.dist.1. Dum vigent illæ causæ,propter quas illud ius est promulgatum, non potest ab eo recedi; nam agens contra illud,ageret contra rationem, & contra obedientiam debitam superiori, & sic peccaret; sed quando illæ causæ cessant secundum,quod variantur rerum euentus, & temporum conditiones, & sunt diuersi respectus, & fines; tunc illud ius inciperet non habere in se rationem, quam prius habebat; & sic potest consuetudo contraria rationabiliter introduci, vt deroget illi; sed vt ista consuetudo præsumatur rationabiliter introducta,de iure canonico debet esse præscripta,id est, obtenta per cursum temporis requisiti ad præscriptionem; licet de iure ciuili sufficiat,quod sit rationabilis.Butr. hic nu.28. & Abb.nu.9.& 10. Quando autem consuetudo dicatur rationabilis, relinquitur arbitrio iudicis. Et generaliter censetur rationabilis secundum ius canonicum, quando tendit ad salutem animarum, qui est finis istius iuris; secundum verò ius ciuile consuetudo est irrationabilis, si non tendit ab bonum publicum,quod est finis iuris ciuilis. Abb.hic nu.5.

Cap.

In Sexto. Cap. 1. Consuetudinem.

PRAETEXTV consuetudinis, etiam iuratæ, vel quantocunque tempore obseruatæ, non potest quis nisi vnicum personatum, dignitatem, vel aliud perpetuum officium, simul cum canonia, & præbenda in aliqua Ecclesia, absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere.



QVIA cum vnum officium vix digne valeat aliquis adimplere, talis consuetudo est sacris canonibus inimica, & de ambitionis radice procedit. vt in tex. & c. de multa. extr. de præb. Vnde est corruptela existimanda. vt in tex. Ideo quantuncunque sit diuturna, venit extirpanda. c. fin. extr. eod. Nec obstat, si eius obseruantia sit iuramento firmata. vt in tex. quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. cap. cum contingat. extr. de iureiur. Vnde tale iuramentum, aut fuit speciale, aut generale; si speciale, vt quis specialiter, & expresse iurauerit illam consuetudinem seruare; tale iuramentnm fuit temerarium, & sic non seruandum; imo de eo. quod iurauit, posset, & deberet pęnitentia imponi. c. sicut. extr. de iureiur. Si verò generaliter quis iurauit, se seruaturum consuetudines ipsius Ecclesiæ; istud iuramentum ad possibilia, & licita tantum debet extendi. c. 1. de iureiur. hoc lib. Ideo huiusmodi consuetudo, siue sit iurata, siue sit diuturnè obseruata, declaratur esse corruptela, & ob id non seruanda. vt in tex. Cum maioribus tamen, de quibus ratio particularis est habenda, aliquando Sedes Apostolica in talibus dispensat; sed cum huiusmodi dispensatio non sit faciliter concedenda, Papa noluit, vt Episcopi possint in istis dispensare. vt in tex. & d. cap. de multa.

VEL iam obtenta tenere.

QVIA, licet regulariter constitutio respiciat futura, & non præterita. c. 2. extr. de constitut. Quando tamen constitutio non solum statuit de nouo, sed est etiam antiqui iuris declaratoria, tunc extenditur ad præterita; etiam si contra se habeat consuetudinem, dummodo declaret illam non valere, sicut facit constitutio ista. Francus hic nu. 3. & 4. Et quoniam per alia iura fuit prohibita prius huiusmodi pluralitas dignitatum. vt in d. c. de multa. & extr. de concess. præben. c. litteras. Ideo hæc constitutio comprehendit etiam illa, quæ tempore editionis ipsius erant præterita. vt in tex.

ET contra præsumptum irritum est omnino.

Quia

QVIA hæc constitutio non solum prohibet actus contrauentionis; sed etiam perpetuam prohibitionis causam apponit. vt in fine tex. Et quoniam quando constitutio apponit taliter causam prohibitionis, actus contrarius est ipso iure nullus absque eo, quod per exceptionem annulletur. vt not.in c.statutum.in fin.de rescript.hoc lib. Ideo facta contra hanc constitutionem sunt irrita omnino. vt in tex. & glos.fin.hic.

Cap.2. Non putamus.

NON valet consuetudo, quod ab officiali Episcopi, ad Episcopum appelletur.

QVIA auditorium, & tribunal Episcopi, & eius officialis generalis est idem, & in eadem persona censetur. vt in tex. Vnde si à vicario appellaretur ad Episcopum, appellatio videretur interposita ab eodem ad seipsum. vt in tex. Et quoniã hoc esset contra substantiã appellationis, quæ est prouocatio à minori iudice ad maiorem. l. 1. §. si quis. ff. de appellat. Et etiam esset contra dignitatem maiorum magistratuum, quibus partes præiudicare non possunt. Gemin. hic nu. 2. Ideo talis consuetudo non est consona rationi. vt in tex. & sic non valet. extr. c. fin. A vicario autem foraneo appellatur ad Episcopum; quia ille non habet idem tribunal generale, & ordinarium cum Episcopo, sicut habet vicarius generalis; sed habet iurisdictionem delegatam ad aliquas causas diœcesis; vnde ab eo appellatur ad Episcopum, tanquam ad delegantem. glos. hic. ver. officiali. Sed si Episcopus vellet delegare causas in fraudem Archiepiscopi, non esset tunc ad ipsum Episcopum appellandum. Et fraus posset cognosci ex coniecturis, veluti, si solet multas causas delegare, vel ex aliquibus verbis prolatis ab ipso Episcopo hanc fraudem denotantibus. Gemin. hic nu. 3. & Francus nu. 6.

Cap. 3. Non est.

VALET consuetudo præscripta, quod Episcopus in inquirendo, puniendo, & corrigendo subditorum excessus, sui capituli consilium requirere non teneatur.

QVIA ad Episcopum propriè, & principaliter pertinet cognitio, & punitio peccantium in sua diœcesi. c. si quis Episcopus. 2. q. 7. & c. fin. extr. de offi. archipresb. Voluit tamen ius commune, ad faciliorem, & tutiorem iustitiæ administrationem, vt cum Episcopo aliquando consilium capituli requiratur. c. nouit. extr. de his, quæ fiunt à præl. aliquando non solum consilium, sed consensus. c. ea noscitur. eod. tit. & 12. quæst. 2. c. alienationes. Sed quoniam consuetudo rationabilis, & præscripta præiudicat iuri positiuo. extr. c. fin. Ideo non est mirum,

M rum,

rum,si consuetudo inducit,vt Episcopus,qui est caput, præscribat iurisdictionem contra canonicos, qui sunt eius membra. Archid. hic in fin. Iurisdictio enim potest præscribi etiam per alios prælatos inferiores. c. irrefragabili.§.excessus.extr.de offic.ordin.Vnde multo magis per Episcopum. vt in tex. Et licet in correctione non currat præscriptio, vt subditus à nemine corrigatur. c.cum ex officij. extr. de præscript. Bene tamen currit,vt magis puniatur ab vno prælato, quam ab alio. d.c. irrefragabili. Et Gemin.hic nu.4. Et quoniam ea,quæ possunt induci per præscriptionem,possunt induci etiam per consuetudinem. Abb.in c.fin. nu.15.extr.eod. Ideo sicut præscriptio dat iurisdictionem, ita etiam illam dat consuetudo præscripta.vt in tex.& Abb.d.nu.15. Quæ autem differentia sit inter consuetudinem,& præscriptionem,late tractat glos. fin.& ibi Butr.& alij in d.c.fin.extr.eod.

Cap.4. Cum in tua.

PER rescriptum Apostolicum, quo de præbenda primo vacatura mandabatur alicui prouideri, laudabilis illius Ecclesiæ consuetudo non tollitur.

QVIA specialium locorum, & personarum singularium consuetudines,& statuta (cum sint quid facti; & in facto consistant) possunt per Papam probabiliter ignorari.c.1.de constitut. hoc lib. Et quoniam rescriptum recipit vires ab intentione principis rescribentis.c.ad aures.extr.de rescript. Et Princeps non intendit concedere ea, quæ ignorat.d.c.1.de constitut. Ideo per suum rescriptum Papa non intendit tollere consuetudinem,quam ignorat, circa præbendam Ecclesiæ vacaturam. vt in tex.

HINC est, quod si ibi est consuetudo, quod antiquiores canonici, vacantes præbendas possint optare gradatim,illo non obstante mandato,poterit antiquior vacantem optare præbendam.

QVIA cum Papa non intendat tollere speciales locorum consuetudines,nisi hoc exprimat,vt dictum est superius. Et quoniam consuetudo est ius quoddam.c.consuetudo. dist. 1. Ideo si de consuetudine præbēda vacans debetur antiquiori,qui mutare voluerit,sequitur, quod de iure ei debetur, cui Papa rescribens præiudicare non intendit; vnde non debetur impetranti; qui tamen de alia non optata erit postea prouidendus.glos.hic.ver.de iure.

ET expectatis per viginti dies optare volentibus,executor de non optata prouidebit eidem.

QVIA ne prætextu huius consuetudinis,prouisiones auctoritate Apostolica faciendæ vltra debitum differantur, hic Summus Pontifex

tifex statuit, vt executores super ipsis prouisionibus deputati, optare volentes per viginti dies duntaxat expectent; quibus elapsis, libere in non optatis ad exequenda sibi mandata procedant, præfata consuetudine non obstante. vt in tex.

SI autem præbendam vacantem in curia Papa conferret, tunc illam antiquior optare non poterit.

QVIA beneficia vacantia in curia, alius, quam Papa, conferre nõ potest. c. licet. il 1. ig sr. de præb. Ideo cum de ipsis per Romanum Pontificem ordinatur, non habet locum optatio. vt in tex. In huiusmodi enim beneficijs Sedi Apostolicæ affectis, & reseruatis, Papa abrogat omnes leges, & statuta contraria, & tollit omnem conferendi potestatem, & sic tollit legem, qua datur potestas optandi. Gemin. hic. §. in præbendis. num. 3.

In Extrauag. Communib. Cap. vnic. Super gentes.

CONSVETVDO impediens, ne Legati Sedis Apostolicæ recipiantur, non valet.



QVIA talis consuetudo est irrationalis, cum sit animarum saluti contraria, & detrahat Apostolicæ potestati. vt in tex. Ideo reprobatur, cum sit extirpanda. c. mala. & c. frustra. dist. 8.

ET illa non obstante, Legati ipsi sunt ab omnibus recipiendi.

QVIA cum isti Legati gerant vices Summi Pontificis (qui super Gentes, & Regna est à Domino constitutus) & ab eo destinentur ad diuersas mundi partes (prout necessitates emerserint) vbi ipse Summus Pontifex personaliter circuire non potest, vt vices eius supplẽdo, errata corrigant, aspera in plana conuertant, & cõmissis sibi populis salutis incrementa ministrent; non debent à quoquam Christiano impediri, quo minus regna, prouincias, & terras quaslibet, ad quæ ipsos destinari contigerit, ingrediatur libere, ac commissæ sibi legationis officium exerceant in eisdem. vt in tex.

ET eos impedientes, ipso facto excommunicationem incurrunt, & eorum terræ ecclesiastico subijciuntur interdicto.

QVIA cum istud delictum sit grauissimum, vt in tex. in eius pœnã, isti impedientes his ecclesiasticis censuris subijciũtur, nõ obstantibus quibuscunque priuilegijs, quibusuis principibus à Sede Apostolica

concesſis, vt in tex. Iſtæ autem pœnæ, quæ ſunt maiores, quas habeat Eccleſia. c. cum aliquis. 24.q.3. imponuntur, vt ſint commenſurabiles grauitati delicti. arg.c.diſciplina. diſtin.45.

Liber Primus. Titulus Quintus.

DE POSTVLATIONE PRÆLATORVM.

In Decretal. Cap.1.Ad hæc.

IMPOSTVLABILIS eſt,qui violat interdictum.



VIA ſecundum Apoſtolum 2. ad Corinth.cap. 10. Papa debet eſſe promptus, inobedientiam omnem vlciſci. Nil enim obedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contemptus contumacibus non obeſſet; vnde iuxta canonicas ſanctiones, quædam ſunt culpæ, in quibus culpa eſt relaxare vindictam.vt in tex. Et quoniam ille, qui violat interdictum,contemnit Petri claues,& eccleſiaſticam lædit poteſtatem. c.fin.de exceſſ.præl. Ideo in eius pœnam ſtatuitur,vt ſit ſuſpenſus ab officio,& beneficio,& omni iuriſdictione.d.c. fin. Et quod tanquam indignus non poſsit poſtulari. vt in tex.

Cap. 2. Gratum.

QVI poſtulationem caſſatam vitio perſonæ innouat,eſt eligendi,& poſtulandi poteſtate priuatus.

QVIA priuilegium meretur amittere, qui ſibi permiſſa abutitur poteſtate.c.cum illorum.de ſent.excom. Ideo cum iſti,qui innouant electionem,vel poſtulationem de perſona indigna, & iam caſſata, ſcienter abutantur poteſtate eis permiſſa, merentur illa priuari. vt in tex.& ſupr.c.prox. Sunt autem priuati ipſo facto,vel ſunt per ſententiã priuandi,ſecundum quod in iure,vbi de tali electione, & poſtulatione tractatur,hoc exprimitur.gloſ.verſ.priuare,& ibi Abb.nu.31.ſupr. in c. proxim. In caſu autem huius tex. intelliguntur priuati ipſo facto. Abb. hic nu.2. Ita enim exprimitur, vt qui ſcienter indignum elegerint ea vice eligendi poteſtate nouerint ſe priuatos.vt in tex. & c. cum in cunctis.de elect. quod cap. ad poſtulationem extenditur, quia per poſtulationem peruenitur ad electionem.gloſ.in d.ver.priuare. Secus tamen eſt,

est,cum postulatur illegitimus, vt dispensetur cum eo, vel vt legitimetur, & similia. d. glos. nam tunc recurritur ad superiorem pro gratia obtinenda de eo,qui nō potest eligi propter defectum,non autē propter vitium. Host.in Sum.huius tit.§.quid sit. Tunc enim non est abusus potestatis,sed proprium postulationis. Postulatio enim describitur, quod est petitio gratiæ per capitulum à superiore facta de eo, qui eligi non potest, non propter vitium, sed propter defectum, qui tamen postulatum non omnino inhabilem reddit ad præsidendum Ecclesiæ. Host.in d. §.quid sit. sicut electio innititur iuri; cum sit alicuius personæ ad prælationem, vel societatem fraternam canonicè facta vocatio. vt not.in princ. c.vnic.& ibi glos.ver.vera.eod.tit.in 6. & Abb.in rub.huius tit.

Cap.3. Bonæ. il 1.

POSTVLATIO, per quam priuata,vel minor vtilitas, communi,vel maiori præfertur,admitti non debet.

QVIA bonum publicum, & quod magis prodest,est melius, quam priuatum,& quam illud,qnod minus prodest.Arist.3.Politic.cap. 4. Et ad illud superiores præcipuè respicere debent.c. scias.7.q.1. & Arist.1.politic.cap.3.& 4. Et quoniam postulatio quo ad effectum recipit vires à gratia superioris.vt not.supr.in c.prox. Ideo in illa admittenda superior speciali vtilitati communem, & minori maiorem præferre debet. vt in tex. Persona tamen priuata non tenetur præferre bonum publicum suo priuato,si bonum priuatum non includitur sub publico.glos. hic.ver.communem. Nam priuatus non tenetur ad hoc ex officio, sicut tenetur superior,& prælatus.Abb.hic nu.11. Et prima charitas incipit à se ipso.c.duæ sunt.19.q.2.

NEC illa est admittenda,quæ fit à minori parte collegij.

QVIA in actibus Collegij, & Vniuersitatis regulariter præualet, quod fit à maiori,& saniori parte illius.c.1. de his, quæ fi. à mai. par.cap. nam censetur factum ab omnibus,nisi minor pars rationabiliter contradicat.d.c.1. Et quoniam præsumitur pro maiori parte, quod sit sanior.c.fin. d. tit. Ideo postulatio facta à minori parte, non censetur facta à toto Collegio, & ob id à Sede Apostolica non consueuit admitti. vt in tex. Ad hoc tamen, quod actus gestus ab vniuersitate valeat,oportet,quod duę partes vocandorum sint in capitulo; nam potentia capitulantis consistit in duabus partibus. l. nulli. & l. planè. ff.quod cuiusque vniuer. nom. Valet autem postea quicqnid facit maior pars illarum duarum partium. Et intelligitur hoc modo.d.c.1.de his.quæ fi. Sed si aliquis de Collegio fuit contemptus, & non vocatus, potest facere actum retractari,quantuncunque sit factus à maiori parte.Abb. infr. in c.prox.nu.25.

Cap.

Cap. 4. Bonæ. il 2.

ARCHIEPISCOPVS in Archiepiscopum postulatur.

QVIA ille postulatur ad aliquam Ecclesiam, qui propter aliquod impedimentum non potest ad illam liberè eligi, & assumi. vt not. supr. in c. gratum. Et quoniam Archiepiscopus non potest ad aliam eligi, vel assumi, cum sit alligatus illi, ad quam spirituali matrimonio iam est coniunctus. c. inter corporalia. de transl. episc. Ideo, vt possit ad aliam assumi, est postulandus, vt Papa absoluat eum à vinculo, quo priori Ecclesiæ est alligatus, & ei licetiam tribuat ad aliam transeundi. vt in tex.

ET ex quo postulatio præsentata est Papæ, non possunt postulantes ab ea recedere; sed debet superioris iudicium expectari.

QVIA per præsentationem factam superiori, postulantes declararunt, quod quantum ad se iam postulatum approbauerunt. glos. hic. ver. illuderent. Et quoniam si possent ab ea recedere, Papæ frequenter illuderent, & iudicium suum ex eorum arbitrio pendere videretur. vt in tex, Ideo ne postulantium actio sit superiori in ludibrium, statuitur, vt non possint à præsentata postulatione recedere. vt in tex. & c. licet. de offic. leg.

Cap. 5. Postulationem.

POSTVLATIO, contra quam agitur de contemptu, potest sine præiudicio alicuius reijci.

QVIA per postulationem huiusmodi non est alicui aliquod ius acquisitum. vt in tex. Ideo nullum præiudicium irrogat superior, illam non admittendo. Abb. hic nu. 2. Et hoc præcipuè, quia talis postulatio non est valide facta. Abb. d. nu. 2. nam quando est valida, licet superior non cogatur illam admittere; iniuriam tamen videtur facere postulato, si sine causa reijcit eum. glos. 1. hic, & Abb. supra in c. bonæ. il 1. num. 13.

POTEST tamen de speciali gratia admitti.

QVIA cum postulationis admissio, tota dependeat à gratia superioris. vt not. supr. in c. gratum. Sicut quando postulatio fuit facta in concordia, dicitur recipere vires à gratia generali superioris illam admittentis; ita, quando non est facta in concordia, si superior vult illam admittere (quod potest, cum à sua voluntate dependeat) dicitur admitti ex gratia speciali. Abb. hic nu. 2.

Cap.

Cap.6. Et si.

EPISCOPVS non est eligendus ad aliam dignitatem, sed postulandus.

QVIA per electionem initiatur matrimoniale vinculum spirituale inter Ecclesiam, & electum.c.fin.de transl. episc.& c.cum inter. de elect. Et quoniam Episcopus iam habet coniugem, scilicet, priorem Ecclesiam.c. inter. de transl. episc. Ideo non potest consentire in aliam coniugem; nam committeret spiritualiter adulterium. c. sicut. 7. q. 1. Oportet ergo, vt prius absoluatur ab illo vinculo matrimoniali, antequam aliud matrimonium initiet cum alia ecclesia. vt in tex. Et sic debet postulari, quia postulantes non consentiunt in postulatum, vt in sponsum; Et similiter postulatus. Sed solum petunt, vt ab illo tollatur vinculum, & defectus. Abb.hic nu.5. Et si iste postulatus nollet consentire ad relinquendam priorem ecclesiam, & aliam acceptandam, posset inuitus per Papam ob bonum publicum transferri; quia ecclesia vniuersalis est vnum corpus mysticum; vnde ex quo semel consensit episcopari in hac ecclesia vniuersali, non potest resistere Papæ, si pro bono publico vult illum transferre ad aliam ecclesiam particularem; quia solum hic alteratur locus, non autem dignitas respectu ecclesiæ vniuersalis.c.scias.7.q.1. In alijs verò, si nunquam quis fuit promotus in Episcopum, non videtur, quod possit præcisè compelli ad acceptandum episcopatum; nisi pro bono publico, quando non reperitur alius æquè idoneus; quo casu peccaret electus, si non acceptaret dignitatem. Abb. hic in fin. & Io.Andr.in c.quam sit.de elect.in 6.

In Sexto. Cap. vnic. Perpetuò

PERPETVO edicto prohibentur electiones, aut postulationes, sub aliqua ex his quatuor formis fieri, scilicet, eligo postulando, postulo eligendo; eligo postulandum, postulo eligendum.



VIA ex his formis, nec vera electio, nec vera postulatio resultat, sed potius sibi inuicem aduersantur. vt in tex. nam qui eligit, dicit eum, quem eligit, nullum habere defectum; qui autem postulat, fatetur postulandum habere defectum; & sic est contrarietas in ista commixtione formarum, gloss.hic.ver.eligo, & Gemin. nu.10. Et quoniam duo contraria non possunt esse simul.l. hæc verba.ff. de verb.sign. Et quæcunque tanquam affirmatio, & negatio opponuntur,

tur,necesse est,alterum eorum esse verum, alterum esse falsum. Arist. in prædicam. cap. de opposit. Ideo istæ formæ electionis, & postulationis commixtæ,quas perniciosa curiositas adinuenerat, tanquam absurdæ, & nihil concludentes,hac constitutione repelluntur,& perpetuo prohibentur.vt in tex.& glos.ver.aduersentur.

PROHIBETVR etiam fieri sub alijs duabus formis, scilicet, eligo in postulandum,postulo in eligendum.

QVIA istæ duæ formæ rem imperfectam significare noscuntur, vt in tex. nam cum gerundia habeant idem significatum cum infinitiuo cum adiectione præpositionis, quando dicitur, postulo in eligendum,& eligo in postulandum,idem est ac dicere,postulo in ad eligere,id est, postulo in hac via,vt ad electionem venire possim. Io. Monach. hic. Vnde nec electionem per se,nec postulationem important. Gemin.hic nu.6. Et quoniam postulantes,& eligentes debent exprimere eorum intentionem, aliàs non censentur nec postulasse, nec elegisse. vt in tex. Ideo etiam istæ duæ formæ tanquam absurdæ, & nihil concludentes in postulationibus,& electionibus prohibentur.Gemin.d.n.6.

ET si contrarium fuerit factum,eo ipso est irritum.

QVIA hæc constitutio non solum prohibet huiusmodi formas, vt qui contrafecerit,censeatur venisse contra legem; sed etiam vlterius procedit, decernendo illas esse ipso iure nullas. vt in tex. per quæ verba non solum infertur, quod actus gestus contra legem sit per exceptionem annullandus,sed significatur,quod sit ipso facto nullus. vt not.in Clemen.1.in fin.de rescript.

PROHIBETVR etiam hæc forma, scilicet, eligo, & postulo, prout potest melius de iure valere.

QVIA hæc forma incertitudinem continet.vt in tex. Et in postulationibus, & electionibus vota incerta sunt reprobata.vt dictum est superius, & habetur in c.2.infr.tit.prox.

NISI probabiliter dubitetur, an quis sit eligendus, aut postulandus.

QVIA probabilis dubitatio excusat,sicut probabilis ignorantia. Archid.hic.ver.dubitatur. Ideo ratione probabilis dubij, aliquid admittitur, quod aliàs ex sui natura non admitteretur. glos. hic. ver. probabiliter.

QVO casu sic electus,& postulatus, tempore consensus alteram viã eligere necessariò tenetur,electionis,scilicet,vel postulationis.

Qui

QVIA cum iste non possit, nisi ex vna talium viarum ius habere. c.vt qui duas.infr.tit.prox. ne cum ipsius Ecclesiæ, vel sui aduersarij, si quem habet, discrimine in incerto vagetur; iura voluerunt, vt suum declararet consensum, per quem cognoscatur, qua istarum viarum vti velit.vt in tex.& d.c.vt qui. Et iste consensus est intra mensem ab ipso præstandus à tempore præsentationis huiusmodi electionis, & postulationis sibi factæ; ne ecclesia diù propter vacantiam prælati, patiatur detrimentum.c.quam sit.infr.tit.prox.

QVA electa, ad alteram redire non poterit.

QVIA per electionem vnius, alteri renunciare, sibique ius ex ea non competere, profiteri videtur.d.c. vt qui. Ideo electio vnius præiudicat alteri. glos.fin.hic.

In Extrauag.Commun. Cap.vnic.Dispendijs.

MINORES viginti septem annis, sæculares, & mendicantes religiosi, ad certas ecclesias prohibentur postulari.



QVIA per postulationem illorum, qui minus tempus habent, varia dispendia, & pericula solent ecclesijs euenire. vt in tex. Ideo ad obuiandum huiusmodi periculis, statuitur, vt ille, qui vigesimum septimum annum non attigerit, ad cathedralem, nec non professores cuiusuis mendicantium ordinis, ad inferiores cathedralibus ecclesias, ac monasteria extra suos ordines, postulari perpetuo prohibeantur. vt in tex.

ET puniuntur tam postulantes, quàm postulati.

QVIA cum ambo huic constitutioni contraueniant. vt in tex. ambo pro eorum culpa, pœnam merentur. cap. qui ea. distin. 38. Et sunt præsertim puniendi in eo, in quo peccarunt. cap. inter.de excessib.prælat.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

In Decretal. Cap. 1. Nullus.

ECCLESIAE collegiatæ non debet prouideri de prælato per collationem, seu prouisionem; sed per electionem canonicam fiendam per ipsum collegium.



VIA prælatus,& canonici faciunt vnum corpus,cuius prælatus est caput,& canonici sunt membra;& ad istud corpus spectat gubernatio negotiorum ecclesiæ. c.nouit.de his,quæ fiunt à prælat.sine cons. Et quoniam ille est præficiendus in prælatum, qui magis ecclesiæ possit prodesse.infr.cap.cum in cunctis. Et de necessitatibus ecclesiæ melius censentur informati ipsi de ecclesia,quam alij. argum.c. quoties.de testib. Ideo vbi agitur de prouidendo de capite,quod præcipuè habeat curam ecclesiæ, non ad alios non informatos, sed ad ipsa membra,quibus sunt notæ necessitates propriæ, & ecclesiæ, decet electionem spectare. vt in tex.& c.ea,noscitur.d.tit. de his, quæ fi. à præl. Vnde si aliter quis ecclesiam collegiatam adeptus fuerit, præsumitur, quod per ambitionem,& cupiditatem illam habuerit. vt in tex. Et hoc procedebat olim, antequam Summi Pontifices sibi reseruauerint potestatem prouidendi etiam de ecclesijs collegiatis. Hodie enim virtute reseruationis,electores non conferunt ius, & sic cessat ista præsumptio. Et vbi Summi Pontifices sibi reseruant collationes, per alios de illis ecclesijs prouideri non potest. Prodest tamen multum testificatio canonicorum; quia Papa facilius mouetur ad prouidendum ei, in quem cõcurrunt vota eorum. Abb. hic nu.4. Quomodo autem ex temporum, & constitutionum varietate, fuerit beneficiorum dispositio variata, tractat glos. in c.quamquam.ver.deuoluetur. hoc tit.in 6.& Abb.hic nu. 1.

Cap. 2. Osius.

ELECTVS ad clamorem populi, non debet per superiorem confirmari.

QVIA in populo reperiuntur multi viles, non habentes synceram fidem,qui præmio,& mercede possent corrumpi, vt in ecclesia clamarent, & talem petere viderentur. vt in tex. Et quoniã huiusmodi fraudibus est obuiandum.vt in tex. Ideo prouidetur, vt sic electus non

non confirmetur.vt in tex. & c.si ergo.8.q.1. Præterea ius eligendi prælatum, est quid spirituale, cuius laici sunt incapaces.infr.c.massana.Ideo etiam ex hac ratione non valet electio prælati facta à populo laico. Innocen.hic. Sed licet populus non possit sibi eligere prælatum, potest tamen electioni factæ consentire.cap.plebs. cum tribus seqq.dist.63. adeo quod electio, in quam populus non consentit, potest irritari, si ex illa sequi scandalum videretur.c.1.& ibi glos.1.dist.62. Et ex vrbanitate potest introduci, quod canonici non procedant ad electionem prius, quàm denuncient principi loci mortem prælati, & petant ipsius assensum in electione futuri prælati.arg.c.lectis. dist. 63. Posset enim princeps obijcere contra electum, quod est sibi suspectus in regimine, nec tenetur admittere prelatum, de quo non possit confidere, ne forte reuelaret aduersario secreta regni. Innoc.in c.super his.de accusat. & Abb.supr. in cap. prox.nu.9. Est tamen attendendum, ne malitiose principes aliqua opponant propter aliquod iniustum eorum interesse, quo casu ipsorum contradictio non esset admittenda. Innoc.in d.c.super his.

Cap.3. Postquam.

ELECTIO canonica confirmanda est.

QVIA per electionem acquiritur electo ius prælaturæ, & ius administrandi; per confirmationem verò acquiritur exercitium prælaturæ, & administrationis.glos.1.in c. quanto. dist. 63. Vnde postquam electus consensit, non potest ei ius suum auferri; nec potest ab illa electione recedi. d.glos. 1. Et quoniam ecclesia pateretur detrimentum, si electus non exerceret ius suæ prælaturæ. infr. c. cum in cunctis. Ideo postquam est canonice electus, debet confirmari, vt possit actu ecclesiæ deseruire.c.cum inter.& c.ne pro defectu. infr.eod. Vnde confirmatio est necessitatis, licet electio à principio fuerit voluntatis: Canonici enim nō tenentur eligere certum, sed possunt eligere, quem volunt, dummodo idoneum.infr.c.quia propter. Sed superior, ad quem spectat electionis confirmatio, tenetur ex debito electionem confirmare, si nihil impedit electum. Hinc est, quod potestas confirmandi, seu instituēdi pertinens ad Episcopum, transit ad capitulum, sede vacante.vt in cap. cum olim.de maior.& obed.& c.2.de institut.in 6. Secus est in potestate conferendi, seu eligendi.vt in cap.vnic. ne sede vacan. in 6.& c.fin.de regular.eod.lib. Nam diuersitatis ratio est, quia confirmatio, seu institutio est necessaria, & nullam liberalitatem superior in ea exercet, sed vtitur iurisdictione necessaria; collatio autem, seu electio est libera, & computatur inter fructus, qui non transeunt ad capitulum, sede vacante, & ideo nec ipsa transit.glos. fin. in cap.relatum. de præbend.& Abb. hic num.1.

DEBET tamen superior, ante confirmationem inquirere de conuersatione, & vita electi.

QVIA nihil est, quod ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur prælati ad regimen animarum c.nihil.infr.eod. Et quoniam sicut digne electus, est confirmandus. vt dictum est superius; ita indigne electus, est reijciendus. d.c.nihil. Ideo nemini est per superiorem cito manus imponenda, nec electio statim confirmanda, sed an electus tali honore sit dignus, est diligenter examinandum. d.c.nihil. & ibi glos.ver.suspendatur.& c.fin.eod. in 6.

VBI fuit conuersatus.

QVIA vicinus præsumitur scire facta vicini. c. quosdam. de præsumpt. Ideo vt verisimiliter possit haberi certa notitia de vita, & moribus electi, inquisitio eius famæ est faciēda in loco, vbi ipse est conuersatus. vt in tex.& glos.2.hic.

Cap. 4. Significasti.

ELECTO in Archiepiscopum Sedes Apostolica pallium non tradet, nisi prius præstet fidelitatis, & obedientiæ iuramentum.

QVIA per pallium confertur plenitudo pontificalis officij, & nomen archiepiscopale.c.nisi.de auct.& vsu pal. Et quoniam omnis Christi actio debet esse nostra instructio.c.Deus.2.q.1. Et Dominus noster Iesus Christus, qui, cum ouiarum suarum curam Petro committeret, conditionem apposuit dicens: Si diligis me, pasce oues meas. Si conscientiarum factor, & cognitor secretorum, conditione hac vsus est; nec semel tantum, sed & secundo, & vsque ad contristationem; qua Papam solicitudine oportet tantam ecclesiæ prælationem imponere fratribus, quorum conscientias non videt? vt in tex. Ideo cum à Sede Apostolica Archiepiscopus suæ insignia dignitatis exigit, quæ à beati Petri tantum corpore assumuntur, iustum est, vt ipse quoque Sedi Apostolicæ subiectionis debitæ signa soluat, quæ ipsum cum beato Petro, tanquam membrum de membro habere, & catholici capitis vnitatem seruare declarent. vt in tex.

Cap. 5. Quia.

SI schismaticus ad vnionem Ecclesiæ reuersus, eligitur in Episcopum, electio non tenet.

QVIA vt electio sit valida, debet fieri de illo, qui non habeat defectum, & impedimentum ad exercendam dignitatem, ad quam eligitur. vt not.in c.vnic.supr.tit.prox.in 6. alias, si habet defectum, non est eli-

est eligendus, sed postulandus. c. gratum. d. tit. prox. Et quoniam ille, qui fuit schismaticus, est impeditus, & inhabilitatus propter illud grauissimum, & notorium schismatis crimen, vt non posit amplius administrare sacramenta sine dispensatione. c. fin. de tempor. ordin. & c. nos. & ibi glos. fin. dist. 12. Ideo electio facta de tali, cum sit facta de inhabili, non tenet. vt in tex. & infr. c. innotuit. Et quando dicitur, quod post pœnitentiam quis efficitur nouus homo, & non debet in eo inspici, quod fuit. c. ferrum. dist. 50. & sic videatur, quod cum iste sit reuersus ad vnitatem ecclesiæ, non debeat impediri, quin posit de iure eligi. Respondetur, quod illud habet locum quo ad Deum, & etiam quo ad ecclesiam militantem in paruis criminibus; sed in magnis criminibus, quo ad ecclesiam militantem non habet locum; nam etiam post peractam pœnitentiam de talibus, ille remanet irregularis ob delictum, quod scandalizauit. Butr. hic nu. 13. & Abb. nu. 6. & vide S. Tho. 2. 2. q. 39. art. 4.

SED, ex dispensatione potest confirmari.

QVIA talis inhabilitas est introducta à iure positiuo. d. c. nos consuetudinem. & ibi glos. fin. Et quoniam in ijs, quæ sunt de iure positiuo Papa potest dispensare, cum sit supra illud. c. proposuit. & ibi glos. ver. supra ius. de concess. præb. Ideo per consequens potest talem electionem confirmare; licet regulariter electionem nullam Papa non confirmet, sed illam irritam denunciet. c. innotuit. infr. eod.

Cap. 6. Licet.

ELECTVS in Romanum Pontificem à duabus partibus Cardinalium, nulla exceptione obstante, est Papa.

QVIA electio Romani Pontificis spectat ad Collegium Cardinalium. c. in nomine Domini. dist. 23. & c. vbi. infr. eod. in 6. Et quoniam in actibus collegij illud, quod fit à maiori parte, censetur factum à toto Collegio. c. 1. de his, quæ fiunt à mai. par. cap. Ideo multo magis debet censeri factum ab omnibus illud, quod fit à duabus partibus, apud quas intelligitur esse potestas vniuersitatis, etiam in illam congregando. Butr. hic nu. 18. & Abb. nu. 14. Speciale autem est in electione Romani Pontificis, vt non sufficiat maior pars, sed requirantur duæ partes; quia post eius electionem non potest ad superiorem haberi recursus. vt in tex. Et ideo dum eligitur, confirmatur, & statim habet plenam, & liberam administrationem, glos. fin. hic. Quod non est in electionibus aliorum prælatorum, in quibus, si est aliqua difficultas, debet per superiorem ante confirmationem examinari. vt not. supr. in c. postquam. Ideo in illis non mutatur communis forma, & necessario non requiruntur duæ partes, sicut requiruntur in electione Romani Pontificis, vt in tex. In cuius assumptione propter grauitatem oneris, cum maius

maius periculum vertatur, plenius est consulendum. d.c. vbi. eod.in 6. Possunt tamen Cardinales conuenire, vt electus à maiori parte sit Papa; quia ille, qui sic electus est per istam conuentionem specialem, non tantum à maiori parte eligitur, sed à toto Collegio, qui dedit hanc facultatem illi parti; sicut à toto Collegio dicitur electus ille, qui à compromissarijs eligitur. infr.cap. in causis. Compostell. hic in fin. qui tamen putat, quod, vno contradicente, non possit compromitti, nec ordinatio ista fieri; quia in re communi potior est conditio prohibentis. l.Sabinus.ff.cummun. diuid. Nunquid autem vox electi debeat computari in numero vocum eligentium; distingue, quod, aut fit electio per scrutinium secretum, & vox sua non computabitur in numero; quia, cum ipse ignoret, an fuerit electus ab alijs, non potest dicere: eligo me ipsum; nam tunc tanquam ambitiosus esset repellendus. Sed si electio fuit facta per scrutinium publicum, ita quod quilibet exprimebat votum suum, tunc vox electi computatur in numero; quod intellige, quando prius fuit electus ab alijs, & ipse consensit illi electioni; nam tunc non potest dici ambitiosus, cum non oriatur à se, sed sit vocatus à fratribus. Et est speciale in Papa, vt quandocunque in scrutinio publico, vel secreto, consensisset in alium, & postea videns se electum ab alijs, possit recedere ab electione, quam fecit, & accedere ad electionem de se factam; nam in electione Papæ admittitur variatio per accessum. Abb. hic nu.13. Et in quantum ad duas partes Collegij, quod debeant esse præsentes; conclude, tam de iure ciuili, quàm canonico; quod ad hoc, vt valeat, quod agitur in aliqua vniuersitate, oportet, quod duæ partes vocandorum sint præsentes, vt in iuribus adductis hic per glos.ver. speciale. Et quicquid à maiori parte illarum duarum determinatur, tenet.l.quod maior. ff. ad municip.& c.1. de his, quæ fiunt à mai.par.cap. quæ iura debent sic intelligi; & hoc communiter tenetur à legistis. vt not.glos.in l.planè.ff. quod cuiusque vniuer.nom. & Bart in l.omnes. ff. de iustit.& iur. Sed de iure canonico dubitatur, vtrum requirantur necessario duæ partes, si multi vocati noluerunt venire, de quo vide in c. cum nobis. & cap. in causis. infr. eod. Et de iure canonico certum est, quod si contemnatur vnus, qui debebat vocari, potest facere cassari quicquid fuerit actum per totam vniuersitatem. c.bonæ. il 2. & c.quod sicut.infr.eod. Et quo ad Cardinales, tenent hic Doctores, quod sufficiunt duæ partes præsentium; dummodo alij fuerint expectati, iuxta c. vbi periculũ.eod.in 6. Vnde non est necesse, quod cõsentiant duæ partes omniũ Cardinaliũ; sed præsentium in conclaui. arg.c. ea enim.§.hoc ius.10.q.2.& Abb.hic nu.14. Et est sciendum, quod super electione Papæ emanauerunt quinque iura. Primum ius antiquum, de quo in c. si quis Papa.dist.79.& c.in nomine Domini. distin.23. Secundum ius nouum huius capituli. Tertium fuit magis nouum in quadam extrauaganti Innocentij Quarti, quæ incipiebat: Frequenter. & hodie illa est

subla-

sublata propter compillationem Sexti. Quartum fuit aliud ius magis nouum.vt in c.vbi periculum. infr.eod. in 6. Quintum fuit ius nouissimum, quod habetur in Clemen.Ne Romani.infr.eod. Et nulla exceptio admittitur contra electum à duabus partibus Cardinalium. vt in tex. quia ex tali electione electus consequitur ius,& plenam, ac liberam administrationem.glos.fin.hic. Vnde exceptio non est in hoc casu proportionabilis; nam exceptio opponitur contra petentem, cum sit actionis exclusio.c.2.de ordin.cogn.Cum enim electus sic in Papam iam sit adeptus plenum ius,nihil petit.vt superius dictum est. Potest tamen contra eum excipi,& accusari de hæresi.glos.hic.ver.absque; quia ius Papatus non cadit in hæreticum; nam cum hæreticus sit extra ecclesiam, non potest esse caput ecclesiæ.Abb.hic nu. 11. Et sic cum in tali casu sit incapax,non potest dici, quod sit ius adeptus, nec quod possit illud retinere. Abb. hic.

ELECTVS autem à minori numero gerens se pro Papa, incidit vnà cum sibi adhærentibus in pœnas hic contentas.

QVIA cum talis electio sit irrationalis; fuit per hanc constitutionem sub pœna excommunicationis,& alijs pœnis damnata. vt in tex. Quæ constitutio huiusmodi contrauenientes ligat; nam Papa potest constituere etiam super electione sui successoris, & super explicandis post mortem suam. Et hoc procedit ex potestate sibi à Christo tradita, dum in persona Petri sibi dictum est: Quodcunque ligaueris &c. Matth.cap.16. Et exponuntur illa verba, Quodcunque ligaueris, scilicet, per statuta,vel præcepta. vt not.Innoc.in c.quanto. de consuet. Et ponderandum est illud verbum, Quodcunque,quod est vniuersale affirmatiuum; nihil enim excludit,dum dicit: quodcunque.vt in c.si Romanorum. dist.19.& c.solitæ. de maior. & obed. Et intellige, claue discretionis non errante.vt in c.manet.24.q.1.& not.Hostien.in c.quanto. de transl.episc.& Innoc.in c.quanto. de iureiur. Hinc dicimus, duas esse claues Petri; per vnam significatur potestas,per aliam discretio, siue scientia.vt not.in c.1.cum sequen.dist.20.& c.fin.de excess. prælat. Non tamen Papa potest eligere successorem.vt not.glos.in c.apostolica.§. his omnibus.8.q.1.& Io.Andr.hic,& Archid.in c.si transitus.dist. 79. Et tenetur hoc comuniter per Doctores: & est ratio,quia effectus huiusmodi electionis refertur ad tempus,quo non est futurus Papa.l.cum,qui.ff. de iurisdict.omn.iudic. Sed constitutio, quam facit super electione, admittitur, quia prouidet futuris scandalis, & in casu, quo alius præter eum prouidere non potest. Posset tamen Papa dare potestatem alicui prælato eligendi sibi successorem.vt in c.petisti.7.q.6.Et tunc fit electio auctoritate Papæ,& non propria.Abb.hic nu.2.

Cap.

Cap.7. Cum in cunctis.

ELECTIO ad episcopatum fieri debet de digno, scientia, moribus, & ætate, & quod habeat trigesimum annum completum.

QVIA cum in cunctis sacris ordinibus, & ecclesiasticis ministerijs, sint ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum scientia inquirenda. vt in tex. Multo fortius in Episcopo hæc oportet inquiri, qui ad curã aliorũ positus, in seipso debet ostẽdere, qualiter alios in domo Dei oporteat conuersari. vt in tex. Et quoniam ætas triginta annorum est perfecta, in qua Dominus Iesus fuit baptizatus, & cœpit prædicare. S.Gregorius super Ezechielem in princ. & c.presbyter. dist. 78. Ideo in Episcopo, cuius præcipuum munus est prædicare, requiritur hæc ætas, per quam præsumatur cum alijs requisitis idoneus ad tantum munus. glos.2.in d.c.presbyter.

ET sit de legitimo matrimonio natus.

QVIA filius dehonestatur propter incontinentiam paternam, quam illegitimitas prolis ostendit. cap.litteras. de fil. presbyt. Et quoniam propter hunc defectum non potest illegitimus sine dispensatione Papæ, ad dignitatem, personatum, & beneficium curatum promoueri. c.fin.d.tit.de fil.presb. Ideo multo minus debet promoueri ad Episcopatum, qui est dignitas maior illis. vt in tex. Et qui requirit personas sine vitijs, & multis virtutibus ornatas. vt in Epist. ad Tit. cap.1. & 1.ad Timoth.c.3.& habetur à dist.25.vsque ad 50.& à 81.vsque ad 101.

§. Cum verò.

BENEFICIA electi in Episcopum vacant per confirmationem, adeptionem possessionis, & consecrationem secutam.

QVIA episcopatus de iure communi est incompatibilis in eadem persona cum alijs beneficijs. c.inter. de transl. episc. & c. si quis, 21.q.2. Et quoniam quando duo beneficia sunt incompatibilia, per assecutionem secundi vacat primum. c.de multa. de præb. Dicitur autem secundum assecutum, quando quis est illud plenè consecutus. d.c.si quis. & ibi glos. Ideo episcopatus dicitur assecutus post confirmationem, illius adeptam possessionem, & secutam consecrationem; nam ante ista posset adhuc excipi contra electum, & ab episcopatu remoueri. Compostell. hic circa med. Vnde non potest dici ante ista secuta, quod habeat episcopatum; nam habere, est cum effectu habere. glos. hic ver. ad quem.

VEL postquam præfixum tempus ad petendum consecrationem, lapsum fuerit.

Quia

QVIA cum iste sit in mora petendi consecrationem, in sui pęnam quo ad retenta beneficia, talis mora debet ei esse nociua, & sibi imputari. glos.hic.ver.tempore. Et ob eandem culpam etiam ab illa dignitate, ad quam fuerat electus, debet repelli. Et ne propter diuturnam prælati carentiam ecclesia illa patiatur detrimentum, de alio debet ei prouideri.c.quoniam.dist.centesima.& c.2.dist.75. Ideo talis morosus, & beneficijs, & episcopatu carebit.d.c.quoniam. Ex hoc autē tex. notantur quatuor requisita ad hoc, vt vacent beneficia electi in Episcopum. Primo enim requiritur, quod fuerit electus. Secundo, quod confirmationem electionis fuerit consecutus. Tertiò, quod sit adeptus possessionem. Quarto, quod sit consecratus, vel quod sit in mora petendi consecrationem; & dicitur esse in mora, si non petit intra tempus præfixum à canonibus, scilicet intra tres menses à tempore confirmationis habitæ.d.c.2.dist.75.& Concil.Trid.sess.23.cap.2. Ex quibus notatur ordo procedendi: nam primo quis eligitur: secundo electio confirmatur: tertio administrationem consequitur: quarto consecratur. Et vnum nascitur ex altero; nam vigore electionis fit confirmatio; & virtute confirmationis competit ius administrādi.vt infr. in c.transmissam. Et vt possit plene administrare, debet consecrari; quia electus, & confirmatus potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis; ea verò, quæ sunt ordinis episcopalis, non exercet ante habitam consecrationem. d.c.transmissam. Vnde communiter dicunt canonistæ, quod consecratio episcopalis est ordo: ideo in multis iuribus dicitur, Episcopum ordinari, & in aliquibus consecrari; quia in consecratione recipit ordinem episcopalem. Theologi verò dicunt, quod non est ordo, sicut nec prima tonsura; vnde ipsi tenent septem esse ordines. Canonistæ autem asserunt nouem; nam computant primam tonsuram, & ordinem episcopalem. de quo vide bo.glos.in proœmio Sexti. & S.Thom.par.3.quæst.40.art.5. in addit. Notatur etiam ex hoc tex. quod beneficia promoti, & translati ad episcopatum, vacant ipso iure; vnde non requiritur alia sententia, vt colligitur ex tex.ibi, habeat liberam facultatem. Non enim haberet collator liberam potestatem, seu facultatem conferendi, si haberet necesse expectare sententiam priuationis, vel alicuius consensum, iuxta c.de multa.de præb.& c.licet Episcopus.eod.tit. in 6. Sed quæritur, nunquid de necessitate requirantur omnia hic expressa ad hoc, vt vacent beneficia istius promoti? Respondetur, quod saltem in effectu requiruntur, & si non formaliter. Nam hodie propter reseruationes Summorum Pontificum electiones non confirmantur; sed Papa prouidet ex officio suo; vnde illa prouisio, cum pronunciat aliquem Episcopum, habet vim electionis, & confirmationis; sicut dicimus in collatione beneficiorum.vt not.in c.cum olim.de caus.possess.& propriet. Vnde dicendum est, quod post prouisionem factam per Papam, non vacant immediatè beneficia prouisi, seu pronunciati; sed debet expectari, vt

iste prouisus consequatur prius administrationem, & quod consecretur. Et quanquam curia hodie de facto non seruet; sed immediate confert beneficia pronunciati; tamen illa collatio non habet effectum, seu habere deberet, nisi postquam prædicta interuenerint; quia non debet quis perdere primum beneficium, nisi plenè sit secundum consecutus, vt dictum est superius, & habetur in c.si quis.21.q.2.& c.si qui. dist. 92.& Abb.hic.

§. Inferiora.

IN dignitatibus, & officijs citra Episcopatum, ac Curatis beneficijs, debet assumendus vigesimum quintum annum attigisse, & alias esse idoneus scientia, & moribus.

QVIA licet in istis beneficijs non requiratur tanta maturitas, sicut in episcopatibus. vt in tex. Requiritur tamen maior, quam in inferioribus beneficijs, vt tales beneficiati possint ea, quæ ad ipsa beneficia spectant, conuenienter adimplere. vt in tex. Ideo requiritur ætas ista, per quam possint intra annum ad presbyteratus ordinem, qui est annexus curæ animarum, promoueri. c.licet.eod.in 6. Et per quam possint sufficientem scientiam ad eorum munus exercendum, habere: glos.hic.ver.archidiaconatū. Et per quam ex eorum probata vita possint alijs bona exempla præberi.d.c.licet, & Concil.Trid.sess.23. cap.12. In ætate autem, quando sufficiat annus inchoatus, vel requiratur annus completus, sunt consideranda verba dispositionis. Nam si diceretur, quod in anno decimo octauo quis posset promoueri, sufficit, quod attigerit vnum diem decimi octaui anni, quia verum est dicere, istum esse in decimo octauo anno; secus si diceretur, quod habeat decimum octauū annum, de quo vide plenius per glos.in Clem.generalē. de ætat. & qual. & Abb.in princ.huius cap.num.6. Vnde cum in iure dicatur, quod in Episcopo requiritur annus trigesimus exactus, & in istis inferioribus vigesimus quintus inchoatus, non relinquitur dubitationi locus, qualiter in eis annus intelligatur. glos.hic.ver.exegerit, & Abb.d.nu.6.

ET si non est in ordine requisito, debet se facere promoueri in proximis temporibus.

QVIA ex quo suscepit vnum connexorum, videtur ad reliquum se obligasse. glos.hic.ver.remoueantur. Ideo quamcitius potest, debet competentibus temporibus talis suscipere ordinem à suo beneficio requisitum, ex quo suscepit beneficium, quod habet talem ordinem annexum. c.si pro clericis.de præb.in 6.

ALIAS monitus non parens priuabitur beneficio.

Quia

QVIA cum iste sit in mora id faciendi, ad quod tenetur. vt in tex. mora sua debet sibi esse nociua.c.mora.de reg.iur.in 6. ne ex sua culpa, per quam pœnam meretur, commodum reportet cum Ecclesiæ suæ detrimento.vt not.supr.in §.cum vero.& c.2.dist.75. Hodie autem in ecclesia parochiali non collegiata, qui non facit intra annum se promoueri in sacerdotem, est priuatus ipso iure, nec requiritur alia monitio, vel sententia.d.c.licet.eod.in 6. Sed in alijs beneficijs, de quibus aliter non disponitur per ius magis nouum, remanet firmum, quod statuitur in hoc tex. vt scilicet ante priuationem requiratur monitio. Butr. hic num. 6.

NON obstante appellatione, nisi ex causa legitima excusetur.

QVIA appellationis remedium, non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ fuit institutum.c.ad nostram. de appell. Ideo sicut appellatio non debet iniuste aliquem tueri contra hanc constitutionem; ita si per ipsum ordinandum non stetit; quo minus huic iuri pareret, appellatio legitime interposita debet eum releuare, ne sine culpa puniatur.vt in tex.& c.2.de constitut.

§. Clerici.

ELIGENTES indignum contra formam huius cap. priuati sunt pro prima vice potestate eligendi.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. vt in tex. Et quoniam conueniens est pœna, vt quis puniatur in eo, in quo deliquit.c. inter.de excess.præl. Ideo contra istos, qui in electione deliquerunt, imponitur pœna, vt pro prima vice non possint eligere; & quia etiam deliquerunt circa beneficia, ab ecclesiasticis beneficijs per trienninm suspenduntur.vt in tex. Quæ pœna suspensionis restringitur ad beneficia, quæ tales obtinent in illa ecclesia, ad quam fuit facta electio; nam ipsa per electionem indigni fuit læsa; non autem extenditur ad alia beneficia extra illam ecclesiam, in quibus non fuit peccatum.vt per c. si compromissarius. eod.in 6. Et talis pœna intelligitur imposita eligentibus scienter indignum; secus si quis elegerit ignoranter. vt infr. c. innotuit. & Abb.hic num.2.& 4.

ET idem in collatore.

QVIA cum etiam ipse simili culpa deliquerit.vt in tex.conueniens est, vt simili pœna multetur.l.illud.ff.ad leg.Aquil.

ET defectum capituli supplet episcopus, & e conuerso si capitulum negligit, fit deuolutio ad metropolitanum.

QVIA regulariter maior supplet negligentiam inferioris . iuxta not.in c.cum simus.9.q.3.& c.ex parte. de conceff. præb. Minor autem non supplet negligentiam superioris , nisi in casibus in iure expressis.vt not.Innoc.in c.quia.de conceff. præb. Ideo cum hic exprimatur , qualiter defectus vnius sit supplendus per alium, iste ordo ad supplendum in his casibus erit attendendus.glos.fin.hic,& Abb.nu.5.

Cap.8. Causam.

COMPROMITTENTES super electione, tenentur recipere electum à compromissario.

QVIA electus à compromissario censetur electus ab ipsis compromittentibus,quorum nomine ipse eligit; nam subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur.§.fuerat.Instit.de action. Et Et qui per alium facit,per seipsum facere videtur.c.vt famæ.de sent.excom. Et quoniam huiusmodi forma eligendi per compromissarium, est vna de formis in electionibus approbata.infr.c.quia propter. Ideo sicut ipsi principales non possent post electionem factam , ab electo resilire ; nam eligendo functi sunt eorum officio, & per electionem est electo ius acquisitum.glos.fin.hic.& infr.c.cum inter. ita non licet eis recedere ab electione facta à compromissario eorum.vt in tex.

SI est idoneus.

QVIA ipse compromissarius habet facultatem eligendi per mandatum sibi factum à compromittentibus. infr. c. in causis . Et quoniam in mandato generali nõ censentur mandantes cogitasse, quod eligeret indignum.c.si compromissarius.eod.in 6. nam verba sunt ciuili modo intelligenda.l. si cui.ff.de seruit. Ideo eius facultas non debet vltra intentionem mandantium , & vires mandati,se extendi.d.c. si compromissarius.& Butr. hic in fin. Et sic talis electus non est recipiendus , cum compromissarius non censeatur habere mandatum ad talem, vt in tex. Et etiam, quia talis electio non est valida ex parte electi , qui tanquam inhabilis,non erat capax electionis. supr.c.proxim.& Abb.in rubric.de postul.prælat.

Cap.9. Nosti.

ELECTVS ante confirmationem , beneficia conferre, vel aliter administrare non potest.

QVIA per electionem quis consequitur ius prælaturæ , & ius administrandi in habitu ; sed per confirmationem superioris consequitur ius administrandi in actu.glos.1.in cap.quanto.dist. 63. & not.supr.in c.cum in cunctis.§. cum verò . Ideo ante confirmationem non

non debet electus sibi attribuere plus iuris, quam ipse habeat, ne rerum ordo confundatur, & superioris auctoritas contemnatur. glos. in c. auaritiæ. ver. confirmetur. eod. in 6. Per confirmationem autem administrat ea, quæ sunt iurisdictionis, sicut est, iudicare, excommunicare, corrigere, beneficia conferre, & similia, quæ consistunt in iurisdictione. Ea verò, quæ sunt ordinis, sicut clericos ordinare, chrisma conficere, depositio clericorum, benedicere virgines, ecclesias, & altaria consecrare, & similia, conferuntur in consecratione episcopali. glos. fin. infr. in c. transmissam. Vnde prælati, qui hodie prouidentur per Papam, statim atque sunt per Papam pronuntiati, possunt administrare ea, quæ sunt iurisdictionis. Abb. hic nu. 4. nam talis prouisio habet vim electionis, & confirmationis. vt not. in c. cum olim. de caus. possess.

Cap. 10. Considerauimus.

ELECTIO facta post appellationem, & prima non cassata, cassanda est.

1 QVIA per primam electionem fuit contractum matrimonium inter ecclesiam, & electum. infr. c. cum inter canonicos, & Abb. hic nu. 2. Et sicut vna mulier non potest habere duos sponsos, ita nec ecclesia. Butr. hic nu. 1. Ideo cum prima electio sit aliqua (quantumcunque reuocabilis) ecclesia non est libera, vt possit dari secunda electio, nisi prius cassetur prima. Butr. nu. 4.

SIMILITER facta contra priuilegia Ecclesiæ.

QVIA gesta contra priuilegia ecclesiæ, non sunt ipso iure nulla, licet veniant retractanda. Abb. hic nu. 2. Ideo cum prima electio in tali casu fuerit aliqua, non poterat dari secunda, antequam cassaretur prima, vt dictum est superius, & Abb. d. nu. 2. vbi notat differentiā inter priuilegia, & iura communia; nam attentatum contra ius commune, regulariter est ipso iure nullum. vt in c. vides. dist. 10. & c. quę contra. de reg. iur. in 6. & l. non dubium. C. de legib. secus in attentato contra priuilegium, vt ex hoc tex. nam priuilegia non sunt leges communes, licet sint priuatæ leges. c. priuilegia. dist. 3. Et cum consistant in facto, possunt probabiliter ignorari. c. 1. de constit. in 6. iura verò communia concernunt publicum commodum, nec possunt probabiliter ignorari, immo est latæ culpæ ignorare illa. Bart. in l. quod Nerua. ff. deposit. & Abb. hic d. nu. 2.

Cap. 11. Suffraganeis.

METROPOLITANVS confirmatus, licet non dum receperit pallium, potest suum suffraganeum consecrari facere.

Quia

QVIA sicut Metropolitanus, si fuisset consecratus, & pallium recepisset, posset exercere ea, quæ sunt ordinis; & sic posset per seipsum cum alijs duobus Episcopis, suum suffraganeum consecrare.c.nec Episcopi.de tempor.ordin.& c.quod sicut.infr.eod. Ita electus, & non dum confirmatus, potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, vt supr.in c.nosti.Et quoniam dare licentiam Suffraganeis; vt possint consecrare electum, subiectū iurisdictioni metropolitanæ, pertinet ad exercitium iurisdictionis.arg.l.3.ff de iurisd.omn. iudic. & Compostell. hic. Ideo potest talis Metropolitanus alijs hoc demandare, licet per seipsum, cum non dum receperit pallium, non possit adhuc consecrare. glos. penult.in c.1.de transl.episc. Nec obstat, quod ipse non possit per se cōsecrare; & sic videatur, quod nec per alium possit hoc facere, ex eo, quod qui per alium facit, per seipsum facere videtur.c.mulieres.de sent. excom. Et quod non debeat alieno nomine licere, quod non licet suo.c. quod alicui.de reg. iur. in 6. Et quod nemo possit plus iuris in alium transferre, quam ipse habeat.l.traditio.ff.de acquir.rer. dom. Nam respondetur, quod ista contraria procedunt, quando quis mandaret aliquid alijs non habentibus potestatem ad illud ex seipsis, & sic egerent creatione potestatis ex dante; sed per alium habentem potestatem, licet ligatam, bene quis potest, quod non potest per seipsum, quia potest dissoluere vinculum impediens, licet non possit potestatem creare. Innocent.hic, & Butr.nu.11. Hic autem Episcopi, tāquam ordinem habentes, habebant potestatem habitu consecrandi, sed illam habebant ligatam; quia non poterant eam exercere in electum eis non suppositum; & hoc ligamen dissoluitur per mandatum Archiepiscopi. Butr. hic, & glos.penult.in d.c.1.de transl.episc. Et similiter capitulum potest, sede vacante, committere alteri Episcopo, vt ordinet clericos, licet capitulum per se non possit ordinare. cap.cum nullus. de tempor. ordin. in 6. nam per illam commissionem remouet ligamen iurisdictionis, per quod ille non poterat in aliena diœcesi suum ordinem exercere. Abb. hic nu. 2. Et sic habes limitationem ad iura dicentia, quod is videtur facere, cuius nomine fit, & ad alia similia iura superius adducta; nam illa procedunt, quando ille, cui fit commissio, non poterat facere nomine suo, sed ex toto facit tanquam alius; secus vbi faceret nomine suo, licet habuerit auctoritatem ab alio. Abb.d.nu.2. Vnde ille, qui mandat, licet nō semper habeat formaliter id, quod alteri mandat; habet tamen illud quandoque causaliter, id est, causat, vt ille possit, qui per aliquod impedimentum non poterat. Bald.hic.

Cap. 12. Super eo.

IS, cuius electio fuit cassata, non vitio personæ, sed electionis modo, iterum eligi potest.

Quia

QVIA nemo debet alterius odio prægrauari. l. iniquissimum. ff. de iur.& fact.ignor. Et res, quæ culpa caret, damnum afferre non debet.c.2.de constitut. Ideo cum talis electus non fuerit in vitio, per quod electio veniat retractanda, si illa cassatur ex defectu eligentium, non debet tali imputari, quin possit aliàs promoueri. vt in tex. sed illius fama est integre conseruanda, sicut ante huiusmodi electionem erat.supr.c.considerauimus.

SECVS, si vitio personæ.

QVIA ille, cuius opinio de aliquo crimine est grauata, interim promoueri non debet. c.omnipotens. de accusat. Et infamibus non debent portæ patere dignitatum.c.infamibus. de reg. iur.in 6. & ibi glos. quæ dicit, quod non solum infamia iuris, sed etiam infamia facti impedit, ne quis promoueatur ad dignitates, & beneficia. Ideo cum talis fuerit impeditus, & repulsus ab ista electione propter suum vitium, propter idem erit ab alia electione repellendus: nam vitium concernens personam, sigillat, & notat vbique ipsam personam, illamq. sequitur, sicut lepra leprosum.c.cito.1.q.1. Sed nunquid iste tex. habet locum indistinctè, qualitercunque electio fuerit cassata vitio personæ? Dic, quod non: vnde est distinguendum, quod quandoque cassatur electio propter crimen electi verè probatum, quandoque propter crimen præsumptum, quandoque propter infirmitatem ipsius electi talem, quæ habet impedire promotionem, de qua est exemplum in c.cum inter.infr. eod. Primo casu habet locum indistinctè iste tex. Secundo casu non impeditur secunda promotio, si potest se purgare de illo crimine præsumpto; quia contra crimen præsumptum admittitur purgatio. infr.c. officij. Tertio casu si potest probare, quod ab illa infirmitate conualuerit, non impeditur noua promotio; quinimo multi tenuerunt, quod de nouo debeat probari, ipsum laborare illa infirmitate; nam semel infirmus non semper præsumitur infirmus; secus in vitioso, qui semper præsumitur malus, nisi probetur mutatus. Abb.hic nu.3.

Cap. 13. Cum monasterium.

NON professus potest postulari in abbatem, si ex aliqua bona causa fiat talis postulatio.

QVIA vbicunque necessitas, vel vtilitas requirit, rigor legis relaxatur, & quæ erant à iure communi disposita, ex æquitate per dispensationem temperantur.c.necessaria.& c.tali.1.q.7.Ideo, licet non professus regulariter non debeat præfici in Abbatem, quia non præsumitur in regula competenter instructus; & non debet quis fieri magister, antequam fuerit discipulus.infr.c.officij. & c.nullus.eod.in 6. Tamen si adsit causa rationabilis, quæ præponderet isti communi respectui, pote-

poterit à Papa impetrari, vt ille, qui non potest de iure communi præfici, & per consequens non potest eligi, quod possit postulari, & sic ex gratia præfici, remouendo ex eius auctoritate illum defectum, qui de iure communi obstabat. glos. in c. fin. de postul. præl.

Cap. 14. Cum terra.

ELECTIO debet esse in libertate eligentium.

QVIA eligere est vnũ ex pluribus voluntarie capere. Abb. hic nu. 1. Vnde non est electio, vbi non est voluntas libera eligendi. c. vbi periculum. §. cæterum. eod. in 6. Ideo cum libertas sit de substantia electionis, vt maneat electio, debet in electoribus esse libertas. Abb. d. nu. 1. Et sicut in matrimonio carnali debet inter contrahentes liber esse assensus. c. cum locum. de sponsal. ita debet esse in electione, per quã contrahitur inter electum, & ecclesiam, (cuius nomine interueniunt eligentes) matrimonium spirituale. infr. c. cum inter.

NEC valet contraria consuetudo.

QVIA talis consuetudo redundaret in grauamen, & perniciem ecclesiasticæ libertatis. vt in tex. Et quoniam consuetudo, quæ infert grauamen ecclesijs, est irrationabilis. c. 3. de consuet. Ideo est potius dicenda corruptela, & radicitus extirpanda. c. 1. & fin. d. tit. de consuet. Præterea est generale in quolibet actu, vt non valeat consuetudo, per quam detrahitur substantiæ actus, ipso actu remanente, vt probatur. c. 2. de consuetud. in 6. iuncta glos. vbi patet, quod non valet consuetudo, vt appelletur à Vicario Episcopi ad ipsum Episcopum, quia est contra substantialia appellationis, cum appellatio sit de minori iudice ad maiorem prouocatio. Sed Vicarius Episcopi facit idem consistorium cum Episcopo; quia iurisdictio sua non est alia à iurisdictione Episcopi: sic etiam non valet pactum, vel modus appositus contra substantialia actus. vt in c. fin. de præcar. & in l. cum præcario. ff. eod. & in l. per seruum. §. 1. ff. de vsu, & habit. vbi dicitur, quod non valet, si quis legat vsumfructum rei sine vsu. Ideo cum libertas sit de substantia electionis, vt superius notatur, non potest consuetudo contraria valere. vt in tex. Potest tamen consuetudo restringere ipsam libertatem, vt probatur in in c. Abbate. de verb. sign. & in c. cum dilectus. de consuet. & in c. 2. de in integr. restitut. In quibus iuribus probatur, quod valet consuetudo, vt collegium teneatur sibi eligere prælatum de alieno collegio. Item potest inducere consuetudo, vt collegium teneatur admittere forenses ad coeligendum secum. vt infr. c. scriptum. & de caus. possess. & propriet. c. cum ecclesia. quia per huiusmodi restrictionem, & conditionem non impeditur, quin possint eligentes libere vnum ex pluribus eligere, licet libertas non sit vaga vbicunque ad omnes. Abb. hic nu. 2. Potest etiam

per

per consuetudinem in totum tolli potestas eligendi, vt in c. 2. de in integr. restitut. vbi Episcopus prætendebat potestatem eligendi Abbatē; quia tollendo potestatem in totum, remanet, seu deuoluitur libertas eligendi ad electores, ad quos postea per consuetudinem deducitur. Abb. hic num. 3. Sed quod remaneat electio apud aliquos, qui non habeant libertatem ad plures, hoc fieri non potest, vt superius not. & Ioan. Andr. hic.

Cap. 15. Transmissam.

PER confirmationem electionis transfertur potestas exercendi ea, quæ sunt iurisdictionis episcopalis.

QVIA post electionem, & confirmationem canonicam, inter ecclesiam, pro qua interueniunt eligentes, & electum, est coniugium spirituale contractum, c. inter. de transl. Episc. Ideo tanquam sponso, datur electo confirmato potestas exercendi ea, quæ non requirunt ordinem Episcopalem, per quem dicitur postea inter Episcopum & Ecclesiam, spirituale fœdus coniugij consumari. c. licet. d. tit. de transl. Episc. Et sic electus consequitur per confirmationem ius exercendi actu iurisdictionalia, ad quæ per electionem habebat ius in habitu. glos. 1. in c. quanto. dist. 63.

NON autem ea, quæ sunt ordinis.

QVIA ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, non possunt exerceri, nisi ab habente illum ordinem. infr. c. quod sicut. §. super eo. Ideo cum iste electus, & non confirmatus, non dum receperit in consecratione ordinem Episcopalem, vt not. supr. in c. cum in cunctis. §. cum verò. Non potest ea, quæ sunt ordinis exercere, vt in tex. & d. §. cum vero.

ILLA enim transferuntur per consecrationem.

QVIA per consecrationem dicitur consumari spirituale coniugium, inter Episcopum, & Ecclesiam. vt in c. licet, de transl. Episc. Et quoniam in consecratione recipit Episcopus ordinem Episcopalem. d. c. licet. Ideo postquam est consecratus potest exercere ea, quæ ad ipsum ordinem pertinent, quæ non poterat antea. vt in d. c. quod sicut. & c. cum in cunctis. Quæ autem pertineant ad iurisdictionem, & quæ ad ordinem episcopalem, plura not. hic per glos. fin. & habentur. in cap. nosti. supra eod.

Cap. 16. Cum inter.

QVI electioni de se factæ renuntiat, appellare nequit ad impediendam electionem alterius.

QVIA non valet appellatio illius, qui non habet ius, & interesse in causa. vt in tex.& l.1.ff.de appell. recipien. Et quoniam ille, qui pure renunciauit electioni de se factæ, non habet amplius ius,& regressum ad ius antiquum in illa causa. glos.hic.ver. ex consensu. Ideo per eius appellationem, non est impedienda electio alterius.vt in tex.& c.in præsentia.de renunt.

ET electio,quæ est à suspensis celebrata,non tenet.

QVIA cum per suspensionem sit interdictum officij exercitium. glos.in c.ad reprimendam.de offi.ordin.& glos.in c.cum dilectus. de consuet. Debet intelligi interdicta etiam electio, quæ est species exercitij iurisdictionis, & officij. Abb. hic nu.6. Nam vbi aliquid alicui generaliter prohibetur,species, quæ expresse non conceditur, intelligitur denegata. Clem. exiui. §.nam vbi.de verb.sign. Ideo cum tales suspensi non possent eligere, eorum electio est inualida.glos.penult. hic. Nam pro non dato habetur, quod datur ab eo, qui non habet illud dandi facultatem.c.2.& c. pastoralis. de donat. De multiplici autem pœna suspensionum,vide glos.infr.in c.nihil.& glos.in Clem. cupientes. de pœnis,quæ enumerat vigintiquinque species suspensionum.

Cap.17. Qualiter.

SI electus non habet sufficientem scientiam,eius electio non tenet.

QVIA sufficiens scientia est de necessario requisitis in eo, qui venit eligendus.infr.c.cum nobis.& supr.c. cum in cunctis. Et quoniam vbi deficit aliquid de necessario requisitis ad validitatem actus, deficit ipse actus.c.fin.de condit.apposit.& not.Abb.in c.illud.nu.6. de præscript. Ideo si aliquis eligatur, qui non habeat scientiam sufficientem ad munus,ad quod eligitur,talis electio est nulla ipso facto.d.c.cum in cunctis.§.fin.& Abb.hic nu.4.

SIMILITER si ante confirmationem administrat, eius electio cassari debet.

QVIA electus non habet ante confirmationem ius administrandi in actu,licet illud habeat in habitu.vt not.supr.in c.nosti. Ideo si electus non confirmatus administrat actu.vsurpat sibi illud ius, quod non habet,& ingerit se illi dignitati,à qua adhuc potest per superiorem, qui eum non approbauit, repelli.vt not.in cap.inter.de transl. episc. Et facit contra dictum Apostoli, quod: Nemo debet sibi honorem assumere, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. vt in tex. Ideo incidit in pœnam ob hanc culpam,impositam, vt eius electio debeat irritari. vt in tex. Sed, licet per hunc tex.talis electio esset per sententiam irritanda. Hodie tamen per c.auaritiæ.eod.in 6.est irrita ipso facto;

cto; & eo ipso, quod talis electus ante confirmationem administrat, priuatus est iure, quod sibi per illam electionem competebat. vt in d. cap.auaritiæ.

Cap. 18. Cum inter.

SI vocantur ad electionem non vocandi, valet electio facta, eis non expectatis.

QVIA talis electio non est facta contra aliquam constitutionem, cum nullibi præcipiatur, in electione esse expectandos aliquos, qui non sint de iure, vel consuetudine vocandi. Butr. hic nu. 19. Et quoniam non debent necessario expectari propter vocationem factam ab eligentibus; cum mora longior in electionibus sit valde suspecta, immo sæpe damnosa. vt in tex. Et eligentes non possunt in detrimentum ecclesiæ, electionem vltra debitum protrahere. infr. c. ne pro defectu. Ideo si fiat electio ab ordinarijs electoribus, valet, istis extraordinarijs non expectatis. vt in tex. Si tamen isti vocati, & non expectati fecerunt ratione huius vocationis expensas, sunt eis per eligentes, qui eos vocauerunt, reficiendæ. Butr. d. nu. 19.

Cap. 19. Cum nobis

NON debet inspici, an post appellationem, sed an contra, fuerit electio celebrata.

QVIA appellatio extraiudicialis non debet suspendere potestatem competentem parti, sed satis est, quod defendat appellantē, ne opprimatur circa id, super quo appellatur. Butr. hic nu. 27. Et quoniam si aliquid attentatur post appellationem extraiudicialem; sed non contra, propter id pars appellans non opprimitur iure suo; sed pars appellata opprimeretur, si in ijs, quæ contra appellationem non sunt, ipsa iure suo vti non posset. Abb. hic num. 7. Ideo cum appellatio, quæ fit à quibusdam coram cæteris, quibus de iure competit electio, sit extraiudicialis. Abb. hic nu. 8. debet solum impedire ea, quæ fiunt contra appellationem, non autem ea, quæ solum fiunt postea. Butr. d. nu. 27. Secus est in appellatione iudiciali legitimè interposita, quia cum illa suspendat iurisdictionem iudicis quo ad totam causam, si fuerit interposita super vno articulo causæ, extenditur etiam ad alios articulos eiusdem causæ; & sic sufficit ad irritanda omnia gesta per iudicem, quod sint facta post appellationem, licet de directo non sint contra appellationem. Abb. d. nu. 7. & Innocent. infr. in c. quia propter. nu. 13. Quare autem diuerse constituatur in vna appellatione, quam in alia; ratio est, quia qui fuit in appellatione iudiciali grauatus à iudice super vno articulo, posset ab eo grauari super alio articulo eiusdem causæ; maximè, quia appellatio propter hoc fuit interposita, vt causa illa deuoluatur ad supe-

riorem propter iniquitatem primi iudicis; sed in appellatione extraiudiciali ista non contingunt; quia si appello in vno articulo, non habeo necesse litigare coram aduersario super alio articulo eiusdem causæ. Nec possum prætendere grauamen in futurum respectu alterius articuli, si pars vult illum expedire vtens iure suo. Abb. d. nu. 7.

ET penes vacantes, quibus competit vocandi potestas, remanet ius eligendi, si vocati venire contemnunt.

QVIA isti vocati nolendo venire, faciunt se alienos quo ad illam causam. vt in tex. Ideo non sunt computandi in numero absentiũ de capitulo, seu in numero eorum, qui sunt de capitulo; sed quo ad actum tunc explanandum habentur, ac si non essent de capitulo. Abb. hic nu. 3. Vnde ex quo illi tunc non censentur de capitulo, potestas remanet libere apud alios eiusdem capituli. vt in tex. & Innoc. infr. in c. ecclesia il 2.

ET ad officium confirmatoris spectat examinare electum, etiam nemine opponente.

QVIA est verbum Apostoli dicentis: Nemini cito manum imponas. vt in tex. Et quoniam tunc dicitur cito manus imponi, quando sine examine conferuntur honores viris non probatis. c. quid est. dist. 78. Ideo ne confirmator faciat contra verbum Apostoli, cuĩ cõtraueniens peccaret, & veniret puniendus; etiam si aliquis non opponat, ipse ex suo officio, & pro iure suo, debet electum examinare. glos. hic. ver. ex officio. Præterea, in confirmando electo versatur publica vtilitas. infr. c. nihil. Et quoniam in ijs, quæ publicè intersunt, iudex tenetur ex officio supplere, etiam nemine instante. Butr. hic nu. 9. & num. 37. Ideo etiam ratione publicæ vtilitatis debet iudex, siue superior confirmans ex officio examinare electum. Innoc. in c. 1. nu. 5. de postul. pręl. Quo modo autem in tali examine, sine inquisitione sit procedendum, videas Innocent. in d. c. 1. Nam non debet nominatim de aliquo crimine contra talem inquiri, nisi ipse esset diffamatus, sed inquiritur in genere tantum, scilicet, si sit malæ vitæ. arg. l. 1. §. qui. ff. de quæstion. De ætate tamen, scientia, & irregularitate personæ, etiam sine infamiæ nota præcedente, specialiter inquiret, vt per hunc tex. & per c. qui episcopus. dist. 23. Idem est in accusationibus clericorum. c. si qui. & sequen. 2. q. 7. Sed in his, si contraria fama non laboret, vel contradictorem non habeant, sufficit habere litteras bonas testimoniales. c. criminationes. 2. q. 7. & c. qualiter. 7. q. 2. Nec sunt quærendi testes in huiusmodi inquisitionibus, quæ fiunt contra non diffamatum. Innoc. in d. c. 1.

ET nisi electus doceatur legitimæ ætatis, & litteraturæ, habetur pro non legitimè electo.

Quia

QVIA legitima ætas, & conueniens litteratura sunt de necessariò requisitis in electo.supra c.cum in cunctis.§.inferiora. Et quoniã sunt qualitates extrinsecæ, quæ nõ præsumuntur adesse,nisi probentur. Abb.hic nu.4. Ideo,qui se fundat in illis,& dicit eas adesse, debet illas probare. c.vnic. vt eccl. benef. sine dim.conf. Vnde si non probentur adesse, electio deficit ex eo, quod deficiunt aliqua de necessario requisitis ad eius confectionem. c.fin.de condit.apposit. & Abb. in c.illud.nu.6. de præscript.

Cap.20. Innotuit.

ILLEGITIMVS potest postulari.

QVIA postulatio fit de eo, qui propter aliquem defectum non potest eligi; qui tamen defectus non est talis, vt reddat postulatum omnino inhabilem ad præsidendum ecclesiæ. vt not.supra in c.2.de postul.prælat. Et quoniam huiusmodi defectus est illegitimitas, quia de iure communi impedit illegitimum eligendum. supr.c. cum in cunctis. Sed non impedit,quin possit cum eo dispensari; cum illegitimus sit prohibitus eligi solum de iure positiuo,introducto per d. c. cum in cunctis. vt in tex. Et cum vnus Pontifex non possit generare præiudicium suis successoribus, quin possint dispensare; nam par in parem non habet imperium.vt in tex.Ideo si adsint merita personæ circa alia requisita, quo ad illegitimitatem poterit obtineri dispensatio.vt in tex.

NON autem eligi.

QVIA electio innititur iuri,non autem gratiæ sicut postulatio. vt vt not.in d.c.2.de postul.præl. Et quoniam illegitimus prohibetur à iure communi eligi.d.c.cum in cunctis. Ideo non posset dici vocatio canonicè facta,& sic talis electio non teneret.vt in tex.

ET electores,nisi probauerint illum ignoranter elegisse, incidunt in pœnas Lateranensis Concilij.

QVIA electores tenentur ex officio indagare, an ille, qui proponitur eligendus,sit idoneus,sub pœnis per dictum Concilium ipso iure incurrendis. d. c. cum in cunctis. Et quoniam vbi aliquis tenetur ex officio aliquid indagare,in eo præsumitur de hoc fuisse scientiam,etiam quod sit in facto alieno. c. quamuis. de reg.iur. quam præsumptionem si ipse velit remouere, debet ignorantiam probare. Abb. hic nu.9.& 21. Quæ ignorantia probatur,faciendo constare de diligentia adhibita in inquirendo. glos. hic.ver.ignorantiam. Et dicitur constare in hoc casu,etiam per proprium iuramentum.Abb.hic nu.22. Ideo electores ad remouendam huiusmodi præsumptionem, quæ est contra eos,debent probare,se illum ignoranter elegisse.vt in tex.

Cap.

Cap.21. Cum inter.

NON possunt electores in praeiudicium electi compromittere.

QVIA sicut electores non possunt directè ab electione recedere. infr.c.publicato. ita nec etiam indirectè.arg.c.cum quid. de reg. iur.in 6.Et quoniam si possent in praeiudicium electi compromittere,indirecte recederent ab electione facta. Abb.hic num. 11. Ideo ex quo eligendo functi sunt officio suo,amplius directe, vel indirecte à tali electione recedere per compromissum,vel alio modo non possunt. vt in tex.& arg.c.in litteris.de offic.deleg.

SED si consenserit electioni suae, vel consentire velit, non obstante laudo in contrarium lato, est confirmandus, si aliud canonicum sibi non obsistat.

QVIA per mutuum consensum eligentium, & electi, quasi coniugale vinculum spiritualiter est contractum.vt in tex. Quod vinculum per confirmationem efficitur ratum, ita vt electus non possit postea sine superioris auctoritate electioni renunciare. c. 2. de transl. episc. per consecrationem verò dicitur postea tale coniugium consumari.c.fin.d.tit. Ideo quemadmodum inter virum, & vxorem ex solo consensu contrahitur matrimonium carnale.c.sufficiat.27.q.2.& c. 1.de sponsal. ita dicendum in isto coniugio spirituali, in quo electores repraesentant ecclesiam sponsam,cui electus est sponsus.c. requisisti.de testam.& Abb.hic nu.4.

LICET non sit de gremio illius Ecclesiae.

QVIA electio est libera in eligentibus,vt posit de proprio,aut de alieno gremio fieri,dummodo fiat de idoneo.c.cum dilectus. de consuet.& infr.c.quia propter. licet secundum quandam aequitatem, & ex honestate, magis debeat fieri ex proprio gremio, quam ex alieno, si ibi reperitur idoneus.glos.hic.ver. aliam. sicut honestum est, quod electio fiat de meliori, qui posit haberi; & tamen salua conscientia, & etiam saluo iure, rectè fit electio de bono, licet in ecclesia sit optimus; nam sufficit, quod non sit malus. cap. monasterium. 16. quaest. 7. & Butr.hic num.25.

QVANTVMCVMQVE ob hanc causam à minori parte fuerit appellatum.

QVIA talis causa est friuola ad appellandum. vt in tex. Ideo de iure non est ob eam appellatio admittenda.c.vt debitus.de appel. & Bald.hic num.2.

Cap. 22. Dudum il 1.

ELECTVS à maiori, & saniori parte capituli, si est, & erat idoneus tempore electionis, confirmatur.

QVIA in actibus vniuersitatum regulariter praeualet, quod fit à maiori parte, quae censetur sanior, nisi minor pars rationabiliter contradicat. c. 1. de his, quae fiunt à mai. par. cap. Ideo si electus erat idoneus tempore electionis, cum sit electus à maiori parte, quae nō praesumitur errasse, censetur electus à toto capitulo. vt in tex. & d. c. 1. Debet autem electus esse idoneus tempore electionis; alias electio est nulla, nec sufficit, quod superueniat idoneitas post electionem. Abb. hic nu. 8. quia quod à principio est nullum, tractu temporis non conualescit. c. non firmatur. de reg. iur. in 6.

SI autem erat indignus in ordinibus, scientia, vel aetate, & fuit scienter electus; electus à minori parte, si est dignus, confirmabitur.

QVIA eligentes scienter indignum, sunt pro illa vice priuati, ipso iure, potestate eligendi. supra c. cum in cunctis. §. fin. & c. innotuit. Et quoniam quando vna pars canonicorum priuatur potestate eligendi, tota potestas capituli tunc deuoluitur ad aliam partem, licet sit numero minor, quae cum in illo casu sit sanior, repraesentat totum capitulum. infr. c. prox. & de postul. prael. c. gratum. Ideo in tali casu praeualet electus à minori parte saniori, non autem electus à maiori parte irrationabiliter agente. vt in tex. & not. in d. c. 1. de his, quae fi.

Cap. 23. Bonae.

RECIPIENTES postulatum ad ecclesiam, tanquam institutum, vel administratorem, ante admissionem postulationis à superiore factam, priuati sunt potestate eligendi.

QVIA per postulationem nullum ius est acquisitum postulato. c. postulationem. supra tit. prox. nam postulationis admissio tota dependet à gratia superioris. vt not. in c. gratum. d. tit. prox. Vnde qui recipit postulatum in administratione ecclesiae, antequam fuerit per superiorem admissus, tribuit illi ius, quod non habet, & sibi vsurpat auctoritatem superioris, ad quem pertinet admittere postulatum. vt in d. c. gratum. Et quoniam frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem. vt in tex. praesertim in legem animatam, qualis est princeps. vt not. in c. 1. de constitut. in 6. Ideo taliter admittentes postulatum, ad quos alias de iure pertinebat postulatio, vel electio, reddiderunt se indignos, vt ea vice nec eligere, nec postulare possint: vt in tex. & Abb. nu. 1.

ET

ET ad alios, licet pauciores, deuoluitur potestas eligendi.

QVIA quando vna pars canonicorum in electione delinquit, & ius eligendi, quod sibi competebat, pro illa vice amittit, reliqua pars, quæ non deliquit, totum capitulum in illo casu repræsentat. vt not. supra in c. prox. & glos. hic. ver. causis. Nam quemadmodum in casu mortis naturalis illorum de vniuersitate, aliquo tamen de illis superstite remanente, potestas dicitur residere penes superstites, etiam si sit vnus duntaxat. l. sicut. ff. quod cuiusque vniu. nom. & not. in d. c. gratum, ita est dicendum in casu priuationis propter delictum; nam tunc illi priuati habentur pro mortuis. arg. c. in canonibus. §. generaliter. 16. q. 1, & not. Abb. infr. in c. cum Vintonensis, nu. 2.

ET si omnes priuati sunt, deuoluitur ad Papam in Ecclesijs cathedralibus.

QVIA quando in Ecclesijs cathedralibus fit deuolutio ratione delicti, semper fit ad Papam; quando verò fit ratione negligentiæ, fit deuolutio ad proximum superiorem. infr. c. quanquam. in 6. Voluit enim Papa sibi reseruare tales deuolutiones ratione delicti; quia si electio tunc deuolueretur ad proximum superiorem, prompti essent Metropolitani ad fingenda delicta pro cassandis electionibus, vt prouisionum potestas deuolueretur ad eos. glos. in d. c. quanquam. ver. deuoluetur. & Cõpostell. infr. in c. ne pro defectu. In ecclesijs verò inferioribus, in quibus non vertitur tantum periculum, Papa non reseruauit sibi immediate deuolutionem electionum, sed voluit, vt regulariter proximus superior succederet inferiori, & aliquando capitulum Episcopo. vt in c. cum in cunctis. §. fin. supr. eod. & infra de concess. præb. c. 2. Ideo si omnes eligunt scienter indignum, vel admittunt postulatum ad administrandum ex eorum auctoritate ante admissionem factam à superiore, si hæc committunt quo ad ecclesias cathedrales, potestas prouidendi deuoluitur ad Papam. vt in tex. & glos. ver. ad nos.

Cap. 24. Querelam.

SVFFICIT electo, ad obtinendum, docere eligentem fuisse in quasi possessione tempore electionis.

QVIA electio, præsentatio, & collatio sunt quasi fructus iuris eligendi, præsentandi, & conferendi. vt not. in c. consultationibus. de iure patr. & c. 2. de in integr. restitut. Ideo quemadmodum fructus rei temporalis pertinent ad possessorem bonæ fidei, & non ad dominum rei, l. bonæ fidei. ff. de acquir. rer. dom. & not. in c. grauis. de restitut. spoliat. ita electio, & alij isti quasi fructus debent pertinere ad eos, qui sunt in quasi possessione eorum. vt in tex. & Abb. nu. 5.

LI-

LICET non probet, quod proprietas iuris eligendi ad illum pertineret.

QVIA proprietas nihil habet commune cum possessione. l. naturaliter. ff. de acquir. possess. Et quoniam electionis manutentio non spectat ad proprietatem, sed ad quasi possessionem, vt dictum est superius. Ideo sufficit electo ad obtinendum, probare quasi possessionem eligentium, licet non probet proprietatem eorum. vt in tex. & glos. ver. super iure.

Cap. 25. Cum Vintonensis.

ELIGENTES scienter indignum, priuati sunt potestate eligendi in electione, quæ primo occurrit facienda.

QVIA vt tales eligentes puniantur in eo, in quo peccarunt, & vt per timorem huiusmodi pœnæ priuationis, ipsi, & alij à malis electionibus coerceantur, fuit contra eos per Concilium Lateranense imposita hæc pœna priuationis, ipso iure incurrenda. vt supr. in c. cum in cunctis. §. clerici. Satis autem fuit illos priuare potestate eligendi in prima electione, & non extendere pœnam vlterius ad alias electiones; nam ex quo in electione semel peccarunt, purgatum videtur eorum vitium; si semel ab electione excludantur. Abb. hic nu. 6. & 13. Et si solum vna pars eligentium in hoc deliquit, ipsa sola priuatur; quæ priuatio, cum cedat in fauorem non delinquentium, penès quos tunc remanet potestas eligendi, potest ab eis remitti; & sic pars eligentium, quæ non deliquit, potest etiam in prima electione sibi incorporare partem, quæ deliquit: vnde tales eligentes, qui puniuntur, non prorsus inhabilitantur per huiusmodi pœnam, sed solum priuantur; nam si essent inhabilitati, seu ab officio suspensi, non possent per aliam partem habilitari. vt in c. cum dilectus. de consuet. & Abb. hic nu. 3.

Cap. 26. Per inquisitionem.

ELIGENS scienter indignum in Episcopum, est ob hoc suspensus à beneficijs ecclesiæ per triennium.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. supr. c. cum in cunctis. §. fin. Ideo per Concilium Lateranense fuit imposita pœna contra eligentes scienter indignum, vt prima vice sint priuati potestate eligendi; quę pœna extenditur ad omnes electiones quorumcunque beneficiorū; & vt per trienniū sint ab ecclesiasticis beneficijs suspensi. d. c. & §. fin. sed hæc pœna suspensionis à beneficijs, non habet locum, nisi in electionibus Episcoporum, & Superiorum, in quibus propter maius pericu-

riculum, cautius est agendum. Abb. hic nu. 8. Et tunc non extenditur, nisi ad illa beneficia, quæ isti eligentes indignum, habent in ea ecclesia, ad quam fuit facta electio, non autem extenditur ad beneficia aliarum ecclesiarum; vt sic solum puniantur in beneficijs habitis in illa ecclesia, contra quam deliquerunt, vt est tex. in c. si compromissarius. eod. in 6.

NEC potest interim ad dignitatem illius eligi, vel assumi.

QVIA per huiusmodi delictum talis eligens ecclesiasticis beneficijs se reddidit indignum. vt in tex. præsertim illorum, quæ sunt in ecclesia offensa. glos. hic. ver. se indignum. Ideo, durante suspensione, ad illam ecclesiam, qua est indignus, non debet assumi. vt in tex. & glos. in Clem. cupientes. de pœn.

Cap. 27. Cum causam.

SI non professus eligatur ad regimen ecclesiæ regularis, cassatur electio.

QVIA secundum legem diuinam, non est in boue arandũ, & asino; nec quisquam debet vestẽ induere de lana, linoque contextam. vt in tex. id est, homines diuersæ professionis in vno officio non sunt sociãdi. glos. penult. hic. Ideo si ad ecclesiam regularem eligatur non professus, tanquam diuersæ professionis, talis electio venit irritãda. vt in tex. Sed hodie per ius magis nouum, est ipso iure nulla. vt per c. nullus. eod. in 6. Et hodie requiritur, vt eligendus in prælatum regularem, non solum sit tacitè professus, sed debet esse professus expresse. d. c. nullus. Nisi fieret electio ad ecclesiam regularem cathedralem; nam tunc potest ad illam eligi in Episcopum etiam non professus, puta nouitius, vel clericus sęcularis. d. c. nullus. & Clem. 1. de elect. & not. glos. in c. quod Dei. de statu regul. Et hoc contingit propter excellentiam dignitatis episcopalis, ratione cuius Episcopus potest dici religiosus. vt in c. ex multa. de vot. & glos. fin. in d. c. nullus. vnde tanquam religiosus potest religiosis immediate præesse. Abb. hic nu. 6. Et etiam tunc admittitur non professus, quia cum Episcopus debeat incumbere toti diœcesi, oportet eum magis scire iura communia, quàm regularia. Innoc. & Butr. infr. in c. officij. Sed licet clerici, & monachi non debeant associari, vt sint in eodem monasterio collegialiter. infr. Clem. 1. Ad alia tamen officia, in quibus non faciant vnum collegium reale, causa suggerente, bene possunt per superiorem associari; vnde in scholis religiosi, clerici, & laici possunt facere eandem vniuersitatem, ex quo omnes exercent studium eis competens, nec est collegium reale, sed potius personale. Abb. hic in fin. & Bart. in l. fin. C. de colleg. illicit. & facit tex. in prooemijs Sexti, & Clementinarum.

CON-

CONSVETVDINE *in contrarium non obstante.*

QVIA non debemus attendere solummodo quid factum sit, sed potius quid sit faciendum. vt in tex. & l. 2. C, quæ sit long. consf. Et quoniam talis consuetudo est irrationalis. vt in tex. Ideo est radicitus extirpanda. c. fin. de consuet. & c. consuetudo. dist. 8.

Cap. 28. Quod sicut.

NOMINATIO, *vel appellatio eius, cuius non interest, electionem non impedit.*

QVIA nemo sine actione experitur. l. 2. & ibi not. ff. de except. Et quoniam illi, qui non habent interesse in electione, nullam habent actionem in ea. c. ex ore, de his, quæ fiunt à mai. part. cap. Ideo eorum nominatio, vel appellatio non habet electionem impedire. vt in tex. Immo tales sunt in culpa, se immiscendo rei ad eos non spectanti. l. culpa est. ff. de reg. iur.

SED *si vocandus contemnitur, eo prosequente contemptum, cassatur electio.*

QVIA licet talis electio non sit ipso iure nulla, ex quo est facta præsentibus duabus partibus collegij, & à maiori parte illorum præsentium. glos. hic. ver. consentire. quia tamen in actibus collegij plus nocet contemptus vnius, quam contradictio multorum. vt not. supra in c. bonæ. Ideo iura concesserunt, vt ille, qui contemnitur, si velit, possit facere retractare electionem. Butr. hic nu. 23. & Abb. nu. 9.

ETIAM *confirmata.*

QVIA confirmatio, quæ fit sine causæ cognitione, non vocatis vocandis, si electio sit per suos defectus annullanda, non tribuit illi validitatem. vt not. infr. c. fin. in 6. Ideo nisi confirmatio sit facta ex certa scientia per habentem potestatem supplendi omnem defectum electionis, electio annullanda non recipit vires per confirmationem factam in forma communi. c. examinata. de confir. vtil. vel inutil.

ET *potest prosequi.*

QVIA nemo debet iure suo sine culpa priuari. c. discretionem. de eo, qui cogn. consang. Ideo cum iste, qui fuit contemptus habeat actionem contra huiusmodi electionem, non debet impediri, quin iure suo vtatur. vt in tex.

NISI *consenserit electioni.*

Q 2 Quia

QVIA fauori suo quilibet renunciare potest.c. ad apostolicam. de regular. Ideo si iste vult renunciare actioni de contemptu, quæ sibi competebat, & electioni factæ ab alijs consentire, non debet prohiberi. vt in tex. & Abb. num. 10.

QVOD potest etiam ex post facto.

QVIA licet, quod non est meo nomine gestum, ratum habere non possim ad mei commodum, vt mihi actio detur. vt not. glos. in c. ratum. de reg. iur. in 6. tamen quo ad incommodum meum, vt nō possim impugnare factum per alios, possum habere ratum, quod meo nomine non est gestum, & in hoc casu intelligitur iste tex. Butr. hic nu. 31. Et ex his not. quod vocatio absentium non est de forma substantiali ipsius electionis, vt dictum est superius; nam vt ex hoc tex. apparet, valet electio facta, aliquibus non vocatis, licet veniat retractanda, contemptis prosequentibus contemptum, vt notatur superius. Ideo electio facta, aliquibus de capitulo contemptis, non est indifferenter cassanda; nam possunt contempti renuntiare contemptui, & consentire illi electioni, dummodo à principio tenuerit. vt in tex. & Butr. nu. 23.

§. Super eo.

EPISCOPVS, dum celebratur missa consecrationis suæ, ordines conferre non debet.

QVIA Episcopus, qui consecratur, concelebrat, id est, simul celebrat suo consecratori, qui principaliter celebrat. vt in tex. Ideo tunc non debet dimittere officium illud, quod ipse incępit cum consecratore suo, & alios ordinare; quia sic diuideretur mysteriū illius Missæ, in qua consecratur; quod fieri non debet, & toti Missæ debet interesse, vt in tex. & glos. ver. diuidatur. Solus enim Romanus Pontifex (qui ante Hymnum Angelicum consecratur; & postmodum ipse Missarum solemnia incipit, & perficit consecratus) in die consecrationis eius valet ordines celebrare. vt in tex. Et ita videtur esse de substantia consecrationis ipsa Missa, hac ratione; quia consecrationes Episcoporum, & ecclesiarum, & confectio chrismatis debent fieri cum Missa. c. te referente. de celebr. missar. & c. omnes basilicæ. de consecr. dist. 1. Contrarium tamen consueuit dici, & est verum, quod missa non est de substantia cōsecrationis, quia diuersa sunt consecratio, & missa. Sed propter virtutem, & reuerentiam Sacramentorum, & ordinum, statuit ecclesia, quod quando talia celebrantur, semper cum missa celebrentur. Tamen si huiusmodi solemnitates non seruentur, nihilominus valerent consecrationes, & collationes ordinum clericorum; sed qui contrafacerent, punirentur ordinantes, & ordinati; quia contra ordinationem ecclesiæ, & contra illud, quod ecclesia seruat, facerent. d. glos. hic, & Butr. nu. 28.

SIMI-

SIMILITER Archiepiscopus ante receptum pallium, non debet ordines conferre.

QVIA ordinationem clericorum Archiepiscopus videtur facere, non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus. vt in tex. Et quoniam tanquam Archiepiscopus ante receptum palliũ, talia facere non potest, quia in pallio plenitudo Pontificalis officij ei cõfertur.c.nisi.de vsu pall.Ideo Archiepiscopus, qui non dum recepit pallium, ordines conferre non debet. vt in tex. Potest tamen mandare de ordinando, alijs habentibus potestatem. supr.c.suffraganeis. quia talis demandatio non est exercere ordinem Archiepiscopalem; sed est dissoluere vinculum, propter quod alij Episcopi non poterant ordinare subditum non suum; quæ demandatio, & dissolutio est quid iurisdictionis non reseruatum ad Archiepiscopum post pallium. vt not. in d.c.suffraganeis.& glos.hic.ver.sine pallio.

PRAELATVS male alienans aliquam paruam rem ecclesiæ, si postea reddat ecclesiam indemnem, ei de suo restituendo tantundem, potest in administratione tollerari.

QVIA licet prælatus male alienans rem ecclesiæ, sit ipso facto suspensus ab administratione spiritualium,& temporalium.cap.si quorundam.de solut. Et nisi rem restituat, sit excommunicandus.cap.si quis.de reb.eccl.non alien. Tamen propter modicitatem rei, & propter voluntariam pœnitentiam in restituendo, potest rationabiliter cum eo dispensari, vt ab administratione nõ remoueatur.gl.fin.hic. & Bald.n.5.

Cap.29. Auditis.

ELECTIO per minorem partem capituli facta, non tenet.

QVIA potentia capitularis non consistit penes minorem partem. infr.c.quia propter. nisi maior pars esset priuata, & ad minorem tota potestas deuoluta.supra c.dudum. Ideo electio facta à minori parte, regulariter nõ potest dici facta à capitulo.c.1.de his, quę fiunt à mai. par. cap. Et sic est ipso iure nulla; tanquam non facta ab habentibus potestatem; nam defectus potestatis impedit actus exercitij essentiam, & dat illi non subsistere,& ipso facto. Butr.hic nu.9. Et ex his sequitur, quod licet contemptus minoris partis reddat electionem annullandam. vt supr.in c. prox. Contemptus tamen maioris reddit nullam; & licet electio, contemptis aliquibus, possit ratificari, non tamen contempta maiori parte.Butr.hic nu.1.

NEC per subsequentem consensum ratificari potest.

Quia

QVIA quod à principio est nullum, tractu temporis non conualescit. vt in tex. Et licet ex post facto tot ex canonicis alterius partis accedant ad istam electionem, ita quod omnes simul essent in maiori numero; tamen non potest ista electio validari: & ratio est, quia electio debet fieri in communi, & sic collegialiter, non autem singulariter; vnde consensus particularis superueniens non potest validare electionem nullam. Quinimo si omnes de capitulo præstarent singulariter consensum, non per hoc resultaret communis electio. vt infr. c. in genesi. & glos. in c. 1. de reb. eccl. non alien. in 6. Secus autem, quando actus pertineret ad aliquos, vt singulares; quia tunc ex consensu superuenienti prima dispositio validatur, cum non habeant collegialiter consentire. vt est tex. in l. per fundum. ff. de seru. rust. præd. & Butr. hic nu. 18.

Cap. 30. In causis.

POTESTAS data compromissarijs ad eligendum prælatum, re non integra, reuocari non potest.

QVIA quando res non est integra, compromissariorum interest, ne reuocentur; nam singuli sciunt, quibus ipsi fauebant, quod, re integra, nesciebant; vnde, quia tunc incurrerent odium plurimorum, interest eorum, vt non reuocetur mandatum. Host. hic, & Butr. nu. 36. Et quoniam vbi agitur de interesse alicuius, non debet ei ius suum sine culpa auferri. c. discretionem. de eo, qui cogn. consang. Et in alterius detrimentum, quis non potest mutare consilium. c. mutare. de reg. iur. in 6. Ideo, quando res non est integra, non possunt compromittentes reuocare potestatem datam compromissarijs ad eligendum. vt in tex. & infr. c. cum dilectus.

ET desinit res esse integra, postquam compromissarij cœperunt habere tractatum.

QVIA tractatus est actus substantialis, qui primo necessario se offert in electione. Butr. hic num. 2. & 24. Et quoniam vbi attinguntur aliqua de substantialibus alicuius negotij, negotium illud desinit esse integrum. Abb. hic nu. 7. secus, si solummodo essent facta aliqua solum pertinentia ad solemnitatem negotij; nam per illa negotium non desineret esse integrum. Innocent. hic in fin. Ideo post tractatum habitum per compromissarios, non potest reuocari potestas eis data ad eligendum. vt in tex.

Cap. 31. Cum ecclesia.

DE consuetudine potest canonicorum electio ad solum capitulum pertinere.

Quia

QVIA licet, de iure communi collatio beneficiorum spectet ad Episcopum, qui conferat de consilio, seu consensu capituli. c. nouit.& c.quanto.de his, quæ fiunt à præl. sine cons.cap. & c. postulastis.de conceß.præb. Consuetudo tamen inducere potest, vt beneficia conferantur ab Episcopo sine consensu, vel consilio capituli; & quod aliqua conferantur, & ad ea eligatur à capitulo sine interuentu Episcopi.c.ea noscitur.de his, quæ fiunt à præl. & c.nulla. de conceß. præb. Et quoniam consuetudo præcipuè inducit, vt collegium quodlibet eligat in propria ecclesia; cum ei bene sint notæ necesſitates illius ecclesiæ, cui inseruit.Butr.hic nu.21.& Abb.nu.8.vbi latè tractant de diuersitate beneficiorum,& de diuersis modis per diuersas personas, secundum diuersa tempora illis prouidendi. Ideo per consuetudinem potest introduci, vt canonicorum electio ad solum capitulum pertineat.vt in tex. & Cõpostell.hic. cum ipsa posſit dare, & tollere ius eligendi, & habilitare, vel inhabilitare ad eligendum. Butr.nu.19. Hæc enim sunt de iure positiuo.glos.2.hic.Cui consuetudo præiudicare potest.c.fin.de consuet.

Cap.32. Cum dilectus.

COMPROMITTENTES tenentur recipere electum à compromissarijs.

QVIA compromissarij gerunt vices compromittentium. infr.cap. quia propter. Et quoniam subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur.c.ecclesia.vt lite pend. Ideo sicut compromittentes tenerentur recipere illum, quem ipsimet elegissent. d. c. quia.ita debent recipere electum à compromissarijs eis subrogatis. vt in tex.& supra c.in causis.

SI sit dignus.

QVIA tale compromissum habet intellectum iuris. Butr.hic num. 14. Ideo talis potestas data compromissarijs ad eligendum, intelligitur data ad eligendum dignum, & idoneum iuxta iuris dispositionem. Butr.supr.in c.in causis.nu.10. Vnde si compromissarij elegerint indignum, compromittentes eum recipere non tenentur. vt in textum quia compromissarij sunt transgresſi formam mandati.c. cum dilecta.de rescrip.tum quia talis electio est cõtra ius.infr.d.c. quia propter.

NISI contra formam compromiſſi, eum appareat electum.

QVIA forma compromisſi diligenter est seruanda. l. si cum dies. §.plenum.ff.de arbitr. Et gestum contra eius formam, est ipso iure nullum.d.c.cum dilecta. Ideo electio facta à compromissarijs vltra terminos potestatis,& contra formam mandati, non valet; & compromittentes taliter electum recipere non tenentur. vt in tex. & not.supra in c. causam.

Cap.

Cap. 33. Cum in iure.

SI ex septem compromissarijs tres eligunt quartum, & ille consentit, & est idoneus, confirmabitur electio.

QVIA compromissarij possunt, & solent eligere palam, vt vnusquisque audiat vota aliorum; vnde cum quis non possit eligere, quin sciat se ab alijs electum, consentiendo electioni de se factæ à parte æquali, non videtur ambitiosus, nec oriri à se, cum sit prius vocatus à Deo, & à socijs. Ideo merito consentiendo auget numerum, cum sit vnus de habentibus potestatem, nec disposuit principaliter in seipsum; sed potius dispositioni ab alijs de se factæ consentit; nec est hoc ambitiosum, sed meritorium, & officium charitatis, si bono corde fiat. arg. c. qui episcopatum. 8. q. 1. Sed quando proceditur in forma scrutinij, cum in secreto quisque consentiat, & sic ignoret, an fuerit ab alijs electus, non potest consentire in se ipsum, quia sic videretur ambitiosus, & à seipso oriri. vt not. supr. in c. licet. & Butr. hic nu. 35. Qualiter autem debeat iste electus consentire electioni suæ. Dic, quod non debet dicere: Eligo, vel coeligo meipsum, ne principaliter disponeret in seipsum, contra c. fin. de institut. sed debet dicere: Consentio electioni de me factæ. Et si diceretur, quomodo consentit electioni, ex quo adhuc non est perfecta, cum nō dum sit facta à maiori parte, sed ab æquali. Dic, quod licet non dum sit facta à maiori parte, est tamen in fieri. Non est enim omnino fienda, sed consentiendo, illico augetur numerus; sicut in simili not. per Innoc. in cap. præterea. de appell. An autem iste electus possit semper consentire electioni de se factæ? Dic, quod non. Nam debet consentire intra tempus à iure statutum ad electionē fiendam, vel in compromisso appositum; quia cum electio perficiatur, suo consensu demum intercedente, oportet, quod consensus suus intercedat intra tempus electioni fiendæ præfixum. arg. l. bonorum. ff. rem rat. hab. & not. glos. in c. quam sit. de elect. in 6. Et ex prædictis infertur, quod si compromissarij procedant secreto per scrutinium priuatum, tunc nō potest electus consentire in seipsum, quia oriretur à se, nisi ex post facto post publicationem velit recedere à consensu alij præstito, & consentire electioni de se factæ. glos. fin. hic. & Abb. nu. 5.

Cap. 34. Venerabilem.

ELECTIO Imperatoris spectat ad Principes Germanos, tres prælatos, & quatuor laicos.

QVIA talis auctoritas fuit eis concessa à Papa. vt in tex. qui potestatem habet transferendi regna ob religionis vtilitatem. cap. alius. 15. q. 6. & c. duo sunt. dist. 96. & c. ad Apostolicæ. de re iudic. in 6.

Cum

Cum enim Ecclesia Romana opprimeretur ab Astulpho Rege Longobardorum, petijt auxilium à Constantino, & à Leone eius filio Imperatoribus Constantinopolitanis; & cum nollent patrocinari Ecclesiæ Romanæ, Stephanus Papa II. natione Romanus transtulit Imperium ad Carolum Magnum, qui fuit Pipini filius, quem Zacharias prædecessor eius substituerat Ludouico Regi Francorum; quem deposuerat, de quo habetur in d. cap. alius. Et translatio illa facta est anno Domini 776. qui Carolus coronatus est à Leone Papa III. elapsis post hoc quindecim annis. glos. hic ver. transtulit. Isti autem electores sunt, Archiepiscopi Maguntinus, Coloniensis, & Treuerensis, prælati; Palatinus comes Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgensis, & Rex Boemiæ, olim Dux, laici; & dicunt quidam, quod Rex Boemiæ non est de necessitate vocandus, nisi cum alij discordant; nec istud ius habuit ab antiquo; sed hodie de facto tenet. glos. in d. cap. ad Apostolicæ. ver. illi. de re iud. in 6.

ET electio facta per eorum maiorem partem, cæteris non contemptis, tenet.

QVIA cum isti electores fuerint à Papa deputati in locum populi Romani, qui vt vniuersitas eligebat sibi Imperatorem, debent censeri eodem iure cum illo, vt subrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum subrogatur. vt in cap. Ecclesia. vt lite pend. Abb. hic nu. 8. Ideo cum isti electores non exerceant hanc potestatem, vt singuli, sed vt collegium, electio facta ab eorum maiori parte, debet censeri facta à toto collegio. cap. 1. de his, quæ fi. à ma, par. cap. & l. quod maior. ff. ad municip. Si autem aliquis de dictis electoribus fuerit contemptus, & non vocatus, electio non tenet, licet sit facta à reliquis omnibus, quia electioni plus contemptus vnius, quam contradictio multorum obsistit. vt in tex. & infra cap. bonæ.

ET ad Papam pertinet, electum examinare, approbare, & inungere, consecrare, & coronare, si est dignus.

QVIA regulariter, & generaliter est obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat, ne fortasse manus imponeretur indigno. vt in tex. Et quoniam ad Papam spectat, manus imponere Imperatori. vt in tex. Ideo ad eum debet pertinere, etiam eius personæ examinatio. vt in tex. & arg. cap. translato. de constitut. Sed ex antiqua consuetudine, Cardinalis Imperatorem inungit de mandato Papæ; & Papa suis manibus eum corona aurea coronat. Host. hic.

VEL reijcere, si est indignus; vt quia sacrilegus, excommunicatus, tyrannus, fatuus, hæreticus, paganus, periurus, vel Ecclesiæ persecutor;

QVIA sicut ex superuenienti causa, ob religionis vtilitatem, & ob maximas causas, Papa potest Imperatorem iam coronatum deponere, vt dictum est superius, & habetur in d. cap. ad Apostolicæ; multo magis potest reijcere illum electum, non adhuc per ipsum approbatum, neque inunctum, & coronatum; Cum per solam electionem non acquiratur ius actu, sed tantum habitu. glos. in cap. quanto. dist. 63. Quod ius non est ita firmum, sicut est, quando habetur actu: vt not. supr. in cap. qualiter. & c. cum nobis. Et cum turpius eijciatur, quam non admittatur hospes. cap. quemadmodum. de iureiur. Et cum indigni quantumcunque electi non sint ad dignitates admittendi. cap. cum in cunctis. supr. eod. Ideo ex supradictis maximis causis potest Papa reijcere electum Imperatorem indignum. vt in tex.

ET electoribus nolentibus eligere, Papa supplet.

QVIA sedes Apostolica non debet propter istorum eligentium culpam, Imperatore eius aduocato, & defensore carere. vt in tex. Ideo ex quo isti electores habuerunt hanc potestatem à Papa, si illa abutuntur, debet ad ipsum Papam superiorem, & auctorem huius auctoritatis, talis potestas redire. arg. cap. gratum. de postul. præl. & Abb. hic nu. 20.

ET data paritate vocum eligentium, nec accedente maiori concordia, Papa potest gratificari, cui vult.

QVIA vbi partes non conueniunt, in dubio est superioris arbitrio totum negotium relinquendum. glos. hic. ver. fauore. & not. in cap. quoniam. de iurepatr. Et Papa est superior istorum eligentium, vt dictum est superius. & habetur in cap. ad Apostolicæ. de re iud. in 6.

Cap. 35. coram.

ABSENTES ad electionem de prouincia sunt vocandi.

QVIA omnes illi electores sunt vocandi ad electionem, qui commode vocari possunt. infra cap. quia propter. Et quoniam regulariter illi dicuntur posse commode vocari, qui degunt in eadem prouincia. glos. hic. Ideo omnes tales sunt vocandi. vt in tex. Si tamen prouincia esset ita lata, vt non posset quis commode vocari, tunc non esset vocandus, licet degat in prouincia. d. glos. hic, quia talis non posset venire sine multa mora; & in electionibus mora longior est valde suspecta, immo sæpe damnosa. supr. c. cum inter. Et è conuerso, si esset extra prouinciam, & propinquus, tunc esset vocandus. glos. hic; quia potius debet attendi mens legis, quam eius verba. cap. intelligentia. & cap. præterea. de verb. signif. Et cum mens legis sit, vt omnes illi vocentur,

tur, qui commode vocari possunt. d. cap. quia propter. Ideo qui possunt commode vocari, sunt vocandi, etiam si sint extra prouinciam. d. glos. hic. Quando autem dicantur commode posse vocari, non potest dari certa regula, sed bonus iudex arbitrabitur secundum pericula imminentia, & discrimina viarum. Et is, ad quem spectat confirmatio electionis, erit idoneus iudex super hoc dubio. arg. c. fin. eod. in 6. Sed si esset consuetudo in loco solita declarare, qui absentes sint vocandi, tunc illi consuetudini esset standum. glos. hic in fin.

ET confirmatur electio maioris, & sanioris partis.

QVIA quod fit à maiori, & saniori parte capituli, censetur factum à toto capitulo. c. 1. de his, quæ fiunt à mai. part. cap. & not. supra in c. prox.

Cap. 36. Bone. il 2.

CASSATVR electio partis maioris facta, contempta minori parte, etiam si sit vnus solus.

QVIA in electionibus plus obest contemptus vnius, quam multorum contradictio in præsenti. vt in tex. Contemptus enim ille est contra iustitiam, cum sine causa auferat ius contempti, qui si fuisset præsens, forsan traxisset alios in suam sententiam. vt not. in c. 1. de his, quæ fiunt à mai. par. cap. Ideo contemptus vnius duntaxat præbet facultatem retractandi electionem, quam non præbet contradictio aliquorum præsentium; cum eorum contradictio non obsit contra electionem maioris, & sanioris partis. infr. c. quia propter.

NON tamen ius eligendi deuoluitur ad minorem.

QVIA ratione contemptus, solum debet in pœnam retractari ipsa electio; non autem debent electores priuari potestate eligendi; quia cum ista pœna priuationis non sit hoc casu in iure statuta, non est imponenda per alium, quàm per eum, qui habet plenitudinem potestatis, scilicet per Principem. glos. 1. hic in fin. Nec obstat, si dicatur, quod si eligentes contra formam debent priuari potestate eligendi. vt in d. c. quia propter. ergo videatur, quod fortius eligentes, aliquo contempto, cum tunc delinquant contra proximum. Nec si dicatur, quod d. c. quia propter, dans formam electionis, disponit, vt absentes vocentur; ergo videatur, quod electio facta, absentibus non vocatis, sit attentata contra formam; & per consequens, quod debeant electores priuari pro prima vice potestate eligendi. vt in d. c. quia propter. Nam respondetur, quod licet eligentes contra formam, sint priuandi; non per hoc sequitur, quod etiam eligentes, aliquo contempto, sint priuandi, quia cum illa pœna priuationis non sit statuta in isto casu, non debet ad

eum extendi c.pœnæ.de pœnit.dist.1. Vnde satis est, quod ratione contemptus, in pœnam retractetur electio; cum ista pœna, & non alia sit in tali casu in iure statuta. Ad secundum contrariũ respondetur, quod vocatio absentium non est de forma substantiali, sed est de iustitia; nam esset de forma substantiali, si electio facta, aliquo contempto, esset nulla. vt in d.c.quia propter. sed in casu nostro non est nulla, licet possit annullari. vt in tex.& supr.c.quod sicut. Conclude ergo, vt habeas hanc materiam distinctam, quod, electio quandoque fit per maiorem partem de indigno scienter; & tunc electio est nulla, & potestas eligendi, ipso facto, deuoluitur ad minorem partem, quæ non deliquit. supr.c.bonæ. & infr.c.congregato. Quandoque secundo electio facta per capitulum, est contra formam substantialem, de qua in d.c.quia.& tunc electio est ipso iure nulla; verum electores non sunt priuati potestate eligendi, sed debent per sententiam priuari; & potestas applicatur alijs, qui non deliquerunt contra formam; debet tamen expectari sententia priuationis, de quo vide quod not.Innocent.in d.c.quia. Tertius casus est, quando electio fit per capitulum de idoneo, & secundum formam, sed aliquis de capitulo fuit contemptus, seu non legitimè vocatus; & hoc casu electio tenet, vnde potest ratificari per contemptum; nam potest renuntiare facultati prosequẽdi iniuriam sibi illatam. vt supr.in d.c.quod sicut. Sed si vult prosequi contemptum, retractabitur electio per sententiam. vt in tex.& infr.c.ecclesia.il 2. Qua cassata, debent omnes simul conuenire ad electionem nouiter fiendam; quia in hoc casu non habet locum pœna priuationis, nisi Papa ex plenitudine potestatis vellet eam infligere. vt dictum est superius.& Butr.hic nu.13.

Cap.37. Cum ad nostram.

NON monachus in prælatum regularem eligi non potest.

QVIA in magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit; nec est præficiendus alijs, qui alteri subesse non nouit. c.cum in magistrum.infr. eod.Et homines diuersæ professionis simul iniungi non debent. vt not.supr.in c.cum causam. Ideo turpe esset, vt ille præficeretur in prẹlatum monachorũ, qui nec ipse sit monachus; nec eorum regulam sit expertus. vt in tex.& infr.c.prox. nisi præficeretur tanquam Episcopus. vt not.in d.c.cum causam.

Cap.38. Officij.

IN Abbatem eligi non potest, nisi instructus in regula monachali.

QVIA nemo debet esse magister, antequam fuerit discipulus. vt in tex. Vnde graue est, inexpertos diuinis obsequijs applicare. c.monasterijs.19.q.3. Et non instructus, si cito promoueretur in Abbatem ante-

antequam sit religionē professus,& regulam edoctus, esset præsumptio, quod fuerit religionem ingressus propter ambitionem dignitatis habendæ.vt in tex.nā ea,quæ incontinenti fiunt,inesse videntur.glos.1.hic. Et quoniam religio debet ingredi,vt seruiatur Deo,nō autē causa quęstus,vel ambitionis.c.per laicos.16.q.7. Et non ambitione, sed meritis ad augumentum honoris, vnumquenque conuenit peruenire.l. contra publicam.C.de re milit.lib.12. Ideo ambitio debet repellere quemlibet à dignitatibus.c.in scripturis.8.q.1.

Cap.39. Illa.

ELECTIO aliàs canonica confirmatur, licet quidam eligentium essent minori excommunicatione ligati.

QVIA excommunicatio minor nō priuat potestate eligendi actiuè,sed tantum passiuè.c.si celebrat. de cler. excom. nam non repellit à communione hominum, nec à prosecutione iuris proprij; sed solum à participatione sacramentorum.d.c.si celebrat. Et quoniam is, qui eligit,non vtitur sacramentis sibi prohibitis; cum non versetur sacramentum in electione.glos.1.hic. Ideo si quidam eligentium sint minori excommunicatione ligati, non per hoc debet electio infirmari. vt in tex. Sed tales eligi non possunt; quia quis eligitur, vt administret sacramenta diuina,à quibus ipsi remoti sunt propter huiusmodi excommunicationem; meritò de eis non potest fieri electio.d.c.si celebrat. & ibi glos.ver.nec eligere.in fin. Et prædicta procedunt,quando admittuntur ad eligendum minori excommunicatione ligati. Sed si admittantur ligati maiori, an per eorum admissionem inficiatur tota electio, vel an debeat sustineri electio propter eos, qui fuerunt habiles, late tractant hic Innoc.Butr.& Abb.

Cap.40. Scriptum.

SI postulatio cum electione concurrit, & numerus postulantium est duplo maior,& postulatus est idoneus, postulatio admittitur, reiecta electione.

QVIA potentia capitularis, seu vniuersitatis consistit in duabus partibus; vnde in tertia parte non est aliqua virtus capitularis.l. nulli. & l. plane.ff.quod cuiusque vniu.nom.adeo,quod vniuersitas potest à principio ex duabus partibus constitui, vt in dictis iuribus.& Abb.supr.in c.cum nobis. Ideo licet postulatio sit via extraordinaria, & electio ordinaria; tamen ex quo virtus capitularis insequitur illam viam extraordinariam,illa est in tali casu præferēda.glos.hic. ver. maiorem. Sed licet regulariter,quod fit à maiori parte capituli,censeatur factum à toto capitulo, ita vt duæ partes capituli debeant esse congrega-

gregatæ ad repræsentandum capitulum (quæ tamen duæ partes debent intelligi, saltem in electionis negotio, de illis, qui volunt, & debent, & possunt commode interesse.vt not. Abb.infr.in c.quia propter. nu.5.) & quod fit à maiori parte illius capituli cōgregati, censeatur factum à toto capitulo.c.1.de his,quæ fiunt à mai.par.cap. Tamen iura voluerunt, quando postulatio cum electione concurrit,ad hoc,vt præferatur postulatio electioni, postulantes esse non solum maiorem partem, sed duas partes; quia cū postulatio sit via extraordinaria,quæ innititur gratiæ,& nō ita fauorabilis,sicut electio,quę innititur iuri;nō videbatur æquū,vt de pari procederetur per regulā cōmunē in vtrisque, quod maior pars sufficeret ad actum validandū,Abb.hic nu.14.Ideo vt fiat compensatio, fuit statutum, vt duæ partes capituli ad minus essent postulantes, vt sic corū numerus præponderet fauorabili naturę electionis.Butr.hic nu.39.

SI verò est indignus, & hoc maior pars postulantium ignorauerit, postulatio,& electio reprobantur.

QVIA cum indigni non debeant assumi ad honores. infr. c. nihil. postulatio facta de indigno,non valet. supra c. cum in cunctis. §. fin.& supr.tit.prox.in c.1.glos.ver.priuare. Postulatio enim fit de inhabili propter aliquem defectum; sed non de indigno propter aliquod vitium,ad hoc,vt per superiorem admittatur. vt not.supr in tit.prox.c.2. Nec talis electio valet, cum sit facta à minori parte capituli; nam cum duæ partes postulantes non sint priuatæ,ex eo,quod ignoranter, & non scienter postularunt indignū.vt in d.c.cum in cunctis.tota potestas capitularis non fuit deuoluta,nec remansit in ista minori parte capituli,quæ elegit.vt in d.l.nulli.& Butr.hic nu.41.

SI verò sciebant,& electus est idoneus,confirmatur electio.

QVIA postulantes scienter indignum, sunt priuati, & potestas capitularis remanet apud alios,licet sint numeri minoris.d. c. cum in cunctis.& d.glos.in c.1.supr. tit. prox. Ideo cum talis electio sit facta ab illis,apud quos remansit totum ius capitulare, tenet. vt in tex. Et cum sit de idoneo,venit confirmanda.glos.fin.hic.

ET idem,si numerus postulantium non est duplo maior.

QVIA non datis duabus partibus postulantium, non est ibi reperire potentiam capitularem, sed aliquid de virtute capitulari reperitur nunc in parte eligentium, cum habeat aliquos de duabus partibus.vt in d.l.nulli.& l.plane.& dictū est superius. Ideo habito respectu, quod ipsi prouident ecclesiæ per viam ordinariam, & meliori modo,quo fieri potest,scilicet,consentiendo in electum tanquā in sponsum,alijs persistentibus in via extraordinaria,meritò præferenda est ipsa electio,vt citius prouideatur ecclesiæ viduatæ; quasi imputandum sit maiori

maiori parti capituli, quę eligit viam extraordinariam, & persistit in ea. Abb. hic num. 14.

Cap. 41. Ne pro defectu.

SI illi, ad quos spectat electio, negligunt eligere prælatum cathedralis, vel regularis ecclesiæ intra tres menses, proximus superior ecclesiam ordinabit.

QVIA in beneficijs conferendis, regulare est; vt proximus superior suppleat negligentiam inferioris. c. licet. de suppl. negl. pręl. & not. in c. 2. de concess. præb. Et quoniam propter defectum pastoris ecclesia viduata, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus frequenter sustinet læsionem, vt in tex. Ideo statuitur, vt ecclesia cathedralis, vel regularis vltra tres menses non vacet. vt in tex. Et hoc tempus trimestre ad eligendum, habet locum solum quo ad prælatum ecclesiæ cathedralis, vel regularis; in alijs verò prælatis quarumcunque ecclesiarum, vel dignitatum, datur semestre, & in eis habet locum. cap. 2. de concess. præbend. nam cum sit maius periculum in ecclesijs cathedralibus, & regularibus, quam in alijs, ex eo, quod ipsarum prælati sunt veri pastores, & habent maiorem curam, fuit necesse citius occurrere illarum vacationi, & deputare breuius tempus ad prouisionem faciendam. Abb. hic nu. 2. Sed quo ad deuolutionem est sciendum, quod olim in ecclesia cathedrali fiebat deuolutio immediatè ad Papam. vt in c. cum dilectus. de cōcess. præb. Hodie fit ad proximum superiorem. vt in tex. quod tamen restringitur ad casum negligentiæ, in alijs autem casibus fit deuolutio immediate ad Papam. vt in c. quanquam. eod. in 6. & ibi glos. ver. deuoluetur.

QVOD si intra tres alios menses non fecerit, canonice punietur.

QVIA cum sit prouidendum, ne tales ecclesiæ diu vacent: vt dictum est superius. Dignum est, vt si talis superior, qui debebit prouidere, hoc non vult facere timore Dei, saltem faciat timore ecclesiasticæ disciplinæ. supr. c. cum in cunctis. in fin. Et sic non solum, vt deuoluatur potestas ad alium eius proximum superiorem; sed etiam, vt alia pœna arbitrio superioris afficiatur. Host. hic. & Abb. nu. 6.

Cap. 42. Quia propter.

PER aliquam de tribus formis hic contentis, scilicet, scrutinij, compromissi, & inspirationis, procedi debet ad electionem in ecclesijs cathedralibus.

QVIA quidam malitiose, & fraudulenter nitebantur diuersas formas electionum inuenire, propter quas multa pericula, & impedimenta proueniebant in ecclesijs viduatis, vt in tex. Ideo ad hæc pericu-

pericula euitanda, statuuntur hæ tres formæ tanquam meliores, vt per alteram earum ad electionem in ecclesijs cathedralibus sit procedendũ. Prima scrutinij est hæc, vt vocatis omnibus, qui debẽt, & volunt, & possunt commodè interesse, eligantur tres de capitulo fide digni, qui sigillatim, & secretè, vota omnium diligenter inquirant, & in scriptis redigant; quo facto, in continenti, antequam ad alia diuertant, vota illa publicent in præsentia capituli. Et si plures sunt electi, fiat hinc inde collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, & zeli ad zelum; & sic collatione habita, non obstante appellatione alicuius, is eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars capituli consentit. Secunda forma est compromissi, scilicet, vt eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium prouideant ecclesiæ viduatæ de pastore. Tertia inspirationis est, si quasi per inspirationem diuinam communiter ab omnibus absque vitio electio fuerit celebrata. vt in tex.

ALITER electio celebrata non valet.

QVIA forma est, quæ dat esse rei. l. Iulianus. §. sed & si quis. ff. ad exhib. Et quoniam hic statuuntur hæ tres formæ eligendi, & omnes aliæ in his casibus declarantur nullæ. vt in tex. Ideo si quis faceret contra eas, veniret contra formam, & substantiam actus, & sic electio esset ipso iure nulla. glos. fin. in c. in genesi. infr. eod. & Butr. hic nu. 12. Nec possunt eligentes renuntiare prædictis formis; quia non sunt principaliter inductæ in eorum commodum; sed in commodum ecclesiarum viduatarum. vt in tex. arg. c. si diligenti. de for. comp. Nec etiam possunt alij prælati inferiores Papa, statuere aliquid contra dispositionem huius tex. quia constitutio inferioris non potest in aliquo immutare constitutionem superioris. infr. Clem. ne Romani. Sed cum solum in electionibus illorum prælatorum, per quorum mortem ecclesia remanet viduata, & sine pastore, habeat locum dispositio huius tex. vt patet ex principio litteræ. glos. 1. hic. Et ante istud cap. non erat à iure producta aliqua forma substantialis eligendi, sed quisque conabatur inuenire nouam formam, vt colligitur ex princ. tex. Restat, vt in electionibus, in quibus non sit necessario seruanda forma huius cap. posit procedi absque aliqua forma præscripta. Abb. hic nu. 2. & 8.

ET contrafacientes priuandi sunt ea vice potestate eligendi.

QVIA conueniens est, vt quis puniatur in eo, in quo peccauit. cap. litteras. de temp. ord. Ideo cum isti peccent in electione, in ea per subtractionem eligendi pro ea vice, sunt puniendi. vt in tex. Nõ sunt autem priuati hac potestate, ipso facto; sed sunt per sententiam priuãdi; quia hic tex. non denunciat eos priuatos, sed dicit, priuentur; quod est denuntiare pœnam infligendam. glos. hic. ver. priuentur. Vnde si interim elegerint, antequam per sententiam denuncientur priuati, eorum

votum

votum teneret. Abb.supr.in c.prox. nu.3. Quotiescunque enim pœna imponitur per verba denuntiantia futurum tempus, semper sententia requiritur.glos.1.in cap.in pœnis.de reg.iur. in 6. Et sic cum quis venit priuandus potestate, aut beneficio per sententiam, iuste possidet, antequam priuetur. Abb.hic.§.nisi.nu. 6. præsertim cum possit ante sententiam cum eo dispensari. Innoc.in c.cum nostris.de concess.præb. Sed illud, quod dicitur de verbis in futurum, vt inducant canonem ferendæ sententiæ, procedit, nisi per alia verba præcedentia, vel sequentia declaretur lata.Butr.infr.c.prox.nu.12.

§. Illud.

IN electionis negotio non potest quis regulariter procuratorem constituere.

QVIA in negotio electionis regulariter videtur electa industria personæ. Abb. hic nu. 1. Et quando ad aliquid faciendum eligitur industria alicnius, actus ille non potest per alium explicari. vt not.in c.is,cui.de offic.deleg.in 6.

NISI concurrant hic in tex. contenta.

QVIA licet etiam in his casibus principalis eligens esset vocandus; tamen, quia iusto impedimento detentus venire non potest. vt in tex. Ideo ex quo non est in culpa,& sic non debet iure suo priuari.c.quoniam. vt lit. contest. Conceditur, vt quod per se non potest, per alium exequatur.arg.l.1.ff.de procur.& glos.penult.hic. Debet tamen constituere procuratorem vnum de ipso collegio. vt in tex. quia non decet, vt capitulum cogatur secreta sua pandere extraneo. Abb.hic nu.2. Sed cum hoc sit constitutum in fauore n capituli, si capitulum vellet admittere extraneum, & fauori suo renunciare, posset admittere illum.glos.in c.pen.ver.nolente.eod.in 6.

§. Electiones.

ELECTIONES clandestinæ reprobantur.

QVIA præsumitur fraus contra occulte in talibus agentes.c.vnic. & ibi glos.ver.occulta.vt eccl.benef. Et illa electio dicitur occulta,& clādestina, quæ fit singulariter per occulta cōuenticula.glos.fin.hic.

ET statuitur, vt quam citò electio fuerit celebrata, solemniter publicetur.

QVIA per huiusmodi publicationem datur notitia omnibus, ad quos spectat scire electionem esse factam.c.licet.8.q. 1. Et remouetur suspicio fraudis, quæ insurgeret, si electio facta diu teneretur oc-

culta. Innoc. hic in fin. vbi dicit se nõ credere electionẽ esse cassandam, si talis solemnis publicatio omittatur; nã cũ ex electione facta in capitulo sit ius acquisitum electo, sine sua culpa non debet amittere illud. arg. c. satis peruersum. dist. 56. Et sic cum hæc publicatio non sit de substantia, sufficit eam per quemcunque fieri. Innoc. hic in fin.

Cap. 43. Quisquis.

CONSENTIENS electioni de se factæ per abusum potestatis sæcularis, efficitur ineligibilis ad dignitatem.

QVIA talis electio est contra canonicam libertatem, vt in tex. nam si admitterentur laici, siue eorum potestates, prætenderent sibi ius acquisitum in posterum, & sic libertas ecclesiæ periret. glos. 2. hic. Et quoniam tam agentes, quàm consentientes delinquunt. glos. 1. infr. in c. massana. Ideo debent vtrique puniri. c. quantæ. de sent. excom. & sic in pœnam electi consentientis statuitur, vt ineligibilis fiat, & quod absque dispensatione ad aliquam dignitatem eligi non possit. vt in tex. Et ita talis fuit effectus irregularis quo ad dignitates obtinendas, ex quo non potest amplius sine dispensatione promoueri ad illas. Abb. hic num. 1.

ET electio est nulla.

QVIA cum eligentes non seruauerint debitum modum eligendi, eorum electio, quæ poterat per se esse vtilis, per laicorum admixtionem vitiatur, & redditur inutilis. glos. 1. in d. c. massana. Quod enim eligentes per se potuerunt, noluerunt; & quod voluerunt, adimplere nequiuerunt. c. cum super. de offic. deleg. Ideo talis electio declaratur ipso iure irrita. vt in tex.

ELIGENTES autem à beneficio per triennium suspenduntur, & tunc sunt priuati potestate eligendi.

QVIA propter istud eorum graue delictum, quod commiserunt contra ecclesiasticam libertatem, dignum est, vt tali duplici pœna afficiantur, cum altera earum non sufficiat. glos. hic. ver. suspendantur. Sed quo ad potestatem tunc eligendi, sunt priuati ipso iure; cum tex. hic loquatur quo ad eam per verba latæ sententiæ, dum dicit, eligendi tunc potestate priuati; quo ad suspensionem verò à beneficio, requiritur sententia, cum tex. dicat, suspendantur, per quod verbum respicitur tempus futurum, & sententia ferenda. glos. fin. hic, & Innocent. in fin.

Cap.

Cap.44. Nihil.

SI prælatus per negligentiam confirmauit indignum electum ad regimen animarum, perdit potestatem confirmandi primum successorem, & à perceptione proprij beneficij suspenditur.

QVIA nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur prælati ad regimen animarum. vt in tex. Et quoniam prælatus, ad quem pertinet confirmatio, tenetur ex officio examinare personam electi, & formam electionis, etiam si aliquid ab alio non obijciatur. supr. c. cum nobis. Ideo statuitur, vt non solum sit deijciendus indigne promotus; verum etiam, vt indigne promouens sit puniendus. vt in tex. Cum talis promouens delinquat in suo officio. glos. 1. hic. & vide Concil. Trid. sess. 6. de reform. cap. 1. & sess. 7. de reform. c. 3. & sess. 23. de reform. c. 1.

ET promotus deijcitur.

QVIA confirmatio non præcludit viam deijciendi indigne promotum. supra c. quod sicut. & c. fin. eod. in 6. Ideo etiam post confirmationem potest electus indignus deponi. vt in tex. & Abb. nu. 2.

SI verò per malitiam hoc fecerit, grauius punitur.

QVIA peccatum per malitiam, cæteris paribus, est grauius, quam peccatum per negligentiam; est enim in eo maior contemptus, & voluntas magis directe fertur in malũ. S. Tho. 1. 2. q. 76. art. 4. & q. 78. art. 4. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Ideo est grauius puniendus confirmans indignum per malitiam, quàm confirmans per negligentiam. vt in tex. & c. ad falsariorum. de crim. fals. Sed licet peccatum per negligentiam sit regulariter minus, quam peccatum per malitiam, est tamen in prelato, mortale. glos. in c. ea, quæ. de offic. archid. Quod tamen intellige de negligentia crassa. glos. ibid. Cum autem in tex. hic non exprimatur, quæ pœna sit infligenda contra talem confirmantem per malitiam, illa ad arbitrium iudicis erit imponenda. glos. hic. ver. grauiori.

ELECTI verò immediate subiecti Papæ, per se, aut per personas instructas, debent adire Papam, & petere confirmationem.

QVIA electus non potest regulariter ante confirmationem habitã à superiore actu administrare. glos. 1. in c. quãto. dist. 63. Et superior non debet ante examinatam electionem confirmare. vt in tex. Et quoniam immediate subiecti Papæ non habent alium superiorem, quam ipsum Papam. c. si Abbatem. eod. in 6. Ideo tales electi ad percipiendam sui confirmationem officij, debent Papæ conspectui se præsentare (si cõ-

mode fieri potest.) aliter personas transmittere idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus, & electis, posit haberi; vt sic demum per ipsius circunspectionem consilij, sui plenitudinem officij assequantur, cum eis nihil obstiterit de canonicis institutis. vt in tex. Dic tamen, quod etiam Legatus de latere potest istorum exemptorum electiones confirmare. c. si Abbatem. eod. in 6. Vnde procedit hic tex. si Legatus de latere non esset in partibus. Abb. hic nu. 3.

ET si sunt electi in concordia, & valde remoti, videlicet vltra Italiam constituti, interim administrant.

QVIA ne ecclesiæ paterentur damnum in expectanda confirmatione electi, propter nimiam distantiam locorum; Et cum magis præsumatur de idoneitate, & sufficientia electi in concordia. vt in tex. Ideo fuit dispensatiue concessum, vt tales electi etiam ante confirmationem administrent. Abb. hic nu. 7.

ITA tamen, quod nil alienent.

QVIA alienatio in dubio censetur procedere ex mala administratione, nisi aliud appareat. Butr. hic nu. 29. Et quoniam ista dispensatio administrandi ante confirmationem conceditur in fauorem ecclesiarum. vt in tex. Ideo non est concedenda in casu alienationis, in quo magis timetur de præiudicio, & læsione, quàm de commodo, & fauore ecclesiæ. glos. fin. hic.

BENEDICVNTVR autem, & consecrantur, prout consueuerunt.

QVIA tam in benedictione Abbatum, quàm in consecratione Episcoporum, consuetudo est attendenda. c. pudenda. 24. q. 1. Ideo licet exempti recipiant confirmationem à solo Papa, benedictionem, seu consecrationem recipient vel à Papa, vel ab alijs, secundum quod consueuerunt. d. c. pudenda. De iure autem, cessante consuetudine, debent recipere hanc benedictionem, seu consecrationem à solo Papa, seu ab alio eius auctoritate, quia ipse est prælatus, & diœcesanus exemptorum. vt not. in c. auctoritate. de priuileg. in 6. Et ita hodie obseruatur in omnibus, qui recipiunt dignitatem ab ipso Papa. Abb. hic nu. 4.

Cap. 45. Vt præteritæ.

EXPENSAE necessariæ, quas facit capitulum pro electione prælati, de bonis prælaturæ debent fieri, vel reddi.

QVIA officium suum nemini debet esse damnosum. c. cum non deceat. eod. in 6. Nemo enim cogitur de suo facere beneficium. c. præcariæ. 10. q. 2. Sed ille, cuius negotium vtiliter gestum est, debet reficere

ficere expensas.l.Pomponius. ff. de negot. gest. Et quoniam in eligendo prælatum, capitulum principaliter gerit negotium prælaturæ. Abb.hic nu.5. Ideo ab ipsa prælatura decet ipsum repetere expensas. c.cum pro causa.de procur. Nec obstat, quod capitulum in eligendo exerceat officium suum,& vtilitatem suam,& quod puniatur, si non eligit. supra c. ne pro defectu. quia sæpe quis facit expensis alterius id, ad quod tenetur; vt patet in visitatione prælati, qui visitat expensis subditorum. vt in c.cum ex officij.de præscript. Et idem in consecratione ecclesiæ; nam licet prælatus teneatur consecrare ecclesias sibi subiectas, nihilominus potest exigere procurationem.vt in c.cum sit. de simon. An autem istæ expensæ spectent tantum ad cameram prælaturæ, an etiam ad omnes de prælatura? Dic,quod si est consuetudo,illam serua,quæ legem interpretatur.c. cum dilectus. de consuet. si non est consuetudo, satisfaciet de expensis mensæ,cuius principaliter interest, scilicet, prælaturæ; nisi graues sint expensæ, quia tunc contribuent omnes de prælatura: nam quod omnes tangit, & cap.regula,quod omnes. de regul. iur.in 6. dum tamen pauperes non compellantur, & diuites inæqualiter non grauentur.c.licet.& c.procuratoris.de censib. Et hoc potissimè tangit canonicos.c.cum non liceat.de præscript.& c.requisisti.de testam.Butr. hic nu. 6. Sed debent istæ expensæ esse necessariæ,& moderatæ, nec debent excedere probabilem modum. glos.1. hic. quia nec delicatus debitor, nec onerosus creditor est audiendus.l.si seruus.ff.de pignor.act. Et dicuntur expensæ necessariæ illæ, sine quibus negotium expediri non potest, vel sine quibus res efficeretur deterior. ff. de impens. in reb.dot.fact.l.1.& sequen. Et sufficit,si credit expedire, licet non expediant.l. prætor.§.2. ff.de bon.auct.iud.possess. Illas autem tantum soluent,quas propter hoc fecerunt.d.c.cum pro causa.& ibi glos. nam si pro suis negotijs iuissent, vel misissent, licet tractassent etiam hoc negotium, non debent habere expensas,nisi quatenus plus expendissent propter longiorem moram.l. si communes.ff.de negot.gest.& glos.2.hic. Expensæ autem,quæ fiunt in funeralibus prælatorum, an fiant de bonis prælaturæ, vel de patrimonio defuncti? Distingue, quod expensæ concernentes solatium, seu remedium animæ defuncti, debent fieri ex bonis prælaturæ,quantumcunque prælatus habuerit proprium.arg.c.apostolicæ.de donat. & c.bonæ.12.q. 2. Expensæ vero, quæ fiunt ad consolationem viuorum, & ad pompam, vt magnus apparatus funerum in vestibus,& alijs similibus, non deducuntur ex bonis prælaturæ.Abb.hic nu.6. Charitatiuum autem subsidiū, an, & quando possit à prælato exigi pro expeditione bullarum suæ promotionis? vide Petrum Dueñam in reg.89.

Cap. 46. Cum post petitam.

ELECTIO post collationem ex interuallo celebrata,non valet.

Quia

QVIA iste modus eligendi, in quo fit collatio, vel numeri ad numerum, vel meriti ad meritum, est ille, qui vocatur per scrutiniū. vt supr. in c quia propter. & Compostell. hic. Et quoniam in electione, quæ fit per scrutinium, est de substantia, quod statim post collationem fiat electio, & non ex interuallo. vt in d.c. quia. & Butr. hic nu. 1. Ideo ista electio facta ex interuallo post collationem, cum sit facta inordinato processu. vt in tex. & contra formam substantialem traditam in d.c. quia. est ipso iure nulla; & sic per hunc tex. cassa, & irrita nunciatur. Abb. hic nu. 1. An autem omnis dilatio inter collationem, & electionē, vitiet processum? Distingue, quod dilatio extranea non naturalis vitiat, mora verò naturalis, & ex necessitate corporis, non. arg. l. cum antiquitas. C. de testam. Item modica dilatio non impedit. arg. l. ratum. ff. de solution. & Butr. hic nu. 6.

Cap. 47. Constitutis.

MONACHVS vnius monasterij, alterius factus Abbas, in electione Abbatis prioris monasterij, vocem non habet.

QVIA non potest monachus tenere locum in duobus monasterijs, (nisi fortè vnum dependeret ab alio) vt dissolutionis, euagationis, ac ambitionis materia, quæ ex tali pluralitate officiorum sequeretur, præcipuè in religiosis amputetur. c. fin. & ibi not. de relig. dom. & c. 1. de priuil. in 6. Ideo sicut vnus non potest esse monachus nisi in vno monasterio; ita non potest obtinere ratione suæ personæ, vt habeat vocem in diuersis monasterijs. Butr. hic nu. 11. Sed nomine dignitatis potest acquiri, vt vnus de vno monasterio habeat vocem ad eligendum in alio monasterio. glos. 1. hic. quia tunc non potest notari ambitio personæ; sed solum conceditur pro vtilitate ecclesiæ, vt in electionis actu plurium iudicia habeantur. Abb. hic nu. 3.

ETIAM si tale ius ab Abbate, & monachis prioris monasterij, sibi fuerit reseruatum.

QVIA cum ista prohibitio de non interessendo pluribus monasterijs, sit ius publicum introductum principaliter ad fauorem ecclesiarum, & religionis. d.c. fin. de relig. dom. pacto priuatorum tolli non potest. c. si diligenti. de for. comp. Et cum bona immobilia, vel mobilia prætiosa non possint alienari per monasterium sine consensu superioris. c. abbatibus. 12. q. 2. & c. in venditionibus. 17. q. 4. Ideo nec istud ius interessendi electioni poterit per eos concedi; Cum imponere seruitutem ecclesiæ, sit quodammodo alienare iura ipsius ecclesiæ. Abb. hic nu. 2. Vnde si monasterium vellet concedere Abbati alterius, vt ratione suæ dignitatis posset interesse electioni Abbatis illius monasterij, deberet intercedere consensus superioris; & sic Papæ, si monasterium est

est exemptum; vel Episcopi, si non est exemptum. vt in c. auctoritate, de priuil. in 6. & c. nulla. dist. 93.

Cap. 48. Ecclesia.

ELECTIO debet fieri verbo.

QVIA ista præcipua, & principalia sunt de necessitate, sine quibus electio non valet, scilicet, collatio, publicatio, inquisitio, & incontinenti electio, & scriptura. vt supra in c. quia propter. & glos. hic. ver. processus. Et quoniam ista sine verbis explicari non possunt. Abb. hic nu. 3. Ideo in electione requiritur pro forma substantiali verbalis electio, nec sufficit factum eligentium electionem tacitè importans. Abb. d. nu. 3. Simile est in baptismo, in quo requiruntur verba ad substantiam ipsius. vt in c. 1. de baptism. Et similiter in petitione apostolorum. vt in c. ab eo. de appell. in 6. Et sic factum non æquipollet verbis, vbi verba sunt de substantia, vt hic, & in dictis iuribus; aliàs non minus valet factum, quam verba. vt in c. dilecti. de appell. & c. existimant. 11. q. 3. Ex quibus potest inferri, quod in electionibus, in quibus non est necessario seruanda forma tradita per d. c. quia propter. non sint necessaria verba, dummodo constet de consensibus eligentium per ipsum factum. Abb. hic; sicut est in matrimonio carnali. iuxta not. in c. tuæ. & c. cum apud. de sponsal.

ET de illo, in quem consenserit maior pars capituli.

QVIA fictione iuris id, quod fit à maiori parte alicuius collegij, & vniuersitatis, censetur factum à tota vniuersitate. c. 1. de his, quæ fiunt à mai. par. cap. & l. quod maior. ff. ad municip. Et maior pars intelligitur de existentibus tunc in collegio; nam vt constituatur vniuersitas, sufficit, & requiritur præsentia duarum partium vocandorum; & valet, quod fit à maiori parte istorum. vt in l. nulli. & l. plane. ff. quod cuiusque vniuers. nom. & not. supr. in c. scriptum.

ET non respectu aliarum partium.

QVIA non potest dici maior pars capituli, vbi non est maior omnium, qui intersunt capitulo; nam maior pars respectu partium minorum, non est maior pars capituli, cum capitulum constituatur ex omnibus ibi præsentibus. vt not. glos. in d. l. nulli. & glos. in c. si cui. eod. in 6. Vnde in casibus, in quibus non est seruanda forma tradita per c. quia propter, & in quibus propter discordiam non potest haberi maior pars totius capituli, ad hoc, vt valeat actus, & censeatur factus à toto capitulo, traditur notabilis theorica, scilicet, vt primo illi de capitulo, seu vniuersitate faciant prouisionem, seu statutū, vt valeat id, quod fuerit factum à maiori parte, comparatione minorum partium. glos. in

d. c.

d.c.si cui.ver. præter. Et valet prouisio talis, quia omnes videntur postea consentire. Abb. hic nu.4. Et sic est statutum, & proceditur in electione Rectoris Studij Patauini, & Senensis. Nec obstat contra prædicta id, quod habetur in c. quoniam. de iuspatr. vbi valet præsentatio facta à maiori parte patronorum, licet non concurrat maior pars omnium. Nam respondetur, quod illud procedit in patronis, qui præsentant vt singuli, & non vt collegium. Secus autem est in spectantibus ad aliquos iure collegij; nam si ad collegium spectaret præsentatio, illa non valeret, nisi fieret à maiori parte totius collegij. Butr.hic nu.4. Ex quibus infertur, quod vbi actus pertinet ad plures, vt ad collegium, requiritur ad validitatem ipsius, dispositio maioris partis totius collegij. Quod intellige de maiori parte existentium tunc in collegio, & collegium repræsentantium, qui debent esse duæ partes vocandorum ad cōstituendum collegium; & maior pars illorum validat actum, vt dictum est superius, & not.glos.in l.aliud.§.refertur.ff.de reg.iur. Vbi verò actus spectat ad plures, vt ad singulos, in casibus, in quibus valet dispositio maioris partis, sufficit maior pars cōparatione minorum partium. vt in d.c.quoniam. & Abb. hic nu.6. Speciale tamen est in electione Prouincialis de ordine Minorum, vt valeat electio facta à maiori parte, comparatione partium minorum, licet illa electio spectet ad eligentes, non vt ad singulos, sed vt ad collegium. vt in Clem.exiui.§.demum.& ibi glos. de verbor.signific.

Cap.49. Cum in magistrum.

NON professus in Abbatem eligi non potest.

QVIA in magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit; nec est alijs præficiendus, qui alteri subesse non nouit. vt in tex.& supr.in c.cum causam. Et hodie non sufficit tacita professio, sed requiritur expressa; alias electio est ipso iure nulla. vt in c. nullus.eod.in 6.

Cap.50. Cumana.

ELECTIO facta à non maiori parte capituli, non valet.

QVIA potentia capitularis ex sui natura consistit apud totum capitulum; sed ex fictione iuris propter difficultatem, quæ est, vt omnes conueniant in vnam sententiam, ad facilitandam negotiorum expeditionem, fuit introductum, vt consistat etiam apud maiorem partem capituli; non autem vt consistat apud partem æqualem, vel minorem; cum non ita præsumatur bona expeditio negotiorum per consiliū ipsorum, sicut fit per deliberationem plurium; nisi altera pars maior, vel æqualis esset priuata, & sic tota potestas ad aliam partem quantumcun-

que

que minorem, deuoluta. vt in c. 1. de his, quæ fi. à mai. par. cap. & not. supra in c. ecclesia. Vnde si vna pars non est priuata, & electio fuerit facta ab alia parte non maiori, est ipso iure nulla, tanquam facta à non habentibus potestatem. vt not. supr. in c. auditis, & glos. in l. quod maior. ff. ad municip.

SIMILITER non valet, omissa collatione.

QVIA collatio zeli, numeri, & meriti, est de forma substantiali electionis. iuxta not. in c. quia propter. supr. eod. vbi traditur hæc forma, & glos. hic ver. contra. Et quoniam defectus formæ inducit nullitatem actus, ipso facto. vt not. in d. c. quia. Ideo si fuerit omissa collatio in casu, in quo est seruanda forma tradita per d. c. quia. electio non debet habere effectum, & eligentes debent puniri ex transgressione formæ. vt in tex. & glos. fin. hic.

Cap. 51. Sacrosancta.

PER compositionem factam cum prælato, & capitulo, non potest ius eligendi competere laico, etiam patrono, in ecclesia collegiata.

QVIA nullus prælatus, citra Papam, potest laicum habilitare ad ius spirituale tenendum. vt not. in c. 2. de iudic. & c. bene. dist. 96. & c. præter. §. verum. dist. 32. Et quemadmodum hoc non potest inducere prælatus, ita non potest consuetudo. infr. c. massana. Sed ex quo hic dicitur in tex. quod laicus non potest habere ius eligendi à prælato, & capitulo in ecclesia collegiata; quæritur, nunquid posit illud ab ipsis habere in non collegiata? Respondetur, quod non; sed ratione patronatus competit sibi sola præsentatio Rectoris. vt in c. nobis. & c. fin. de iurepatr. Quæ autem sit diuersitatis ratio. Dic, quia per præsentationem non initiatur aliquod matrimonium spirituale inter presentatum, & ecclesiam, ad quam præsentatur; sed totum ius spirituale transfertur in præsentatum ex institutione Episcopi, quę debet sequi; ideo dicimus, quod ius patronatus non est spirituale, sed annexum spirituali; quia per præsentationem patroni peruenitur ad institutionem, quæ est quid spirituale. vt not. in c. quanto. de iudic. sed per electionem initiatur matrimoniū spirituale. vt in c. fin. de transl. epis. & supr. c. cum inter. Et per eam acquiritur ius spirituale electo. glos. in c. quanto. dist. 63. vbi dicit, quod per electionem acquiritur ius administrandi in habitu, sed per confirmationem competit in actu. & not. supr. in c. transmissam. Et quoniam laicus non est capax iuris spiritualis. c. causam. de præscript. Ideo non potest in alium transferre ius, quod ipse posidere non potest. cap. quod autem. de iurepatr. Ius autē fecit in hoc tex. mentionem de ecclesia collegiata; quia in collegiatis proceditur regulariter per viam electionis. vt not. glos. in c. quanquam. eod. in 6. Vnde ex prædictis potest

colligi ratio diuersitatis, quare ecclesia concessit laico potestatem præsentandi, & non potestatem eligendi. Noluit enim in hoc mero iure spirituali cum ipsis dispensare, sicut dispensauit in annexis spirituali. vt not. Innoc. supra in c. quod sicut. Decet tamen pro honestate, vt electio iam facta in ecclesia collegiata præsentetur patrono, vt suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum. vt in tex. Et vt possit contradicere, si habeat aliquam iustam causam contradicendi; si autem sine rationabili causa contradiceret, talis contradictio non deberet obesse. vt not. supr. in c. cum terra. & c. quod sicut. & Abb. hic nu. 5.

Cap. 52. Cum in veteri.

SI per Papam mandatur habentibus eligere, quod eligant cum consilio aliquorum; alioquin consiliarij prouideant; eligentes debent consilium requirere in tractatu electionis.

QVIA consilium est aliquid faciendi, vel non faciendi ratio excogitata. Arist. 6. ethicor. ca. 9. & Cicero de Inuent. lib. 1. Et quoniã tractatus electionis præcedit ipsam electionem. glos. hic. ver. in tractatu. Ideo in illo tractatu debet interuenire istorum consilium, vt vt si fuerit rectum, possit trahere eligentes in ipsorum consiliariorum sententiam ad electionem maturius faciendam; (licet illud consilium non sit de necessitate sequendum) nam si postquam eligentes concordassent, & de certa persona eligenda statuissent, consilium requireretur, illud delusorium esse videretur. Innoc. hic in fin. Aliquando autem consilium ponitur pro consensu, & tunc est de necessitate sequendum. vt late per Abb. hic nu. 13.

ET congruo tempore expectare responsum.

QVIA consilia non sunt præcipitanda. c. ponderet. dist. 50. vnde tempore indigemus, vt aliquid maturius agamus. d. c. ponderet. Et quoniam consilium videretur delusorie petitum, si consiliariorum responsum non expectaretur. glos. hic ver. in tractatu. Ideo debet per congruum tempus ipsorum expectari responsum. vt in tex. Quod si fuerit expectatum, & consiliarij differunt plus debito respondere, vel nolunt impendere consilium, poterunt eligentes procedere ad actum electionis, etiam ipsorum consilio non expectato. Abb. hic nu. 8. & Bar. in l. 1. §. si plures. ff. de exercit. act. Quod autem tempus dicatur competens, est relinquendum arbitrio iudicis, qui debebit considerare arduitatem, vel facilitatẽ negotij. arg. l. continuus. §. cum ita. ff. de verb. oblig. Neque enim præcipitanter, neque morosè debent respondere. arg. l. quod dicimus. & l. ratum. ff. de solut.

ALIAS electio non tenet.

Quia

QVIA actus gestus contra formam mandati, est ipso iure nullus: c.cum dilecta.& ibi glos.ver.irritum.de rescript. Ideo cum in casu huius tex. fuerit mandatum, vt requireretur in electione facienda consilium aliquorum, si illud non fuerit requisitum, & congrue expectatum, forma mandati fuit trangressa, & sic redditur electio nulla: glos.hic.ver.in tractatu.in fin.& Io.Andr.col.2.ver.irritarent. Nec obstat glos.in Clem.1.ver.inhibentes.de iurepatr. dum dicit, quod si mandatur aliàs habenti potestatem, vt aliquid faciat sub certa forma, tenet actus, licet forma non seruetur, ad quod adducit.c dilectus.il 2.de præb. vbi valuit collatio facta per canonicos contra mandatum Papæ, nec fuit irrita collatio, quanquam canonici fuerint aliter puniti ex transgressione mandati. Nam respondetur, quod illud procedit, quando per mandatum factum aliàs habenti potestatem, superior ad vlteriora non processit in commissione, sicut est in d.c.dilectus. Secus, quando superior mandat, quod si illi non exequantur mandatum, alter exequatur, sicut est in casu huius tex in quo mandatur, quod si habentes eligere, nõ eligant cum consilio aliquorum, prouideant ipsi consiliarij; & sic in defectum illorum datur consiliarijs potestas prouidendi, & simile huic tex. est c.si capitulo.de concess.præb.in 6. vbi dicitur; quod si mandatur canonicis aliàs potestatem habentibus, vt conferant certum beneficium, dato executore, vt illis negligentibus, exequatur, per solam litterarum præsentationem afficiuntur manus canonicorum, vt prouisio alteri facta non valeat; nam ex quo superior transfundit potestatem in executorem in defectum illorum, quibus mandat, adimit illis potestatem in casu contumaciæ, & inobedientiæ; & ita contingit punctualiter in hoc tex. vt colligitur ex illo verbo, Alioquin.&c. Abb.hic nu.10.

Cap.53. Congregato.

SI maior pars capituli scienter eligit indignum, valet electio facta de digno à minori parte.

QVIA per electionem scienter factam de indigno, amittitur ipso iure ab illis eligentibus pro illa vice potestas eligendi, & totum ius capituli deuoluitur in illo casu ad alios de capitulo, qui non elegerunt indignum.supr.c.cum in cunctis.§.fin.& c bonæ.il 2. Ideo si maior pars fuit illa, quæ in tali casu deliquit, pars minor tunc repræsentat totum capitulum, cum in eam sit tota potestas deuoluta.supr.c. scriptum. Vnde electio facta ab ipsa de digno, censetur facta à toto capitulo; & ideo valet.glos.fin.hic.

ETIAM ex eodem scrutinio facta.

QVIA licet minor pars capituli non repræsentet totum capitulum, nisi post deuolutionem potestatis ad eam factam per priua-

tionem maioris partis. vt in d.c. scriptum. & d.c. bonæ. Et sic vt valida sit electio minoris partis, oportet, vt præcesserit electio scienter facta à maiori parte de indigno. Io. Andr. hic col. 2. Tamen si electio minoris partis fiat incontinenti post primam electionem, non est opus nouo scrutinio; nam satis est, quod ex eodem scrutinio sequatur vnica valida electio. vt supr. in c. quia propter. Et quoniam scrutinium habet partes successiuas; cum electores consentiant successiue, & non simul. Abb. hic nu. 5. Ideo in fauorem minoris partis eligentis dignum, & in pœnam maioris eligentis indignum, ius fingit, & interpretatur, electionem maioris partis præcessisse, & minoris esse subsecutam. Bald. hic nu. 1. Et sic electio facta à minori parte censetur esse post deuolutionem sibi factam per priuationem maioris partis; vt hoc pacto actus potius valeat, quã pereat. arg. c. cum expediat. eod. in 6. Si verò electio minoris partis sequitur ex interuallo, debet fieri scrutinium de nouo. supr. c. cum post petitam. & Compostell. hic.

Cap. 54. Dudum. il 2.

HABENS plures dignitates, vel plura beneficia curata, sine dispensatione Papæ, ineligibilis est.

QVIA in concilio generali sub Innocentio III. fuit statutum, vt quicunque receperit aliquod beneficiũ, curam animarũ habens annexam, si prius aliud tale beneficium obtinebat, eo sit, ipso iure, priuatus: & si forte illud retinere contenderit, & alio spolietur; & idem iudicium de dignitatibus, & personatibus est habendum. vt in tex. Et quoniam ille, qui venit contra huiusmodi statuta, transgressionis notam, necnon cupiditatis vitiũ ex tali pluralitate beneficiorum incurrit. Et retinendo beneficia, quæ non spectant ad ipsum (cum post receptionem alterius, prius simile beneficium vacet ipso iure, & ipse sic amittat titulum) per consequens rem contrectat alienam, & quodammodo furtum committit, vel rapinam. vt in tex. Ideo cum tempore electionis iste sit in graui crimine constitutus, eligi non potest; nam criminosus non est ad beneficia, & dignitates promouendus. c. fin. & ibi glos. 1. dist. 25. & c. 1. dist. 81. Et hodie magis specifice prouisum est in terminis huius litteræ, per extrauag. Ioan. XXII. quæ incipit: Execrabilis. in §. qui verò. de præb. vbi est dispositum, vt qui receperint dignitatem, vel personatum, seu officium, aut aliud beneficium animarum curam habens annexam, si antea simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso iure, postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos, omni dolo, & fraude cessantibus, quominus habeant, steterit, priuati noscuntur) absque moræ dispendio in ordinariorum manibus dimittere debeant; alioquin ex tunc sint ipso iure secundo priuati; & ne dum ad sacros suscipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcunque beneficium

ficium ecclesiasticum inhabiles reputentur.d.extrauag.execrabilis . Solus autem Papa cum talibus dispensat, quia Episcopi dispensare non possunt,nisi in casibus sibi concessis à iure.glos.in d.c.dilectus. ver. permissa. de tempor. ordin. nam cum dispensatio sit iuris communis relaxatio.vt not.Abb.in d.c.dilectus. eius concessio est odiosa, & sic venit stricte intelligenda.c.quæ à iure.& c.odia.de reg.iur.in 6.Vnde cum isti, qui retinent plura curata,vel dignitates ecclesiasticas, per ius commune reddantur inhabiles ad alia beneficia, nec fiat mentio de facultate concessa Episcopis dispensandi. vt in d.extrauag.execrabilis. immo exprimitur, quod Sedis Apostolicæ dispensatio requiratur ad talia retinenda.vt in tex.& c.de multa.de præb. Ideo sequitur, quod alius præter Papam,non posit cum ipsis dispensare. Abb.hic nu. 23. Secus est in absolutione ab excommunicatione; nam cum illa tendat in fauorem animarum, est fauorabilis, & sic eius concessio venit latè intelligenda; vnde quando Papa sibi illam non reseruat, censetur concedere Episcopis facultatem absoluendi.vt not.in c.nuper.de sent.excom.

Cap.55. In Genesi.

IRRITA est electio,quam collatio non præcessit, vel quæ facta non est à maiori parte capituli,vel quæ non fuit communis.

QVIA ista tria sunt de substantiali forma electionis. vt in tex. & supr.c.quia propter. Et quoniam defectus formæ reddit actum nullum,ipso facto.glos.fin.hic.& not.supr.in c.cumana. Ideo si electio sit talis,vt in ea veniat seruanda forma tradita per d.c.quia. si in ea ista tria superius enumerata non interueniunt, electio est ipso iure nulla. vt in tex. Secus si esset electio, in qua dicta forma necessario non requiritur; nam in ea sufficerent singulares consensus canonicorum, licet non subsequeretur electio communis nomine capituli. Innoc. hic.ver. numero. Sicut etiam tunc teneret electio,licet non præcesserit collatio, vt not.in d.c.quia. Maior verò pars capituli, semper requiritur, (nisi per priuationem illorum istius partis, tota potestas sit deuoluta ad partem minorem) ad hoc,vt electio sit valida,& censeatur facta à toto capitulo.vt not.supr.in c.cumana. Forma verò, quæ est seruanda, quando fit electio communis,hodie habetur infr.in 6.c.sicut. & de re iudic. c. cum ab vno.eod.lib.vt puta, quod vnus nomine capituli eligat per verba singularis numeri, vt in dictis iuribus. Et si quæratur per quem; dic per eum,qui habet primam vocem,vel per eum,cui capitulum commiserit, vel si capitulum expresse non commisit; saltem si vnus eligat nomine omnium,ipsis præsentibus, qui & ratum habuerint; præsertim in re fauorabili,qualis est electio,per quam prouidetur ecclesiæ. glos. in d. c.sicut.ver.per vnum. Quomodo autem sit facienda collatio numeri ad numerum,zeli ad zelum,& meriti ad meritum; latè hic tractant Innoc. &

Abb.

Abb. Nisi enim fieret ista collatio, non posset sciri, quis à maiori parte, numero; quis à saniori parte, zelo; & quis ab eligentibus maioris auctoritatis electus, sit maioris meriti. glos. fin. infr. in c. ecclesia.

Cap. 56. Massana.

NON valet electio Pontificis per laicos, & canonicos facta.

QVIA ius eligendi in Ecclesia, est quid spirituale. supra. c. sacrosancta. Et quoniã laici non sunt huiusmodi iuris capaces. c. causam. de præscript. Nec alius citra Papam, potest eos habilitare ad huiusmodi ius spirituale tenẽdum. d. c. sacrosancta. Ideo nec canonici, nec Episcopus possunt eos admittere ad ecclesiasticam electionem faciendam. vt in tex. Vnde si canonici fecerint electionem simul cum laicis, ex admixtione laicorum, qui sunt incapaces, & in odium illos admittentium, talis electio redditur nulla. Abb. hic num. 5. Et sic imputatur ipsis canonicis; quia illud, quod potuerunt, noluerunt, & illud, quod voluerunt, adimplere nequiuerunt. c. cum super. de offic. deleg. Propter enim huiusmodi admixtionem, canonicorum electio, quæ esset vtilis, redditur inutilis. Butr. hic num. 2. Cum enim electio sit vnus actus inseparabilis. c. prudentiam. de offic. deleg. non potest pro parte valere, & pro parte non valere; sed contra communem regulam, in tali casu inutile vitiat vtile. glos. in c. vtile. de reg. iur. in 6. Et hæc intellige, quando laici admittuntur ad coeligendum, secus si admitterentur propter aliquam vtilitatem Ecclesiæ; vt puta, admittitur tabellio ad scribendum electionis processum, vel vocantur laici, vt defendant clericos electores contra schismaticos, & alios ipsos impedientes, & similia. vt in c. vota. §. principibus. dist. 63.

ETIAM si hoc habeat consuetudo.

QVIA talis consuetudo est contra Ecclesiasticam libertatem. supra. c. sacrosancta. Et non potest reddere laicos capaces ad possidendum ius spirituale. c. causam. de præscript. Ideo nulla temporis longinquitate defenditur. c. cũ inter. de consuet. Et nunquam præscribitur. c. fin. d. tit. de consuet. cum enim sit sacris canonibus inimica, est potius dicenda corruptela; & ideo extirpanda. c. cum venerabilis. d. tit.

Cap. 57. Ecclesia.

NON sufficit ad confirmationem electionis, quod sit facta à maiori parte capituli, nisi etiam illa pars sit sanior.

QVIA ista duo requiruntur copulatiue ad hoc, vt gesta per collegium sint valida; & censeantur facta a toto collegio; scilicet, maior pars respectu numeri, & sanior respectu auctoritatis, zeli, & me-

& meriti, tam eligentium, quam electi. glos. fin. hic & Abb. num. 12. vbi late prosequitur, quommodo ista probentur. Et quoniam totà copulatiua redditur falsa, ex falsitate vnius partis. c. 2. & ibi glos. 1. & c. inter. de rescript. Ideo vt electio sit valida, debet esse facta à maiori, & saniori parte capituli. c. 1. de his, quæ fi. à ma. par. cap. & supra. c. quia propter. Vnde si ex eodem scrutinio fierent duæ electiones, vna à maiori parte respectu numeri; alia a saniori respectu zeli, & auctoritatis, neutra valeret. glos. fin. & Hostien. hic. Electio vero facta a minori parte, solum valet in casu electionis concurrentis cum postulatione, vt supra. c. scriptum. Et quando ius maioris partis est deuolutum ad minorem ratione delicti perpetrati a parte maiori. supra. c. congregato. Sed pars maior præsumitur sanior, nisi contrarium probetur, vt in tex. & glos. 1. in d. c. 1. de his, quæ fi.

Cap. 58: Publicato.

PVBLICATO scrutinio, non possunt electores variare.

QVIA per actus præcedentes vsque ad publicationem scrutinij inclusiuè, electores fecerunt quicquid ad eos spectabat, & functi sunt officio suo; nam electio communis, quæ debet subsequi, non est singulorum, sed capituli; & requiritur solum pro forma, vt electio appareat communis. vt supra. c. in genesi. & Abb. hic nu. 3. Et quoniam quando aliquis in talibus functus est officio suo, non potest variare, etiam si adhuc non sit ius alteri quæsitum, arg. c. si tibi. de præb. in 6. Ideo, licet nulla obligatio orta sit nominato, vel electo, etiam post publicationem scrutinij, antequam electus consentiat electioni; nam absenti nihil acquiritur. l. absenti. & ibi Bart. ff. de donat. & d. c. si tibi, electores, publicato scrutinio, variare non possunt, ex quo per consensum præstitum in scrutinio, & alios actus præcedentes, functi sunt officio suo. arg. c. in litteris. de offic. deleg. & Abb. hic d. num. 3. Verùm si publicato scrutinio, vota eligentiũ reperirentur æqualia, tunc possunt electores variare; nam non potest ex illo scrutinio, quantumcunque publicato, sequi electio; cum non consenserit in aliquem maior pars. arg. supra. c. quia propter, & c. Ecclesia & ibi gl. fin. Vnde cessat ratio huius tex. quod functi sint officio suo. Et ex variatione tunc nulla infamia irrogatur nominato; cum nemo habuerit maiorem partem capituli. Abb. hic num. 7. Et ex hoc infertur, quod publicato scrutinio, potest minor pars accedere ad maiorem partem; quia ex votis minoris partis non potest sequi electio, & nullum ius est acquisitum nominato, ad quod fac. not. per glos. fin. in c. cum in iure. supra. eod.

SED compelli debent ad collationem, & electionem.

QVIA

QVIA ex quo negotium est quasi cæptum per consensum præstitum à scrutinio, necesse est illud consumare arg. l. si quis. §. qui. ff.mand. vbi quis tenetur consumare mandatum, quod suscepit. & l. in commodato. § sicut. ff. commod. Adiuuari enim beneficijs nos oportet, non decipi. d.l. in commodato. & infr. de commod. c.vnic. Et quod semel placuit, amplius displicere non potest. c. horrendus. 32. q. 5. Et quæ simpliciter promittuntur, sine conditione soluuntur, c. non solum. 32. q. 8. Et quæ non cępit, deliberet; quæ est ingressa, perseueret. c.nuptiarum. 27. q. 1. Ideo tales electores meritò sunt compellendi perficere, quod cœperunt. glos. fin. hic. Et in hoc casu valet electio, licet non fiat in continenti; quia fraus, & dolus eorum non debent obesse nominato. d.glos. hic. & ita non contradicunt supra c.quia propter. & c. cum post petitam. vbi habetur, quod post publicatum scrutinium, debet sequi incontinenti collatio, & postmodum electio; alias electio protracta non valet, vt in dictis iuribus. Nam illud procedit, vbicunque protrahitur electio ex negligentia, & ignauia eligentium; secus si eligentes differant in fraudem electi. d.glos. hic. Tunc enim non debet mora electionem vitiare; nam non potest adiri superior, vt compellat istos, publicato scrutinio, ad eligendum, quin mora interponatur. Abb. hic nu. 6. Quis autē sit iste superior, qui habebit compellere electores? Dic, quod ille, ad quem spectat confirmatio, licet aliàs non sit ordinarius istorum eligentium; quia ex quo conceditur confirmatio, videntur concessa omnia præambula, per quæ peruenitur ad ipsam confirmationem. arg. cap. præterea. de offic. deleg. & Io. Andr. hic col. fin.

Cap. 59. Si alicuius.

CASSATA electione per simoniam, etiam sine culpa electi, non dispensat Episcopus ea vice cum cassato.

QVIA si talis posset in ea vacatione ad illam prælaturam eligi, vel promoueri, ex proximitate vitij videretur promotio vitiosa. glos. 2. hic. nam ea, quæ incontinenti fiunt, videntur inesse. supr. c.officij & ff. si cert. pet. l. lecta. Et quoniam aliquando quis impeditur sine sua culpa, ne aliquid consequatur, dum tamen adsit causa vrgens, propter quam ad id assequendum remoueatur. c. transmissa. de fil. presb. Ideo propter grauitatem vitij simoniæ, vt etiam eius malus odor, & suspicio euitetur, prohibetur, ne talis electus posit tunc promoueri, donec per intermediam personam electam fuerit purgatum vitium simoniæ. d.glos. hic. Et quoniam non reperitur concessum Episcopis, vt possint in tali casu dispensare. Abb. hic nu. 4. Ideo dispensatio tunc intelligitur eis prohibita. vt not. supr. in c. dudum. il 2.

SECVS, si electus libere resignauit.

Quia

QVIA per liberam resignationem sponte factam ante motam quæstionem, statim atque ipse audiuit, se taliter fuisse promotū, & electum, eius innocentia aperitur, & ille malus odor simoniæ remouetur. glos.2.hic. & c. præsentium.1.q.5. Ideo cum eo facilius dispensatur, concedendo Episcopis tunc dispensandi facultatem, dummodo illud beneficium sit simplex. vt in tex. nam circa maiora beneficia, in quibus cautius est agendum, Episcopi tunc dispensare non possunt, nisi ecclesiæ vtilitas suaderet. Host. hic, & Io.Andr.col.2. In omnibus autem casibus, in quibus dicitur Episcopum posse dispensare, intellige, dummodo non sit cum ipso commissa simonia. d. c. præsentium. Resignatio autem tunc dicitur esse libera; si excludatur omne pactum, & spes expressa; nam de occulta solus iudicat Deus. Butr. hic in fin.

Cap.60. His, quibus.

ELECTORIBVS impeditis currit tempus, si possunt impedimentum tollere.

QVIA qui potest facere, vt possit conditioni parere, iam posse videtur. l. qui potest. ff. de reg. iur. Et qui potest facere, & non facit, imputet sibi. l. Labeo. ff. de contrahen. empt. Negligentibus enim iura non subueniunt. l. non enim. ff. ex quib. caus. maior. Ideo sicut electoribus curreret tempus, si non essent impediti, ita debet currere, si possunt impedimentum remouere, & non remouent. glos. hic. & glos. 1. in d. l. qui potest. Si verò sunt legitime impediti, eis tempus non currit. glos. hic; ne sine culpa iure suo priuentur. c. quia. de concess. præb.

In Sexto. Cap.1. Statuimus.

SI aliquid opponatur contra prouisionem, electionem, vel postulationem factam ad personatum, dignitatem, vel canoniam, in personam, vel formam; & ob hoc fuerit appellatum ad Papam, appellans, & defendens, & quorum interest, à die obiectionis intra mensem arripiant iter eundi ad Papam.



VIA cum diuturnæ vacationes ecclesijs sint periculosę; & cum multi sæpe interponant malitiosè appellationem ad vexandum aduersarium, & ad subterfugium propriæ culpæ prolungandum. infr. c. cupientes. Ideo pro opportuno remedio contra huiusmodi mala, fuit assignatus iste terminus competens, vt intra mensem à die appellationis ad Sedem Apostolicam interpositæ, iter ad illam arripiatur, vt sic

& dictis malitijs obuietur, & appellans non nimis incommodè ad iter statim post appellationem interpositam arripiendum, adstringatur. vt in d.c. cupientes.

§. Sed si pars.

SI pars altera expectata per viginti dies post aduentum alterius non venerit, in negotio procedatur.

QVIA terminus superius assignatus ad iter post appellationem interpositam arripiendum, non arctabat ad se iudici præsentandum. Gemin. hic nu. 1. Et quoniam erat conueniens, vt alius terminus ad hoc assignaretur, ne pars, quæ comparuit, aliam partem nimium expectare deberet. glos. hic. ver. absentia. Ideo statuitur, vt si alia pars non venerit intra viginti dies post aduentum alterius partis, in electionis negotio, non obstante cuiusquam absentia, per iudicem possit procedi ad quemcunque actum iudicialem, ac si ille contumax esset præsens. Archid. hic nu. 5. Debet tamen pars, quæ comparuit, docere se obseruasse tempora huius cap. & petere, vt procedatur contra absentem, vt latè hic per Compostell.

§. Adijcientes.

NON probans, quod in formam opponit, condemnatur parti alteri in expensis.

QVIA cum ille, qui obijcit in formam, tangat ius, quod clarum, & indubitatum est. extr. c. quia propter. non potest habere iustam ignorantiæ causam; nam non licet clericis ignorare canonicas sanctiones. extr. c. 1. de constitut. Et quoniam regulare est, vt victus, qui non habuit probabilem causam litigandi, condemnetur victori in expensis, tam ad indemnitatem illi seruandam, qui fuit iniuste vexatus, quam in pœnam temeritatis victi, qui causam non legitimam præsumpsit deducere in iudicium. c. calumniam. extr. de pœnis. & Bart. in l. si quis. ff. deposit. Ideo cum iste non probans non possit legitime excusari, iuste in expensis debet alteri parti condemnari. vt in tex. & glos. in c. finem. ver. expensas. extr. de dolo, & cont.

NON probans, quod obijcit in personam, est à beneficijs triennio suspensus.

QVIA quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus. c. dudum. extr. de præsumpt. Vnde qui non probat crimina, quæ obijcit, videtur fecisse animo calumniandi. c. super his. de accusat. & glos. 2. in c. 2. de calumn. Et quoniam calumniatores sunt puniendi. c. 1. d. tit. de calumn. cum contraueniant diuino præcepto, quo dictum est: Diliges pro-

proximum tuum, sicut te ipsum, quem ipsi odio prosequi ostendũt, dum iniuste illi mala inferre perquirunt. c. si non licet. 23.q.5. Ideo talis calumniator in pœnam per triennium à beneficio suspenditur. vt in tex. Quæ tamen suspensio non extenditur, nisi ad illa beneficia, quæ iste obijciens obtinet in ea ecclesia, de cuius electione tractatur. glos. hic. ver. beneficijs. & infr. c. si compromissarius. & ibi glos. fin.

ET perpetuo priuatus, si se interim ad illa miscuerit.

QVIA supradicta pœna suspensionis incurritur ipso iure, cum tex. hic loquatur per verba præteriti temporis, dum dicit: Nouerit se suspensum. Archid. ver. suspensum. Et quoniam suspensus à beneficijs, si se ingerit illis, à quibus est à iure suspensus, efficitur irregularis. vt not. infr. c. 1. de re iudic. & c. fin. extr. de cler. excomm. Et propter eius temeritatem, & contemptum, meretur beneficijs perpetuo priuari, vt sic puniatur in eo, in quo deliquit. Archid. in c. si quis Episcopus. 11.q.3. Ideo etiam in hoc casu post incursam suspensionem, imponitur pœna priuationis. vt in tex.

HAE pœnæ locum non habent, si legitimè pateat, eum calumniosum non fuisse.

QVIA cessante causa, cessat effectus. c. post translationem. de renunt. Et quoniam causa, vt imponerentur hæ pœnæ, erat culpa calumniandi, quæ præsumebatur contra obijcientem, qui non probauit, vt dictum est superius. Ideo si manifestissimis constiterit documentis, quòd obijcientem à calumniæ vitio causa probabilis, & sufficiens excuset, remouetur illa præsumptio, quæ erat contra ipsum de calumnia; & sic pœna, quæ propter illam imponebatur, debet cessare. vt in tex. Qui enim non est in culpa, pœnam non meretur. c. disciplina. dist. 45. Et qñ non stat per eum, ad quẽ pertinet, quominus conditio impleatur, perinde debet haberi, ac si impleta fuisset. c. cum nõ stat. infr. de reg. iur.

Cap. 2. In electionibus.

VOTA conditionalia, & alternatiua, & incerta in electionibus reprobantur.

QVIA eligere, est actus legitimus. infr. de sent. excom. c. solet. & glos. infr. eod. c. vt circa. ver. eligentium. Et quoniam actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. c. actus. infr. de reg. iur. nam in ipsis requiritur certus, clarus, & liber consensus, qui per conditionem, alternatiuam, & incertitudinem redditur incertus, obscurus, & non liber. glos. in d. c. actus. Ideo talia vota in electionibus reprobantur. vt in tex. & Archid. hic nu. 2. Si verò esset talis conditio, quæ inest de sui natura, puta; confero tibi talem ecclesiam, vel præben-

dam, si vacat, vel si capax es; tunc non vitiatur legitimus actus; quia talis expreſsio non facit actum conditionalem, cum ſubintelligatur, etiam ſi non exprimatur. gloſ. hic ver. incerta. vnde de tali conditione idem exiſtimatur, ac ſi non fuiſſet appoſita. l. conditiones. ff. de condit. & demonſtrat.

ET habentur pro non adiectis.

QVIA talis appoſitio in voto electionis eſt contra ſubſtantiam liberi voti, quod debet eſſe in electione, vt dictum eſt ſuperius, & Gemin. hic nu. 2. Et quoniam, quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi. c. quæ contra. infr. de reg. iur. Et defectus formæ ſubſtantialis vitiat actum. l. non dubium. C. de legib. Ideo vota talium non computantur, ſed perinde habentur, ac ſi nullum nominaſſent. Archid. hic. ver. pro non adiectis.

ET recidunt in pure conſentientes.

QVIA regulare eſt, vt vbi vna pars collegij in aliquo actu delinquit, tota facultas collegij deuoluatur pro illa vice ad aliam partem, quæ non deliquit; vt ſic illi puniantur in eo, in quo peccarunt, & iſti poſsint complere actum, ne ex aliorum culpa remaneat imperfectus. c. cum Vintonienſis. extr. eod. & infr. de ſuppl. negl. præl. c. 2. Ideo ex quo pars illa deliquit, non legitime dando vota, alia pars, quæ legitime votat, totum capitulum repræſentat. gloſ. fin. hic, & Arch. in fin.

Cap. 3. Vbi periculum.

PER hanc conſtitutionem ſupplentur ea, quæ experientia probauit deeſſe in prioribus conſtitutionibus editis ab alijs Summis Pontificibus, & præſertim ab Alexandro Tertio, pro euitanda diſcordia in electione Romani Pontificis.

QVIA vbi periculum maius vertitur, ibi plenius eſt conſulendum. vt in tex. Et quoniam prolixa Romanæ Eccleſiæ vacatio eſt periculoſior, quam aliarum eccleſiarum vacationes. vt in tex. Ideo Summus Pontifex, qui etiam in reformandis vacationibus inferiorum eccleſiarum intendit, multo magis debet intendere, & prouidere circa ea, quæ expediunt pro euitanda diſcordia, quæ poſset Romani Pontificis electionem prolungare; & ob id præter ſtatuta circa hoc ab alijs Summis Pontificibus, Gregorius Decimus per hanc ſuam conſtitutionem approbatam in Concilio Lugdunenſi, multa in hoc ſupplet, & diſponit. vt in tex.

§. Hoc

§. Hoc sacro.

CARDINALES, qui sunt praesentes in Ciuitate, in qua Summus Pontifex tunc defunctus cum sua curia residebat, tenentur expectare Cardinales absentes decem diebus pro electione futuri Pontificis ibi facienda.

QVIA cum mors Summi Pontificis sit per se notoria, sufficit Cardinales expectare, non autem est necesse eos vocare, vt fit in alijs electionibus inferiorum praelatorum, in quibus electores absentes sunt vocandi. gloss. hic ver. decem. Et quoniam prolixa vacatio Romanae Ecclesiae est multis plena periculis. vt in tex. Ideo non assignatur longius tempus ad eos expectandum, quam decem dierũ à die mortis Pontificis; quod tempus datur non solum ad Cardinales absentes expectãdum, sed etiam ad faciendam praeparationem in conclaui pro illis, qui sunt praesentes. Archid. hic ver. decem.

DISPONITVR de clausura, de seruitoribus, de cibo, ac potu, & alijs obseruandis in conclaui.

QVIA per ea, quae hic statuuntur, prouidetur necessitati Cardinalium inclusorum; & disponitur modus, per quẽ cito perueniant ad bonam electionem. glos. hic. ver. camera.

§. Si quando.

PAPA mortuo extra suam curiam, seu locum audientiae causarum, celebrari debet futuri Pontificis electio in Ciuitate, in cuius districtu, seu territorio est defunctus.

QVIA cum electio Romani Pontificis sit negotium principalissimum, eius dignitas non patitur, vt in vilibus locis celebretur; praesertim cum in illis non possint commode exerceri ea, quae per hanc constitutionem circa conclaue, & alia hoc negotium concernentia, disponuntur. arg. c. statutum. in princ. de rescript. hoc lib. Et quoniam prolixa Romanae Ecclesiae vacatio est plena periculis. vt supr. in tex. Ideo eius necessitati non conuenit, vt ad remotiores ciuitates pro electione celebranda proficiscatur; sed cum illa non possit fieri in loco regulariter deputato, scilicet vbi Papa cum sua curia residebat, debet fieri in loco magis apto, & propinquo, & sic in ciuitate capite illius districtus, vbi Papa est defunctus. arg. c. statuimus. infr. de offic. deleg.

NISI sit interdicta, aut Romanae Ecclesiae rebellis.

Quia

QVIA licet electiones aliorum prælatorum non reperiantur prohibitæ fieri in huiusmodi locis; speciale tamen debet esse in electione Romani Pontificis, propter eius prærogatiuam, vt in talibus locis tanto negotio indignis, non celebretur. glos. hic. ver. interdicta. & Gemin. num. 2.

§. Præterea.

DOMINI, aliique Rectores, & Officiales ciuitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda, auctoritate Apostolica ex hoc canone, & approbatione generalis Concilij Lugdunensis, faciant præmissa omnia obseruari.

QVIA parum est iura condere, nisi sit, qui eadem tueatur. vt in tex. Et quoniam in hoc casu non est alius præter istos, qui possit prædicta tueri. glos. hic. ver. præsumant. Ideo propter bonum publicum, in aliorum defectum, qui non adsunt superiores, sicut est in electionibus inferiorum, qui possint electionem tueri, per hunc canonem datur auctoritas istis laicis, præmissa tuendi etiam contra clericos. d. glos. hic. & Francus nu. 1. Et vide alios casus in similibus, permissos laicis propter bonum publicum. in c. principes. 23. q. 5. & c. si quis. dist. 79.

§. Cæterum.

OBTESTATVR Cardinales, vt in electione Romani Pontificis deponant omnem priuatum affectum.

QVIA cum arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cuiusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi. vt in tex. Et quoniam Cardinales debent attentius pensare, quid eis imminet, cum agitur de creatione Vicarij Iesu Christi, successoris Petri, Rectoris vniuersalis Ecclesiæ, gregis Dominici directoris. vt in tex. Ideo omni priuatæ affectionis inordinatione deposita, & cuiuslibet pactionis, conuentionis, obligationis necessitate, necnon condicti, & intendimenti contemplatione cessantibus, non in se reciprocent considerationis intuitũ, vel in suos, non quæ sua sunt quærant, non commodis priuatis intendant; sed nullo arctante ipsorum in eligendo iudicium, nisi Deo puris, & liberis mentibus nuda electionis conscientia vtilitatem publicam libere prosequantur omni conatu, & solicitudine (prout possibilitas patitur) id acturi tantummodo, vt eorum ministerio acceleretur vtilis, & pernecessaria totius mundi prouisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiæ sponso dato. vt in tex. & vide Turrecrematam in Summa de Ecclesia. lib. 2. c. 36.

ET cassat omnia pacta, obligationes, & iuramenta, quae data, vel facta essent de aliquo eligendo.

QVIA cum talia pacta, obligationes, & iuramenta sint illicita. vt in tex. nullatenus sunt obseruanda. c. quanto. extra de iureiur. nam Deo magis est accepta transgressio iuramenti illiciti, quam eius obseruatio. vt in tex. Et hoc clarum est de iuramentis illicitis, de quibus loquitur hic tex. de quibus etiam si Papa hic non dixisset, non tenerentur illa obseruare; dicit autem, vt ipsi minus excusentur. Archid. hic col. fin. licita autem iuramenta an Papa possit tollere, vide tex.not. in d.c.quanto. & c.venientes. eod.tit, vbi dicitur, quod in omni iuramento intelligitur excepta auctoritas superioris, & ideo Papa potest tollere, & cassare promissiones iuratas factas inter subditos. d.c. venientes, & glos. in c.constitutus. extra de rescript.

§. Quia vero.

MONET omnes fideles, vt statim, audita Summi Pontificis morte, eius celebrent exequias;

QVIA cum summus Pontifex rector vniuersalis Ecclesiae nô cesset pro communi vtilitate laborare. supra.§.prox.& in proemio huius libri; Ratio beneficientiae postulat, vt in vita, & in morte ab omnibus fidelibus pro eius salute Deus deprecetur.c.visũ.de consecrat. dist.1. & simile de Imperatore dicitur. in l. praecipimus. C.de appell.

ET quotidie orent pro vigili, concordi, & vtili prouisione Romanae Ecclesiae.

QVIA fidelibus non est tam de solicita quantumcunque inuentione fidendum, quam de instantia orationis humilis, & deuotae sperandum. vt in tex. Respublica enim potius religione, & officio, quam labore corporis continetur. c. in qualibet. 23. q.8. Et quoniam in electione Romani Pontificis tractatur de vtilitate totius orbis. vt in tex. Ideo statuitur, vt in omnibus ciuitatibus, caeterisque locis insignibus, vbi primum de Pontificis morte certitudo claruerit, a clero, & populo, solemnibus pro eo exequijs celebratis, singulis diebus, (donec de ipsius Ecclesiae prouisione indubitanter rumor pertulerit veritatem) humiles preces fundantur ad dominum, apud eum deuotis orationibus insistatur, vt ipse qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorundem Cardinalium corda in eligendo concordia, quòd prouisio celer, concors, & vtilis (pro vt animarum salus exigit, & totius orbis requirit vtilitas) ex ipsorum vnanimitate sequatur. vt in tex.

PRAELATI autem in suis praedicationibus ipsos subditos ad hoc horten-

hortentur, & frequentiam orationum, & obseruantiam ieiuniorum indicant.

QVIA licet constitutionis in corpore iuris clausæ non sit tolerabilis ignorantia; & quilibet præsumatur illam scire post duos menses a die publicationis absque alia notificatione. vt not. in c. 1. extr. de constitut. Tamen si dicta constitutio non est semper in vsu, sed rarò practicatur per temporis interualla; tunc debet intimari, cum casus euenerit; alias esset probabilis ignorantia. Anchar. hic. & Francus num. 10. Ideo ne tam salubre præsentis sanctionis edictum, prætextu ignorantiæ negligi contingat, præcipitur omnibus Ecclesiarum Prælatis; cæterisque, quibus concessum est proponere verbum Dei, vt clerum, & populum propter hoc specialiter frequentius congregandos in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri, & fælici exitu tanti negotij frequentanda, solerter hortentur; ac etiam ieiuniorum obseruantiā (prout circunstātiæ pensandæ suaserint) indicant. vt in tex.

Cap. 4. Vt circa.

APPELLANTES còntra electiones, postulationes, vel prouisiones, omnia, quæ obijcere intendunt contra personam, vel formam, tenentur exprimere, & iurare, quod illa credunt vera esse, & ea se posse probare.

QVIA vt circa electiones, postulationes, & prouisiones ecclesiasticas via malitijs (pro vt est possibile) præcludatur, ne diutius periculose vacent Ecclesiæ, vel personatum, dignitatum, & aliorum ecclesiasticorum beneficiorum prouisio differatur; præter alias cōstitutiones super hoc factas ab alijs summis Pontificibus, fuit per hanc constitutionem Gregorij Decimi sancitum, vt supradicta requisita in huiusmodi prouisionibus adhibeantur. vt in tex.

SVPER non expressis, ipsi, vel adhærentes eis, non audientur.

QVIA cum supradicta præcipiantur exprimi, vt malitijs, quæ possent interuenire ad impediendam electionem, obuietur. vt in tex. Si non fuerint expressa, fit contra præceptum legis, & ideo præsumitur malitia. Archid. hic ver. alioquin. Et quoniam malitijs non est indulgendum. c. sedes. extr. de rescript. Sed quisque de sua culpa est puniendus. c. disciplina. dist. 45. Ideo tam vt obuietur malitijs in posterum, quam vt puniantur in præteritum, talibus interdicitur potestas, ne amplius proponant circa ista. vt in tex. & Gemin hic in fin. Et idem censetur de adhærentibus, quod de principalibus. vt in tex. nam qui adhæret alicui, vnus spiritus est cum eo. c. damnamus. extr. de sum. Trinit.

ait. & c.nec mirum. 26. q. 5. Et cohærentia censentur sicut ea, quibus cohærent. c. volentes. infr. de offic. leg. Sicut agentes, & consentientes pari pęna puniuntur. c. votum. 2. q. 1. Vnde adhærentes debent seruare ea, quæ in hac constitutione continentur, sicut ipsi principales; & si hoc non esset, non præcluderetur via malitijs, sicut intendit ista constitutio; nam adhærentes possent malitiose multa facere, & vna via concederetur, quod alia prohibetur; quod esse non debet glos. hic ver. adhærentes. Illi autem dicuntur posse adhærere, quorum interest in causa, & non alij. c. cum inter. il 1. extr. eod. Et Archid. hic. ver. adhærentes.

NISI de nouo emergant, vel perueniant, vel superueniat probandi facultas.

QVIA quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. c. insinuante. extr. de offic. deleg. & l. de ætate. ff. de interrog. act. Et quoniam tempore appellationis interpositæ, appellans ista exprimere non poterat, cum de ipsis non posset cognitio, vel probatio haberi. glos. hic. ver. peruenerint. Ideo tunc non est, quod ipsis imputetur, vt in posterũ probandi facultas circa talia debeat impediri. Archid. hic. ver. nisi.

SVPER quo iurare debebunt.

QVIA per huiusmodi iuramentum remouetur illa præsumptio, quę poterat esse, quod ipsi velint adhuc malitiose proponere ista, ex quo à principio diligenter inquirere debebant. glos. penult. hic. Et quoniam dependet à propria conscientia, an iste malitiose opponat, vel non. Gemin. hic. §. super. Et quæ occultè à conscientia dependent, aliter probari pon possunt. c. pastoralis. extr. de except. Ideo in tali casu statur proprio iuramento. cap. si vero. il 2. extr. de sent. excommun. & Archid. hic in fin.

STATVTVM Innocentij editum contra non probantes, quæ obijciuntur in personam, vel formam, in suo robore conseruatur.

QVIA in tali statuto ponitur pœna deficientis in probatione. vt supr. c. 1. hic verò ponitur pœna non seruantis hanc formam in appellando. glos. fin. hic. Et quinque concordantias cum totidem differentijs inter d. c. 1. (in quo habetur istud statutum Innocentij) & hanc constitutionem Gregorij Decimi, enumerat Gemin. hic. §. fin. Ideo cum hæc constitutio non sit contraria illi, sed diuersa; vna non tollit aliam. l. vnic. C. de inoff. dotib. & l. Papinianus. ff. de minor.

Cap. 5. Auaritiæ.

ELECTVS ante confirmationem administrare non debet, per se, vel per alium.

QVIA si electi ante confirmationem administrarent, postea de confirmatione non curarent, ne se submitterent periculo cassationis; maxime ij qui non habent cõsecrari. Et confirmatio nil videretur operari, si administrationem per electionem haberent; & non possent sic de facili remoueri, si contingeret electionem cassari. glos. hic. ver. confirmetur. Ideo, licet per electionem acquiratur electo ius prælaturæ, & ius administrandi; non tamen acquiritur exercitium prælaturæ, vel administrationis, sed illud acquiritur per cõfirmationem. vt not. in c. nosti. & c. qualiter. extr. eod. Et sicut non debet ante confirmationem electus administrare per se, ita non debet per alium. vt in tex. nam talis faceret fraudem legi, dum obseruaret verba legis, fingendo se non administrare tanquam electum, sed tanquam œconomum, vel procurarem; & contrauenire menti legis, quæ intendit, illum nullo modo posse ante confirmationem administrare. vt in tex. Et ista vocatur fraus de vno contractu ad alium contractum: nam quadrupliciter fit fraus legi. Primò de re ad rem, id est, quando in fraudem datur aliqua res. Secundò de persona ad personam, vt cum quis sub persona alterius exercet vsuram. Tertiò de vno contractu ad alium contractum, vt cum mulier non posit donare aliquid viro, fingit illud vendere ei. Quartò modo fit fraus de vno contractu ad alium, sed alio modo, vt cum muliér non possit fideiubere, constituit se principalem debitricem. glos. 1. in c. plerique. 14. q. 3.

IN totum, vel in partem.

QVIA idem iuris est de toto, quod de parte. l. quæ de toto. ff. de rei vendicat. & c. vulgaris. de pœnit. dist. 1. Ideo sicut non potest talis electus administrare in totum, ita nec in partem; cum non sit maior ratio de vna parte, quam de alia; & in quacunque se immisceret, gereret se pro administratore. glos. hic. ver. pro parte, & Archid. ver. per se.

SVB quocunque colore.

QVIA quocunque modo talis se ingereret, faceret fraudem legi, quę intendit, vt nullo modo electus administret ante confirmationem, vt dictum est superius. Et quoniam malitijs hominum non est indulgendum. vt in tex. Ideo vt remoueatur ista fraus, quam auaritiæ cæcitas, & damnandę ambitionis improbitas inuenerant, hic clarius statuitur contra tales, quam fuerit factum per alia iura; cum hic prouideatur non solum ex eadem mente legis; sed etiam ex verbis expressis, vt sic isti non posint venire, nec contra mentem, nec contra verba legis. vt in tex. & glos. ver. latius. Per hanc tamen constitutionem non mutatur, quod de Papa, de Imperatore, & de vltramontano concorditer electo immediatè Papæ subiecto, alibi inuenitur statutum,

vt ipsi

vt ipsi possint administrare, quamuis non confirmati. glos. hic. ver. ecclesiarum.

QVI contrafecerint, ipso iure priuati sunt iure ex electione quæsito.

QVIA secundum Apostolum, nemo debet sibi honorem assumere, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. ad Hebræos c.5. Et quoniam si talis electus administrat ante confirmationem, assumit sibi honorem, quem debet à superiore expectare. c. qualiter. extr. eod. Ideo talis tanquam ambitiosus est repellendus. c. in scripturis. 8. q. 1. Præterea talis peccat faciendo contra canonem, qui prohibet hanc administrationem. vt in tex. Ideo pœnam meretur, & præcipuè, vt puniatur, in quo peccauit. c. inter. de excess. præl. Præterea simulata æquitas, duplex est iniquitas; nam facit malum, & abutitur bono. Clement. ad nostrum. de hæretic. Et quoniam talis simulat administrare tanquam alius, & se ingerit ratione electionis, quod ei est prohibitum. glos. fin. hic. Ideo ex his omnibus causis, talis meretur priuari iure sibi ex illa electione quæsito. Archid. hic in fin. Et licet per iura priora esset per sententiam priuandus, vt in d. c. qualiter. Hodie per hanc constitutionem, est ipso iure priuatus. vt in tex.

Cap. 6. Quam sit.

ELIGENTES quam citò possunt, electionem electo præsentent.

QVIA per mutuum consensum electorum, & electi, initiatur matrimonium spirituale. c. cum inter. extr. eod. & c. licet. de translat. prælat. Et quoniam non solum iura testantur, sed etiam magistra rerum efficax experientia manifestat, quam sit ecclesijs ipsarum dispendiosa vacatio, & quam periculosa etiam soleat esse animabus. vt in tex. Ideo ne diu ecclesiæ vacent, sed vt initietur istud spirituale matrimonium inter electores, repræsentantes ecclesiam, & ipsum electum sponsum, postea per confirmationem perficiendum. c. nosti. extr. eod. Debent electores quamcitius commode possunt, electionem electo præsentare, vt ipse possit consentire, & ad negotium perficiendum incumbere. vt in tex. Et cum hic non exprimatur, intra quot tempus debeat electio præsentari, videbatur relictum ad arbitrium boni viri. glos. hic. ver. quamcitius. Sed hodie habetur expressum, vt illam debeant præsentare intra octo dies. infr. c. cupientes. §. cæterum. Et si electores fuerint negligentes in præsentando, non per hoc nocent electo. d. §. cæterum. nam non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. glos. hic. ver. commode. & l. non debet. ff. de reg. iur.

ELECTVS intra mensem consentiat.

QVIA cum ex electione acquiratur ius electo, etiam antequam ille electioni consentiat. vt in tex.& infr.c.si religiosus: licet ipse non possit compelli absolute, & præcisè electioni de se factæ inuitus consentire.c.gesta.dist. 64. potest tamen compelli causatiuè, & conditionaliter, scilicet, si vult consentire, quod consentiat intra tempus hic in iure assignatum, ne causa ipsius ecclesia diu maneat suspensa; alias priuatur iure sibi per illam electionem acquisito. vt in tex. & Gemin. nu.1. Et mensis hic assignatus electo ad consentiendum, computatur à die præsentationis sibi factæ de electione, vt in tex. cum antea ipse non sit in mora. glos.hic.ver.distulerit. Et habebit tot dies, quod habet ille mensis in quo fuit præsentata electio; & si dies aliqui erant elapsi, supplentur de mense sequenti. glos.hic.ver.mensem. Per quæ autem verba habeat electus consentire, ita vt non notetur nec ambitiosus consensus, nec superba recusatio; dic, quod si se non cognoscit indignum, potest tepide consentire. glos.1.c.in scripturis.8.q.1.

ALIAS priuatus est iure quæsito.

QVIA cum talis electus sit negligens in consentiendo, non debet eius culpa, ecclesia diutius vacare. glos.hic.ver.distulerit, quæ notat, quod si talis legitime impeditus fuerit, non currit ei tempus; nam impeditus non differt.c.quia.extr.de concess.præb. Ideo propter ecclesiæ indemnitatem, & propter propriæ negligentiæ culpam, si ille intra mensem non consentit, ex quo consentire potest, priuatur ipso facto iure ex electione acquisito. vt in tex. Nec requiritur alia priuationis sententia, licet vbi dubium esset, posset per sententiam declarari, illum esse priuatum. glos.hic.ver.eo ipso.

NISI conditio personæ ipsum excuset.

QVIA cum tunc non possit ei negligentia imputari, non debet iure ex electione sibi acquisito, sine sua culpa priuari. glos. ver. conditio. Sed est quamcitius in tali casu requirenda licentia per ipsos electores, vel per ipsum electum, ab illo superiore, qui potest remouere illam conditionem, propter quam ipse consentire electioni de se factæ non potest, ne ecclesia longius vacet. vt in tex. Et ex quo licentia est ei impartita, à die, quo potest consentire, currit ei iste mensis. d. glos.hic.

POST consensum, confirmationem petat intra tres menses.

QVIA cum electus non possit ante confirmationem administrare. supr.c.prox. Et cum per confirmationem dicatur perfici spirituale coniugium inter electum, & ecclesiam.c.inter.extr.de transl. epis. Et quoniam est prouidendum ecclesiarum indemnitati, ne diutius vacent, vt dictum est superius. & extr.c.ne pro defectu. Ideo statuitur istud com-

competens tempus ad electionis confirmationē petendam per electum, post eius præstitum electioni consensum. vt in tex.

ALIAS electio viribus vacuetur.

QVIA sicut ipso iure priuatur iure sibi quæsito ille, qui intra mēsem electioni de se factæ non consentit, vt dictum est superius; ita debet illius electio cassari, qui intra debitum tempus confirmationem non petit, ne etiam per istius negligentiam diutius ecclesia careat administratore. Archid. hic in fin. Requiritur tamen in isto casu sententia priuationis, quæ non requiritur in casu superiori, cum tex. hic dicat euacuetur, quod verbum denotat futurum tempus; & in casu superiori dixit, ex tunc se nouerit eo ipso priuatum, quod denotat sententiam per ipsum ius inflictam. vt not. supr. in c. statuimus. quia maius vinculum contractum est post consensum, quam ante; & ideo difficilius rumpitur. glos. ver. vacuetur. Et adde sancita in Concil. Trid. sess. 7. de reform. cap. 13.

Cap. 7. Perpetuo.

SI non sequatur electio, non est quis ex consensu in scrutinio scienter habito in indignum, eligendi potestate priuatus.

QVIA iura, quæ priuant eligentes scienter indignum potestate eligendi, non dicunt, si in indignum consenserint, sed si indignum elegerint. vt extr. c cum in cunctis. §. fin. Et quoniam per consensum præstitum non potest dici facta electio, si illa non sequatur. extr. c. in genesi. Cum consensus ille dicatur esse singulorum, & electio dicatur esse communis, & collegij. vt in tex. & d. c. in genesi. Ideo pęna imposita pro electione, quæ dicit actum perfectum, qui sequitur post præstitum consensum singulorum eligentium, non incurritur per solum consensum eorum, ex quo non est sequuta electio; qui consensus dicit solum actum imperfectum, & principium electionis. glos. fin. hic. Et vbi pœna imponitur ex gestione actus, quis non incurrit pœnam, dato, quod faciat principium actus, si postea non sequitur perfectio illius. glos. in c. vnic. ver. extorsit. infr. quod met. caus. nam in pœnis est benignior interpretatio facienda. c. in pœnis. infr. de reg. iur. Et hoc procedit quo ad pœnam legis positiuæ: nam quo ad Deum bene talis punitur, cum faciat contra conscientiam. vt in tex. & Gemin. nu. 2. Et etiam quo ad pœnam temporalem potest tunc talis puniri per superiorem iuxta qualitatem delicti, sed non illa pœna imposita à lege pro illo delicto perpetrato. vt in tex. & l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. Et vide Concil. Trid. sess. 7. de refor. c. 3. & sess. 24. de refor. c. 18.

Cap. 8. Nulli.

ELIGENS, vel electioni consentiens, contra electum se nequit opponere, vel renuntiare.

QVIA quis non potest mutare consilium in detrimentum alterius. c.mutare.inst.de reg.iur. Et quoniam si tales mutarent propositum,& possent retractare electionem,esset in praeiudicium electi; cui est ius quaesitum: supr.c. quamuis. & venirent contra factum proprium,quod fieri non potest.glos.in cap poenitentes. dist.55. Ideo licet consentire in electum à principio fuerit voluntatis, post consensum praestitum,in eo permanere,est necessitatis.c.quod semel. & ibi glos.infra de reg.iur.

NISI ex noua causa, vel nouiter ei pandita.

QVIA quae de nouo emergunt,nouo indigent auxilio.c.insinuante. extr.de offic. deleg. & l.de aetate. §.ex causa. ff.de interrog. act. Vnde regula; Quod semel & c. & aliae superius similiter adductae fallunt ex causa superuenienti, vel nouiter ad notitiam perueniente, sicut etiam fallunt in ijs, quae improbantur a iure; Et in ijs, quae non scienter placent, sed per facti errorem, in quibus quis non censetur consentire. l. nihil consensui. ff. de reg.iur. Similiter, vt dictae regulae habeant locum, requiritur, quod placeant non sola mente, sed etiam verbo,vel facto; Et quod alterius intersit, illa non mutari.glos. in d.c.quod semel. Ideo si noua causa emerserit, vel morum improbitas, seu alterius latentis vitij, vel defectus (quae verisimiliter eligens ignorare potuerit) veritas reueletur, ipse eligens poterit huiusmodi electum impugnare. vt in tex. Et de huiusmodi ignorantia sufficit, vt fidem faciat proprio iuramento.vt in tex. nam cum in animo consistat, regulariter non potest aliter probari. glos. in c.homo. dist. 40. Et haec procedunt, etiam si interuenisset iuramentum. Innoc. in c. cum inter. de renunc. Cum de istis emergentibus non videatur in iuramento, vel consensu praestito, cogitatum. Francus hic num.2. & 3. Hinc deducitur, quod ex noua causa offendens, non dicatur frangere pacem. Anchar. hic. & Bart. in l.si seruum. ff.de verb. oblig.

Cap. 9. Si quando.

CONTRA electum a duplo maiori parte, vel electores ipsius, nil a reliqua parte potest opponi; quod votum extenuet.

QVIA extenuare votum, est illud obijcere, quod non annullat penitus votum, sed ipsum reddit minoris auctoritatis, sicut esset; ego litteratus, tu minus litteratus; tu simplex canonicus,ego in digni-

tate

tate constitutus; & similia. glos. 1. hic, & Archid. ver. ad extennationem. Et quoniam numerus duplo maior, cum multum excedat aliam partem, præsumitur valde sanior, & motus a multo meliori zelo; & sic elegisse meliorem, vel saltem idoneum, quod sufficit ad validitatem electionis. extr. c.Ecclesia. il 2. & ibi glos.fin. & c.licet.8. q.1. Et probare quis non debet admitti, quod non releuat, etiam si probetur. l. ad probationem. C.de probat. Ideo non admittitur oppositio tam minoris partis in tali casu,in quo nec pro ipsa præsumitur, nec si aliquid pro se probaret, sufficeret ad inualidandam electionem alterius partis.glos. penult. hic, & Francus num.1.

SED bene id opponitur, quod votum annullet.

QVIA quando votum eligentium annullatur, electus ab eis venit remouendus extr. c.cum in cunctis. & c.nihil. Et quoniam pars, quæ talem non elegit, potest facere de alio electionem validam, licet sit numero admodum minor.c.cumana. extr.eod. Ideo cum oppositio istius minoris partis tunc possit valere, & remouere electum ab alia parte,non est vt frustratoria reijcienda; sed vt facta ab illis,qui legitime iure suo vtuntur, est attendenda. vt in tex. & glos.fin. hic.

Cap. 10. Quamuis.

APPELLATIO iudicialis, vel extra deuoluit causas electionum episcoporum, & superiorum ad Papam.

QVIA causæ electionum episcopalium, seu super electionibus episcoporum exortæ, inter maiores causas annumerantur.vt in tex. Et quoniam maiores causę dicuntur illæ,quas Sedes Apostolica in signum specialis prærogatiuæ, propter illarum grauitatem sibi reseruauit. c.1. extr. de transl. episc. & c. maiores. de baptism. Ideo nullus, citra Papam, vel ille, cui speciali mandato ipse commisserit, super appellatione huiusmodi causarum cognoscere potest. c. huic. dist.17.

SI in scriptis, & ex causa probabili fuerit interiecta, alias non.

QVIA licet constitutio Alexandri Papæ Quarti assereret, istarum causarum cognitiones per quaslibet appellationes ad Sedis Apostolicæ examen deuolui. vt in tex. Et sic etiam appellationes frustratorias admittebat.glos.ver.quaslibet. Iste tamen Pōtifex Gregorius Decimus eius successor, volens, & temeriam appellantium audaciam, & effrænatam appellationum frequentiam refrænare, hac generali constitutione duxit prouidendum; vt si extra iudicium in prædictis electionibus, vel in alijs dignitatibus episcopatu maioribus,celebratis, expressa causa manifestè friuola,contigerit appellari,per appellationem huiusmodi nequaquam ad Sedem eandem negotium deuoluatur; sed

cum

cum in electionum earundem negotijs in iudicio, vel extra iudicium appellatur in scriptis, ex causa probabili (quæ probata deberet legitima reputari) ad Sedem ipsam huiusmodi negotia deferantur, vt in tex. Et sic quo ad istam partem appellandi, illa constitutio Alexandri fuit correcta.glos.ver.quaslibet. Constitutio autem illa hodie non habetur in corpore iuris clausa.glos.ver.constitutio. sed quo ad quasdam alias partes, quæ erant in illa constitutione, est attendenda hæc decretalis, quæ illam in hac parte innouat, & de nouo super his statuit. Archid. ver.deuoluatur.

ET ab ea possunt partes sine prauitate recedere, priusquam Papæ præsentata fuerit.

QVIA cum res adhuc sit integra, nec Papa in ea apposuerit manus, non debent partes cogi inuitæ agere, nec iustæ pęnitudinis humanitas est eis amputanda; sed est permittendum, vt iuribus pro se introductis possint renuntiare. glos.ver.partibus.& Archid.eod. ver. Si verò causa est Papæ præsentata, non est amplius locus pœnitentiæ, etiã priusquam illam committat; quia non debet Papa ab eorum pendere arbitrio, sed ad ipsius officium tunc spectat examinare negotium; præsertim si crimina, vel defectus in appellatione exprimuntur. Guliel.Durand.hic nu.27. Et hoc, quod hic dicitur, intellige in appellationibus interpositis in talibus causis, nam in alijs, secus; in quibus appellans mutat libellos, & potest reducere causam ad primum iudicem, antequã sit alij cognitio delegata.extr.de appellat.c.interposita. §. 2. & Archid. hic ver.præsentare.

ET an in recessu interuenerit prauitas, inferiores iudices ante omnia debent inquirere.

QVIA sicut tales iudices non possent cognoscere has causas, stante appellatione; vt dictum est superius; ita non impediente appellatione, a qua fuit per partes recessum, debet apud eosdem cognitio remanere, apud quos esset, si nullo modo fuisset appellatum. vt in tex. nam non appellare, & appellare, & appellationem non prosequi, regulariter paria sunt. c.gratum. extr. de offic. deleg. licet non per omnia, vt infr. de sent. excom. c.licet. & glos. fin. hic. An autem talis appellatio impediat, vel non; & sic an interuenerit in recessu ab appellatione prauitas, vel non; debent ijdem iudices inquirere. vt in tex. quia in dubio iudex cognoscit, an sua sit iurisdictio. extr.de offic.deleg. c.significantibus & ff.de iudic. l. si quis. & ibi glos.fin. Et hæc cognitio est facienda ante omnia.vt in tex. quia vbi iudex recuperat iurisdictionem ex aliqua causa, debet primò inquirere, an causa subsit, propter quam illam recuperat. Gemin. hic.§.inferiores. num.1.

QVAM si repererint, de causa non cognoscent.

QVIA cum in tali casu non fuerit licitum partibus ab appellatione recedere, vt in tex. Et cum appellatio harum causarum spectet ad Sedem Apostolicam, vt dictum est superius. Ideo tunc non debent inferiores iudices cognoscere de causa ad ipsos non spectante. vt in tex.

SED statuent partibus terminum, in quo cum actis, & munimentis se Apostolico conspectui repræsentent.

QVIA cum partes de facto iam recesserint ab appellatione interposita ad Sedem Apostolicam, per concordiam factam inter ipsas; & cum iudices, ad quos ipsæ sunt reuersæ, non possint de illa causa cognoscere, ex quo in concordia interuenit prauitas; & ideo appellatio adhuc de iure intelligebatur pendere apud ipsam Sedem. vt in tex. Ideo ne istæ partes illudant vtrunque iudicem; iudex inferior, qui cognouit de partium prauitate, debet curare, vt ipsæ reuertantur ad superiorem iudicem competentem, qui possit debitam iustitiam administrare; & sic, vt accedant cum actis, & probationibus, vt ex illis informetur iudex, quid facere debeat. glos. penult. hic, & Archid. in fin. Et licet iste iudex inferior non habeat tunc in istas partes iurisdictionem, ex quo causa pendet apud Sedem Apostolicam; tamen potest eas adstringere ad comparendum intra terminum competentem, cum ei à superiore hoc concedatur, ne iustitia à partibus illudatur. vt in tex. Nec per istam termini asignationem, dicitur ipse iudex inferior causæ se intromittere, sed potius superioris mandatum exequi. Gemin. hic in d. §. nu. 2. vbi infert, quod si exemptus delinquat in diœcesi, Episcopus possit illi terminum asignare, intra quem debeat suo superiori se præsentare. Gemin. ibidem.

Cap. 11. Si forte.

SI inter reliqua, quæ obijciuntur promouendo ad dignitatem, obijcitur euidens defectus scientiæ, vel personæ, illud ante omnia examiri debebit.

QVIA vbi plura alicui obijciuntur, quorum quodlibet per se sufficit, illud, quod facilius probari potest, primò est probandum. c. auditis. extr. de præscript. & glos. hic. ver. ante. Et quoniam tam defectus scientiæ, quàm personæ sufficit ad impediendum aliquem, ne ad dignitatem promoueatur, cum vterque defectus sit contra ea, quæ necessario requiruntur in promouendo. extr c. cum in cunctis. Et ambo de facili possunt regulariter probari; vnus per examinationem, alter per oculorum inspectionem. glos. 1. hic. Ideo potius ab istis, quam ab alijs defecti-

fectibus, qui non ita faciliter possunt probari, in discussione eorum, quæ tali promouendo obijciuntur, est inchoandum. vt in tex.

ET si reperietur falsum, opponens à prosecutione negotij repellitur.

QVIA si id, quod magis videtur inesse, non inest, nec id, quod minus videtur, est credendũ inesse. c. de inducijs. 3. q. 3. Vnde si non insunt isti defectus, vel alter eorum, qui facilius poterant apparere; nec etiam est credendum inesse aliquem de alijs obiectis, de quibus difficilior est probatio. glos. 1. hic. Sed quoniam talis præsumitur calumniose obiecisse ad impediendam promotionem, ex quo defecit in probatione istorum defectuum. Archid. hic. ver. obseruandum. Ideo semel malus semper præsumitur malus. c. semel. infr. de reg. iur. Et offendens in vno, factus est omnium reus, vt amplius in tali negotio non audiatur. vt in tex. & c. defleat. extr. de reg. iur.

ET punitur perinde, ac si defecisset in probatione omnium obiectorum.

QVIA ex quo apparuit calumniator in istis defectibus obiectis, qui poterant facilius apparere, vt dictum est superius. Ideo præsumitur calumniator etiam in cæteris. d. c. semel. & in pœnam obiectæ calumniæ statuitur, vt puniatur, ac si in probatione omnium defecisset. supr. c. 1. §. adijcientes. & glos. hic. ver. euidentem. Sed si habuisset probabilem causam ignorantiæ, non subijceretur istis pœnis. Archid. hic in fin. Quæ autem sit pœna deficientis in probatione eorum, quæ opponit, vide supr. in d. c. 1. Et de examine eligendorum ad beneficia, vide sancita in Concil. Trid. sess. 24. de refor. cap. 18.

Cap. 12. Sciant.

QVI grauauerit aliquam personam ecclesiasticam, vel eius consanguineos, vel ecclesias, seu bona, pro eo quòd eum, pro quo rogabatur, eligere noluit, ipso facto excommunicatus est.

QVIA illi, qui violentia, vel fraude non permittunt ecclesias ordinari secundum regulas à sanctis Patribus constitutas, vt sacrilegi iudicantur. c. sunt. 1. q. 1. Et quoniam dicuntur impedire, non solum qui directè grauant ipsas ecclesias, & personas ecclesiasticas, sed etiam qui eas grauant indirectè, inferendo iniuriam earum consanguineis in odium, & vituperium illarum. Durandus hic nu. 9. Cum in illatione iniuriarum inspiciatur intentio iniuriantis, & persona, respectu cuius iniuria, & contumelia fertur. Institut. de iniur. §. sed libero. Ideo sicut per verbera clericis illata, quis incidit ipso facto in excommunicationem. cap. si quis suadente. 17. q. 4. ita statuitur, vt incurratur per grauamen illatum eligentibus, directè, vel indirectè, ex eo

quod

quod ad alterius libitum eligere noluerunt. vt in tex. & Durand. nu. 14.

Cap. 13. Generali.

VSVRPANTES de nouo custodiam vacantium ecclesiarum, eo ipso excommunicantur.

QVIA licet fundans, & dotans ecclesiam, possit sibi de consensu diœcesani, expresse retinere, quod, vacante ecclesia, faciat fructus suos, & illius custodiam habeat. c. præterea quoniam. extr. de iurepatr. & c. Eleutherius. 18. q. 2. postea tamen, illius custodiam acquirere non potest; cum patronus ab ecclesia aliquid temporale exigere non possit, nisi tempore fundationis, vel dotationis, sibi à diœcesano fuerit illud reseruatum, vt in d. c. præterea. Vnde si aliquis, siue patronus, siue alius præsumpserit res ecclesiasticas occupare, committit furtum, & sacrilegium; & non qualecunque furtum, sed peculatus, quod est furtum de re publica. c. quid ergo. 23. q. 4. Ideo propter huiusmodi grauia crimina, tales occupatores excommunicantur. vt in tex.

CLERICI etiam, & monachi hoc fieri procurantes, eandem excommunicationem incurrunt.

QVIA cum clerici, & quælibet personæ ecclesiasticę debeant se opponere pro iuribus ecclesiæ sibi commissæ defendendis. cap. hoc consultissimo. infr. de reb. eccl. non alien. Graue nimis, & execrabile est scelus, si non solum non defendant, sed etiam offensionem procurent. c. irreligiosum dist. 87. Dicuntur autem procurare, ope, consilio, persuasione, & operatione. glos. hic. ver. pronunciant. Ideo etiam ipsi pro tali graui crimine, quod committunt, excommunicationi, ipso facto, subijciuntur. vt in tex.

CLERICI verò, qui se (vt debent) talia facientibus non opponunt, priuantur fructibus ecclesiarum pro tempore, quo præmissa sine debita contradictione permiserint.

QVIA licet tales non ita grauiter peccent, sicut illi, qui talia mala procurant, vt dictum est superius; & ideo non excommunicationi subijciuntur, sed fructibus temporalibus, quod leuius est, priuantur. vt in tex. Grauiter tamen etiam ipsi peccant, non defendendo ecclesiam, vt debent. d. c. hoc consultissimo. nam qui non facit, quod debet; intelligitur facere, quod non debet. c. ideo. 25. q. 1. & l. qui non facit. ff. de reg. iur. Vnde talis negligentia cõparatur voluntati, secundum id, quod not. in c. fin. 9. q. 3. Ideo etiam tales meritò grauiter in amissione fructuum beneficij puniuntur. vt in tex. Debent autem se opponere cum effectu, vt inuocando ad hoc auxilium brachij sæcularis. c. administratores. 23. q. 5. vel denunciando hoc iudici superiori. arg. c. prælatis. infr. de

homicid. non tamen dicitur, quod debeant se corporaliter opponere talibus, secundum quod not. in cap. si tributum. 11. quæst. 1. Sed pone, quod tales clerici inuocant milites ad defensionem sui iuris, & pugnando ibi aliqui moriuntur, nunquid eis mors imputabitur? Dic, quod non. ad hoc c. de occidendis. 23. q. 5. & l. quoniam, cum sequent. C. ad leg. Iul. de vi publ.

HABENTES talem custodiam ab antiquo, se abstineant, & ministros faciant abstinere ab omni dilapidatione, & alio abusu.

QVIA qui custodiam habet, debet custodire, non consumere. l. is, cui. §. qui. ff. vt in possess. leg. Et quoniam qui res alterius saluare tenentur, de facto ministrorum obligantur. l. fin. ff. naut. caup. & stabul. Ideo isti custodes non solum per seipsos, sed etiam per eorum ministros, debent ab huiusmodi damnis abstinere. glos. ver. ministros. Et inter cætera, quæ debent curare, est, vt bona conseruentur, quæ vacationis tempore prouenerunt. vt in tex. ita tamen, vt sub specie custodiæ non sint vsurpatores. glos. ver. reditus. & c. auaritiæ. supr. eod.

Cap. 14. Licet canon.

PAROCHIALIS ecclesia nemini conferatur, qui non sit idoneus scientia, moribus, & ætate.

QVIA parochi officium est præesse, & prodesse populo sibi commisso, tam verbis, quàm exemplo. extr. c. cum in cunctis. §. inferiora. & Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. Et quoniam ista non bene possent operari sine sufficienti scientia, ac exemplaribus moribus, & perfecta ætate. vt in tex. Ideo debet cauere collator, vt in promouendo ad parochiam adsint ista requisita. Concil. Trid. d. cap. 2. & sess. 7. cap. 3. de reformat. Et qualis ætas requiratur in promouendis ad quaslibet dignitates, & beneficia, vide extr. eod. c. cum in cunctis. & Concil. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12.

ET si conferatur non attingenti vigesimum quintum annum, non valet collatio.

QVIA parochus tenetur missas celebrare, & sacramenta administrare, quæ solù per presbyteros possunt adimpleri. c. regenda. 10. q. 1. & Conc. Trid. d. c. 2. Et quoniã quis non potest in presbyterũ ordinari, nisi vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit. Clemen. generalem. de ætat. & qual. ord. & Concil. Trid. sess. 23. c. 12. Ideo vt parochus possit ista adimplere, ille debet ad huiusmodi curam assumi, qui vel sit presbyter, vel intra breue tempus possit in presbyterum ordinari. vt in tex. & extr. c. cum in cunctis. Si autem parochialis conferatur

non

non attingenti vigesimumquintũ annũ, collatio est nulla ipso iure. vt in tex.& glos. ver. carere. quia per hunc tex. in tribus maxime suppletur ad ea, quæ habentur in d.c. cum in cunctis. nam ibi collatio ecclesiæ parochialis tantum prohibetur fieri minoribus vigesimoquinto anno, hic non solum prohibetur, sed etiam irrita decernitur; nisi dicere velis, quod id satis erat irritum per ipsam constitutionem, cum in cunctis. ex eo, quod sufficit legislatorem aliquid prohibuisse, etiam si non adijciat contra factum non valere. l. non dubium. C. de legib. nec per hoc fuit hic tex. superfluus in tali casu; quia clarius exprimit hæc decretalis, quam illa; ad idem supr. de Sum. Trinit. c. vnic. & sic innouat, & suscitat in hoc illud ius, quod erat quasi per abusum abolitum. Item per canonem illũ moneri debent ad suscipiendos ordines; per istum non est hoc necesse. Item per illum talis promotus, qui in dicta ætate non sit constitutus, est per sententiam priuandus, per istum priuatus est ipso iure. glos. 1. hic, & Durand. nu. 14. & 26.

ILLE autem, cui talis ecclesia collata fuerit, tenetur personaliter residere.

QVIA per residentiam ipsius rectoris, diligentius cura gregis sibi crediti ab eo geri potest. vt in tex. Et quoniam si ipse extra residentiam existeret, illud eueniret, quod de populo egente pastore in Hierem. legitur. Thren. cap. 4. Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. Ideo ne populi sibi commissi cura negligatur, debet parochus personaliter residere. vt in tex. & d. Concil. d. c. 2. Is autem dicitur residere, qui continue ibi moratur. arg. C. de metat. l. deuotum. lib. 12. nisi in casibus à iure exceptis, in quibus is, qui abest, fingitur esse præsens, & residere. glos. hic. ver. residere. & infr. de cler. non resid. c. de cætero.

ET intra annum sacerdos fieri.

QVIA cum parochus teneatur sacramenta administrare, & non possit illa administrare, nisi sit presbyter, vt dictum est superius. Ideo ne populus sibi commissus diutius patiatur in spiritualibus detrimentum, si promotus non est presbyter tempore parochialis adeptæ, debet intra annum in presbyterum ordinari. vt in tex. & d. c. cum in cunctis. Currit autem iste annus à die, qua habuit possessionem pacificam, vel per eum stetit, quominus illam haberet; nec currit iuste impedito. glos. ver. annum. & c. commissa. infr. eod. Sed quid si solum minoris partis bonorum ecclesiæ possessionem nactus est? Dic, quod si habet liberũ exercitium curæ animarum, hac constitutione tenetur; quia cura animarum principalis est, & dignior; & ratione exercitij curæ animarum, tenetur quis ad sacerdotium promoueri. Si autem non habeat liberum exercitium curæ animarum, non tenetur promoueri, licet habeat pos-

sessio-

sessionem maioris partis bonorum. Et si habuit pacificam possessionem, & postea lis ei mota fuit, tenetur hac constitutione, nisi incontinenti post possessionem adeptam lis fuerit mota, & possessio turbata. Durand. hic à nu. 40. vsque ad 48. & Archid. ver. commissi.

SI autem promotus non fuerit, elapso anno, priuatus est ipso iure.

QVIA in suæ negligentiæ pœnam, & ad populi sibi commissi salutem attendendam, per hanc constitutionem talis pœna imponitur, licet olim per d.c. cum in cunctis, esset per sententiam priuandus. glos. hic ver. priuatus. Sed quia fortasse habuit aliquod iustum impedimentum, vt non promoueretur, benefaciet ordinarius, si propter hoc dubium aliquam causæ cognitionem præmittat, antequam decernat ecclesiam vacare, & illam alteri conferre. Durand. nu. 50. Præsens enim constitutio, licet indefinitè loquatur, iustum tamen, seu necessarium impedimentum excludere non intelligitur. extr. c. ne pro defectu. & de concess. præb. c. quia. nam ius neminem obligat ad impossibile, vel iniustũ. c. erit. dist. 4. Et licet ex hoc canone priuatio incurratur ipso iure; possessor tamen non remouebitur à sua quasi possessione, licet vitiosa, sine causæ cognitione, ex quo titulo possidet, licet iniusto. c. cum nostris. extra de concess. præb. & Durand. hic nu. 55. & vide Concil. Trid. sess. 22. de reform. cap. 4.

SVPER residentia autem, prælatus eius ad tempus poterit dispensare.

QVIA verbum residentiæ non est amarè intelligendum, scilicet, vt nunquam inde discedat. Archid. ver. super. Nam verba sunt ciuili modo intelligenda. l. sicuti. ff. de seruit. & glos. fin. in cap. quibusdam. distinct. 37. Ideo, licet nec ipse Papa concedat, vt quis nunquam teneatur residere in cura animarum. supra cap. fin. de rescript. Tamen, si causa rationabilis exposcat, conceditur, vt etiam ipse Episcopus ad tempus gratiam dispensationis super non residendo concedat. vt in tex. Et cum non exprimatur per quot tempus possit illam concedere, videtur relictum discreto iudicio ipsius Episcopi. Archid. hic in fin. Potest autem esse causa rationabilis, studium, præsertim Theologiæ, si ille docilis sit. cap. super specula. extr. de magistr. Vel intemperies aeris. cap. quorundam. distinct. 74. Vel infirmitas. cap. ad audientiam. extr. de cleric. non residen. Vel inimicitiæ graues. extr. eod. cap. bonæ. il 1. Vel peregrinatio. cap. magnæ. extr. de voto. Vel seruitium Episcopi. cap. de cætero. de cleric. non resident. Vel Papæ. vt in d. cap. Vel negotia ecclesiæ. cap. ex parte. de cleric. non residen. Durand. hic in fin.

Cap.

Cap. 15. Nemo.

PAROCHIALIS Ecclesia non commendetur, nisi constituto in ætate legitima, & sacerdotio.

QVIA licet commendatarius non sit prælatus, sed potius procurator, cui custodia Ecclesiæ est commissa; habet tamen illius legitimam administrationem, & ex illius fructibus ipso, & eius ministri sunt prouidendi; & illi Ecclesiæ debet deseruire, sicut faceret proprius prælatus. glos. ver. sacerdotio. & ver. commendare, & 21. q. 1. c. qui plures. Subrogatus enim sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur. c. Ecclesia. extr. vt lite pend. Ideo sicut parochus deberet esse in ætate legitima, & in sacerdotio, vt posset populo administrare sacramenta. sup. c. prox. ita debet esse commendatarius, qui parochi officium gerit. Durand. nu. 35. In vtrisque enim est eadem ratio, scilicet, officium administrandi populo sacramenta; vt dictum est superius. Ideo debet esse idem ius, vt vterq. sit aptus ad illa administranda. arg. l. illud. ff. ad leg. aquil.

ET tali, non nisi vna.

QVIA ecclesiasticus ordo peruertitur, quando vnus plurium officia occupat. c. referente. & c. ad hæc. extr. de præb. Et quoniam Prælati in hoc sæpe committebant fraudem, nam non valentes vni committere plures parochias in titulum. c. de multa. extr. de præb. quærebant illis dare in commendas. Durand. in princ. Ideo vt obuiectur fraudibus, statuitur, vt sicut non potest haberi, nisi vna parochialis in titulum, ita non possit haberi, nisi vna in commendam. glos. ver. vnam. & nouissime Concil. Trid. sess. 24. cap. 17.

ET illa tunc demum, cum necessitas, vel vtilitas exigit.

QVIA cum ius commune velit, vt quælibet Ecclesia habeat proprium, & non commendatum prælatum. c. cum non ignores. extr. de præb. & c. sicut. 7. q. 1. quando Ecclesia conceditur in commendam, fit dispensatiuè, & ius commune relaxatur. Durand. num. 19. Ideo debet semper fieri ex causa, sicut & dispensatio. c. tali. 1. q. 7. & c. exposuisti. extr. de præb. & ita aliqua causæ cognitione præmissa. c. dispensationes 1. q. 7. Et quoniam in dispositione ecclesiasticarum rerum, ista duo, vel eorum alterum, sunt attendenda, scilicet, euidens necessitas, vel suadens vtilitas ipsius Ecclesiæ. c. fine 12. q. 2. & c. exposuisti. extr. de præb. Ideo etiam in casu huius tex. attenduntur. glos. ver. necessitate, & ver. vtilitate. Et cum tex. hic dicat esse attendendam necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, videtur, quod in fauorem personæ commenda non sit concedenda. Durand. num. 1.

TALIS

TALIS autem commenda vltra sex menses non duret.

QVIA sicut episcopus habet sex menses ad conferendum. c. nulla. extr. de concess. præb. ita cum necessitas, vel vtilitas exigit, ad similitudinem collationis conceduntur ei alij sex menses ad commendandum, quam tamen commendationem debet facere, priusquam tempus semestre a die vacationis labatur; nam illo finito, vlterius se intromittere non debet, nisi ad illam commendandam alicui, donec superior prouideat. glos. ver. commendare, & Durand. nu. 47. Non autem conceditur, vt vltra sex menses commenda duret; quia cum ex commenda non acquiratur ius commendatario, sed interim dicatur vacare, Durand. nu. 25. non sunt diù Ecclesiæ vacantes relinquendæ. d. c. nulla. Si tamen Ecclesia ab alio interim impetraretur, esset facienda mentio de commenda; nam ex quo talis commenda facta est ex causa, & commendatarius est legitimus administrator, & liberiorem habet administrationem, quam procurator. c. pastoralis. 7. q. 1. & c. obitum. dist. 61. Et ex quo auctore prætore possidet, iuste possidet. l. iuste. ff. de acquir. possess. licet Ecclesia illa dicatur vacare de iure, non tamen vacat de facto. Durand. nu. 40. & 46. Et literæ impetratæ ad beneficium non valent, quæ de alterius colorata facti possessione non faciunt mentionem. c. cum nostris. extr. de concess. præb. & super huiusmodi prouisionibus, vide quid hodie sit seruandum per Conc. Trid. sess. 7. cap. 2. & 4. & sess. 24. cap. 17. de refor.

QVOD contra prædicta factum fuerit, est irritum ipso iure.

QVIA hunc rigorem nullitatis induxit hæc constitutio in odium prælatorum, qui huiusmodi commendis sæpe abutebantur. Archid. in fin. Et, vacantibus Ecclesijs parochialibus, quid agendum sit, diligenter præscribit Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 18.

Cap. 16. Cupientes.

ELECTI cathedralium, vel regularium Ecclesiarum, (quorum confirmationem, vel infirmationem, ad sedis Apostolicæ examen deducit immediata subiectio, vel appellatio interiecta deuoluit) intra vnum mensem post consensum, vel post obtentam de ipsorum electione notitiam, (si eam debito tempore non contigerit præsentari) ad sedem ipsam iter arripiant.

QVIA summus Pontifex Nicolaus Tertius cupiens periculosis Ecclesiarum vacationibus occurrere, ac malignantium subterfugijs obuiare, iam prouisis remedijs alia (quæ patenter ipsa rerum experientia ad earum expeditionem iudicauit vtilia) remedia experta

subiun-

subiungit. Et quod fel.rec. Gregorius Papa Decimus eius prædecessor de electionibus præsentandis electis, & ipsorum electorum petendo, ac adhibendo consensum salubriter instituit, vt in c. quã sit.supr.eod.in suo robore vult permanere; sed cum hoc temporis moderamine in præsentandis electionibus, & alijs, quæ hic mutantur, vt quod de trimestri tempore post consensum ad petendas confirmationes ille instituit, (quo ad illas, quæ petuntur, vel peti debent à Sede Apostolica) ipse Nicolaus Tertius per hanc suam constitutionem temperat, vt intra vnum mensem post consensum adhibitum, vel notitiam habitam, debeat electus ad Sedem Apostolicam iter arripere; cum interdum aliquorum locorum vicinitas minus exigat, aliquorum verò distantia prolixius tempus exposcat, quam fuerit per illam constitutionem Gregorij statutum: vt in tex. Et post tempus istud assignatum ad iter arripiendum, aliud hic assignatur ad iura producendum, competentius, quam fuerit per ipsum Gregorium assignatum. vt in tex.

§. Quod si per viginti.

QVOD si electus per viginti dies (post lapsum ex qualitate locorum moderandi temporis) expectatus, personaliter comparere, nulla iusta causa interueniente, contempserit, omni iure, quod sibi ex illa electione competere posset, est priuatus.

QVIA tam in pœnam proprij contemptus, vt puniatur in eo, in quo deliquit, quam in ecclesiarum commodum, ne diutius remaneant vacantes, ista est conueniens pœna, vt, tali priuato, possit ad alterius electionem procedi. vt in tex. & glos. ver. priuatos. Sed si iustum impedimentum habuisset, non incideret in istam pœnam; cum non possit tunc notari de contemptu. vt in tex. Et cum non sit in culpa, non est iure suo priuandus. cap. discretionem. extr. de eo, qui cogn. consang. Et cum non possit agere, nec stet per ipsum, non currit ei tempus. cap. ex ratione. & cap. si iustus. extr. de appellat. & l. 1. C. de annal. except. Debet tamen, si potest, de hoc suo impedimento protestari. Gemin. num. 7. Et si accedit ad iudicem, non debet recedere à iudicio sine ipsius licentia, alias incurrit pœnam. glos. ver. comparere. & infr. c. si postquam.

§. Ad hæc.

QVEMADMODVM electus tenetur venire ad curiam, ita & aliqui de eligentibus, ad minus videlicet duo, cum actis, & munimentis causæ debent comparere instructi.

QVIA cum Papa debeat plene informari super electione sibi proposita, vt posit scire, an illa sit confirmanda, vel infirmanda. extra c. nihil. Et cum ista informatio non posit plena haberi per procuratores, qui, vt plurimum, constituuntur absentes, & processus ignari. vt in tex. Et cum ipsi electo in causa propria non sit credendum. c. quoniam. extr. de probat. Ideo debent ad minus accedere duo de ipsis eligentibus, qui plenarie instructi valeant Sedem Apostolicam informare, vt ipsa (ecclesiarum vtilitate pensata, & alijs inspectis circunstantijs) confirmet, vel infirmet electum. vt in tex. Expensæ autem, quæ fiunt pro missione istorum, deducuntur ex bonis prælaturæ, si bona illius sint discreta, alioquin ex communibus, vel per ipsum capitulum aliunde. vt in tex. & extr. c. vt prateritæ.

§. Cæterum.

SI eligentes electiones ipsas intra octo dies (postquam commode poterunt) electis præsentare distulerint, illi, qui in hoc fuerunt culpabiles, à processus prosecutione sunt exclusi, & ab omnibus beneficijs suis illius ecclesiæ, de cuius electione agitur, per triennium suspensi, ad quæ si interim se ingesserint, illis sunt priuati.

QVIA cum per mutuum consensum eligentium, & electi initietur matrimonium spirituale inter ipsum electũ, & ecclesiam, ad quam eligitur. vt supr. in cap. quam sit. ne ecclesia diu maneat viduata, debent eligentes, quamcitius commode possunt, curare, vt ad istud matrimonium veniatur. d. c. quam sit. Sed quoniam per illam Gregorij cõstitutionem dicebatur tantum, vt, quamcitius commode poterunt, electores præsentent electionem electo. vt in d. cap. quam sit. & ita illud tempus videbatur indeterminate relictum, & sæpe electiones tarde electo præsentabantur. vt in princ. huius tex. Ideo per hanc decretalem declaratur, tempus illud esse octo dierum. vt in tex. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, saltem coerceat seueritas disciplinæ. extr. c. cum in cunctis. in fin. Ideo contra tales eligentes harum constitutionum transgressores, imponitur pœna prosecutionis, suspensionis, & priuationis, secundum quod grauius in hac cõtrauentione delinquunt. vt in tex. Quam pœnam solum culpabiles incurrunt. vt in tex. quia peccata suos debent tenere auctores. c. 1. & ibi glos. fin. extr. de his, quæ fi. à ma. par. cap. Et qui non est in culpa, non debet iure suo priuari. d. c. discretionem. Vnde quando vniuersitas delinquit, non omnes de ea debent puniri, sed solum culpabiles; quod est verum, non solum in pœna suspensionis, vt hic; sed etiam in pœna excommunicationis. vt in c. Romana. in fin. infr. de sent. excomm. Aliud est in pœna interdicti. vt in c. si sententia. d. tit. quod specialiter ibi statuitur, ne sen-

ne sententia careat effectu, vt ibi in tex. & glos. ver. careat. Et aduerte, quod quando vniuersitas tenetur aliquid facere intra certum tempus, si illud non fiat, omnes censentur culpabiles, nisi aliqui ostendant se inculpabiles. glos. hic. ver. qui culpabiles.

POSTVLANTES, si negligentes fuerint in præsentando, punientur vt electores.

QVIA cum in vtrisque sit eadem ratio disponendi, scilicet celeris ecclesiarum expeditio. vt in tex. & glos. ver. instructas. Similis etiã pœna debet postulantibus hæc statuta negligentibus imponi, quæ fuit imposita similibus eligentibus. vt in tex. Pœna autem dicitur similis contra vtrosque, in quantum esse potest; nam electus priuatus est iure iam sibi quæsito; postulatus verò solum spe gratiæ, quam habebat; & idem dic in eligentibus, & postulantibus quo ad eorum iura, quæ habebant. glos. ver. similis.

§. Porrò.

EXPENSAE facta in negotio electionis prosequendo, recuperantur, vel redduntur, secundum quod iustum fuerit, seu æquitas canonum iudicabit.

QVIA nemo tenetur proprijs stipendijs militare. c. 1. extr. de sepultur. Ideo ne electionis negotium ipsis eligentibus sit damnosum, non de eorum bonis debent expensæ deduci, sed de bonis illorum, quorum negotium principaliter est tractatum. vt not. extr. in c. vt præteritæ. Vnde cum fuerit principaliter tractatum negotium ipsius prælaturæ, de illius bonis in primis debent expensæ deduci, & postea debet deueniri ad alios, qui habent vtilitatem ex illa electione, si omnes expensæ non possunt competenter ex ipsa prælatura deduci. vt in d. c. vt præteritæ. Et quoniam victus victori regulariter condemnatur in expensis. c. calumniam. extr. de pœnis. Ideo si quis fuerit iniuste electionem prosecutus, in expensis per alios eius culpa factis, debet per superiorem condemnari. glos. fin. quæ latè tractat, an, & quando, & quo iure possint peti, vel repeti expensæ. Et quoniam in hoc canone nihil statuitur circa quantitatem expensarum; sed quod alibi statutum est, præcipitur obseruari. vt in tex. in fin. Ideo ex hoc tex. nulla condictio datur. glos. ver. reddendis. Vnde potius dabitur condictio ex dicto. c. vt præteritæ. & ex alijs iuribus not. hic in glos. fin. Circa tamen expensas faciendas per illos, qui mittuntur ad informandum Papam super electione facienda, est obseruandum, quod habetur in hoc tex. in §. ad hæc.

Cap. 17. Fundamenta.

NVLLVS Princeps notabilis praeminentiæ, debet eligi in Senatorem, vel ad aliud officium Vrbis Romæ assumi.

QVIA experientia docuit, quod per peregrina regimina illorum Principum, qui ad hæc officia in præteritū fuerunt assumpti, perturbabatur Sedis Apostolicæ libertas, templa deformabantur, mœnia Vrbis destruebantur, incolis dispendia, aliaque mala, & calamitates inferebantur. vt in tex. Et quoniā ista est Ciuitas sacerdotalis, & regia, per Sacrā beati Petri Sedem caput totius Orbis effecta, & à Constantino Imperatore beato Siluestro, & Summis Pontificibus eius successoribus concessa, vt in eā vtriusque potestatis monarchia libertate plena in suis agendis per omnia ipsi potirentur. vt in tex. Ideo Summus Pontifex Nicolaus Tertius volens in futurum prouidere, vt Romana Ecclesia in hac ciuitate plena gaudeat libertate, & Populus Romanus iam experta pericula euitet, per hanc suam constitutionem prohibet, ne Principes potentes possint in Senatores, vel in alios Officiales ipsius Vrbis assumi. vt in tex.

NEQVE quiuis alius vltra annale spatium, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.

QVIA multi, quamuis à principio debiles, per diuturnam officiorum administrationem, sibi maiorem auctoritatem, quam haberent, vsurparunt, & plures adhærentes sibi compararunt, à quibus diuersa mala in Ciuitate oriebantur. vt in tex. Ideo etiam ad prouidendum contra tales, statuitur, vt vltra annum ad huiusmodi officia nemo sine licentia Sedis Apostolicæ assumatur. vt in tex. Nam superbire homines, etiam annua designatione; quid si honorem per quinquennium agitent? inquit Cornel. Tacit. lib. 2. annal.

ET contrafacientes, tam electores, & nominatores, quâm electi, & nominati, eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt, & alijs pœnis subijciuntur.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, saltem coerceat seueritas disciplinæ. extr. c. cum in cunctis. Ideo vt magis caueatur ab istis malis, hę diuersæ pęnæ imponūtur. vt in tex.

Cap. 18. Quanquam.

CANONICIS cathedralis ecclesiæ, ipso iure, vel per sententiam eligendi potestate priuatis, ad Papā ius deuoluitur eligendi.

Quia

QVIA canonici tunc priuantur ipso iure potestate eligendi, quando scienter eligunt indignum; tunc priuantur per sententiam, quando formam traditam in generali Concilio non obseruant, vt in tex. Et quoniam si in his casibus ius eligendi non deuolueretur ad Papam, sed ad proximum superiorem, sicut regulariter deuoluitur in alijs casibus, prompti essent Archiepiscopi proximi superiores in cassandis electionibus, vt prouisionum potestas deuolueretur ad eos. glos. ver. deuoluetur. Ideo, vt auferatur eis ista occasio calumniandi, Papa sibi reseruat huiusmodi deuolutiones. d. glos hic. Ad quod accedit, quod regulariter in episcopatibus proximus superior est Papa, cum non semper adsint Archiepiscopi mediate inter Episcopos, & Papam. Archid. nu. 1. Et de antiquo iure, & dispositione Ecclesiæ, potestas conferendi episcopatus pertinet ad Papam. dist. 22. c. 1. Conferendi autem inferiores ecclesias, ad Episcopos. d. glos. hic. Sed hæc regula fallit in casibus, qui postmodum à iure fuerunt expressi. Voluerunt enim iura, quod in cathedralibus sibi eligerent canonici. extr. c. cum ecclesia. in inferioribus etiã collegiatis canonici. supra. c. 1. & 21. q. vlt. c. congregatio. & statuta fuerunt eis tempora, extr. c. ne pro defectu. & de concess. præb. c. 2. Ideo etiã attendendo, quod Papa in episcopatibus est regulariter proximus superior, & quod de iure antiquo prouidere de episcopatibus pertinet ad ipsum, sibi reseruauit deuolutionem illorum, quando canonici per delictũ eligendi potestate priuantur, d. gl. hic. & not. in d. c. ne pro defectu.

PRAETERQVAM in casu negligentiæ.

QVIA tunc dicitur in electione negligentia interuenire, quando intra tempus debitum per eos, ad quos spectat, non fuit electio celebrata, vt in tex. Et quoniam, an ista negligentia interuenerit, vel non, clare apparet ex inspectione facti à die mortis prælati, vel illius notitiæ, vsque ad diem electionis futuri. Archid. in princ. Ideo cum in tali casu non possint Archiepiscopi immediate superiores cauillari, sicut possent in casu deuolutionis per delictum, non curauit Papa istam deuolutionem sibi reseruare, sicut reseruauit illam. d. glos. hic. & d. c. ne pro defectu.

IN inferioribus ecclesijs semper ad proximum superiorem deuoluitur.

QVIA licet posset esse eadẽ suspicio in inferioribus, scilicet, ne proximus superior calumnietur electionem, vt facultas eligendi deuoluatur ad ipsum; non tamen vrget tantum periculum prouidendi in istis, sicut in cathedralibus. Gemin. nu. 4. Ideo non tam caute consulitur in istis, sicut in illis. arg. c. vbi periculum. supr. eod. Et cum ad Episcopum ex dispositione antiqua pertineat ecclesiarum suæ diœcesis dispositio, vt dictum est superius. Ideo facilius res redit ad naturam suam,

suam, vt potius ad Episcopum in isto casu delicti deuoluatur electio ecclesiarum inferiorum, quam ad Archiepiscopum electio cathedralium. glos.penult.hic, & arg.c.ab exordio, & ibi glos.penul.dist.35.

Cap.19. Is, qui.

CONSTITVTIONI, vt circa supr. eod. non satisfecit appellans, qui disiunctiue iurauit, se credere apposita esse vera, vel quæ sufficere deberent ex eis.

QVIA appellans, qui obijcit in formam electionis, aut in personã electi, debet corporaliter iurare duo copulatiue, videlicet, quod credit obiecta esse vera, & se posse ea probare. vt in tex.& supr. d.c.vt circa. Et quoniam vbi quis adstringitur ad duo copulatiuè, non est satis alterutrum adimplere. l. si quis ita stipulatus.ff.de verb.oblig. & l. si hæredi.ff.de condit.instit. Ideo cum talis appellans disiunctiue, & alternatiue iuret, non seruat formam decretalis. vt circa: cum ibi requirantur duo, & iste præstet vnum.glos.pen.hic. Disiunctiue enim est vna, sed copulatiua continet plures.l.si ex toto.§.si ita.ff.de legat. 1.& ff.de verb. oblig.l.si pluribus. Et cum non seruetur forma prædictæ decretalis, vt circa, appellans in tali casu, non audietur neque super expressis, neque super exprimendis; vt ibi ponitur in pœnam contra talem; nam vbi ius dat certam formam excipiendi, ille, qui non seruat formam, repellitur à potestate probandi exceptionem.ad hoc.c.pia.infr.de except. Vnde excipiens ineptè succumbit, sicut agens ineptè.c.examinata.extr.de iudic.

Cap. 20. Qui contra.

QVI contra certam personam, ne eligatur, appellat, constitutionem. vt circa, seruare tenetur.

QVIA sicut quando tractatur de facienda prouisione alicuius ad ecclesiam, in appellatione, quæ interponitur contra illum, est seruanda forma, quæ traditur in d.c.vt circa. per verba ibi posita, scilicet, siue prouisio sit facienda, siue sit facta &c.vt in d.tex. sic eadem forma est seruanda, quando interponitur appellatio contra certam personam super electione facienda; cum illud cap. parificet prouisionem, & electionem, vt ius, quod statuitur in vna, censeatur statutum in alia. glos. hic.ver.fiat.& glos.in d.c.vt circa.ver.facienda. Secus est, si quis appellet in electione facienda; contra personam incertam; quia cum adhuc electio non sit producta in esse, non potest dici, quod eius forma non sit bona; & cum persona tunc non sit certa, non est, cui possit aliquid imputari.glos.1.hic. Non entis enim nullæ sunt qualitates.c. ad dissoluendum. extr. de despons. impub. Cum accidens non possit esse sine proprio subiecto.Arist.c.1.in prædicam.

Cap.

Cap. 21. Sicut.

SI compromissum est in plures, vt eligant; per vnum facienda est electionis pronunciatio, sicut quando proceditur per formam scrutinij.

QVIA sicut omnes de capitulo, necesse habent eligere per vnum, vt electio sit communis totius vniuersitatis, & capituli; non autem debent omnes pronuntiare electionem factam, ne tot viderentur esse electiones, quot essent numero eligentes; & ne actus ille, qui est vniuersitatis, videretur esse singulorum. vt not. extr. c.in genesi. ita propter eandem rationem plures compromissarij debent electionem factam pronunciare per vnum, cum ipsi sint subrogati in loco canonicorum, qui in eos compromisserunt. vt not. extr. c.quia propter. Et quoniam subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur. c.ecclesia. extr. vt lite pend. Ideo licet ipse actus eligendi fiat per plures, electionis tamen pronunciatio debet fieri per vnum; siue procedatur per viam compromissi, siue scrutinij. Gemin. num. 1. Et ille, qui vice sua, & sociorum eligit, debet formare sua verba in singulari, dicendo, ego nomine totius capituli te eligo; non autem debet dicere in plurali, vice mea, & capituli te eligimus. Archid. ver. instituta. Quis autem sit iste, qui habeat eligere nomine capituli, & vniuersitatis. not. in d.c. in genesi. & glos. hic. ver. per vnum. Quando verò fit electio per viam inspirationis, non requiritur, quod vnus vice omnium eligat; sed tunc electio tenet, & censetur vna, & communis, etiam si omnes dicant, te eligimus. Archid. d. ver. instituta; quia ea, quæ diuina inspiratione fiunt, legi humanæ non subijciuntur. c.duæ. 19.q.2.

Cap. 22. Statutum.

DECRETALIS supr. eod. licet canon. in collegiatis parochialibus ecclesijs, & assumptis ad ipsarum regimen, locum non habet.

QVIA ecclesiæ parochiales collegiatæ vocantur dignitates. glos. 1. hic, & c.extirpandæ. §.qui vero. extr. de præb. Et quoniam beneficia cum dignitate ponuntur vt diuersa ab ecclesiis parochialibus. extr. c.cum in cunctis. §.inferiora. Et ex quo d.c.licet canon; loquitur solum de parochialibus, & cum sit pęnale, conuenit illud potius restringi, quam ampliari. vt in tex. Ideo licet ecclesia collegiata sit etiam parochialis, & sic quodammodo mixta cum dignitate, & parochiali; ius pęnale, quale est d.c. licet canon. loquens de parochiali simplici, non est extendendum ad parochialem mixtam. Gemin. nu. 2. & Francus in glos. 1. Ecclesia autem tunc dicitur esse collegiata quando ibi est rector, vt caput; & canonici, vt membra. glos. ver. collegiatas.

Cap. 23. Si cui.

SI compromissarius secundum traditam sibi metam (scrutatis, & in scriptis redactis voluntatibus singulorum) illum eligat, in quem non maior pars capituli; sed plures, aliorum comparatione, consenserint; non tenet electio.

QVIA ad hoc, vt valeat electio facta per capitulum, inter cætera requiritur, quod sit facta a maiori parte totius capituli. extr. c. quia propter. Et quoniam maior pars, non respectu totius capituli; sed solum per comparationem ad alias partes, non potest dici maior pars totius capituli. vt not. extr. in c. cumana; & c. ecclesia. Ideo electio facta per illos huiusmodi partis, & eorum nomine per compromissarium, non valet, tanquam facta a non habentibus sufficientem potestatem eligendi. d. c. cumana, & tanquam facta ab illis, qui non obseruant formam eis traditam per d. c. quia propter. vt in tex. Cum defectus formæ reddat actum nullum. l. non dubium. C. de legibus. & not. supr. in cap. 2.

CVM præter formas concilij fuerit celebrata.

QVIA vbi est data certa forma exercendi actum, & omnes aliæ sunt prohibitæ, tunc paria sunt facere contra formam, & facere præter formam. Gemin. num. 2. Et quoniam in electione traditur pro forma, vt fiat à maiori parte capituli, alias sit nulla. d. c. quia propter. Ideo si non fuerit facta a maiori parte capituli, non tenet propter defectum formæ. vt in tex. & glos. ver. formas.

Cap. 24. Quorundam.

EX vocatione quocunq. modo facta in discordia de religioso mendicante ad prælaturam extra administrationem sui ordinis, non acquiritur illi ius, nec consentire poterit, etiam de prælati licentia.

QVIA quorundam oculos sic vitium ambitionis excæcat, quod quasi suæ professionis immemores, qua, contemptis honoribus, abiectis diuitijs, spretisq. delitijs, arbitrium proprium subiugarunt alterius ditioni, retro respicientes ad aratrum manumissum, dum præcipitanter ruunt in litigiorum anfractus, causarum strepitibus se inuoluunt, & extra administrationes proprij ordinis, solium prælaturæ conscendere moliuntur; electionibus, postulationibus, seu prouisionibus de se in discordia celebratis improuide præstando consensum, præbendi assensum a suo superiore, non nunquam extorta licentia potius, quam obtenta, ex quo animarum, & ecclesiarum dispendia noscuntur proue-

prouenisse, & prouentura maiora in futurum, verisimiliter formidabatur. vt in tex. Ideo ad obuiandum huiusmodi malis, statuitur, vt nulli religioso Prædicatorum, Minornm, Eremitarum sancti Augustini, aut quorumlibet mendicantium ordinum, ex electione, postulatione, prouisione, seu vocatione, ad aliquam extra administrationem sui Ordinis prælaturam, in discordia de se facta, ius de cætero acquiratur, & quod eorum aliquis non valeat huiusmodi prouisionibus, & vocationibus cõsentire, etiam si ordinis cuiusque, Ministri, vel Generalis accesserint licentia, vel consensus, vt in tex.

IDEM de vocatione facta à minori parte numero, ad quamlibet prælationem de religioso non mendicante.

QVIA potestas collegij, & vniuersitatis non consistit apud minorem partem illius, sed apud maiorem, nisi per delictum maioris esset deuoluta ad minorem. c.1. de his, quæ fi. à mai. par. cap. & glos. hic. ver. numero. Ideo eo ipso, quod talis vocatio à minori parte processit, nullum ius tribuit vocato. vt in tex.

ET secus factum irritum decernit.

QVIA quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi. c. quæ cõtra. infr. de reg. iur. Sed quoniam posset esse dubium, an talia sint nulla ipso iure, vel per sententiam sint annullanda. vt not. glos. in l. non dubium. C. de legib. Ideo ad maiorem declarationem, vbi prohibita sunt valde enormia, apponitur clausula irritans ipso facto absque alia sententia. vt not. supr. in cap. licet canon. & glos. in d. cap. quæ contra.

Cap. 25. Vt quis.

NON potest electus duas electiones prosequi, petendo confirmationem ex illis.

QVIA electus non potest, nisi ex vna electione ius habere. vt in tex. nam si prima valuit, secunda non valuit; si secunda valuit, prima non valuit. glos. ver. ex vna. Et quoniam nemo debet prosequi actum, in quo ius non habet ex illa causa, ex qua prosequitur. c. inter dilectos. extra de fide instrum. Ideo rationi consonum non est, vt quis prosequatur duas electiones, petendo confirmationem ex illis. vt in tex.

ETIAM si protestetur, se contentum altera, per quam consequi possit suæ intentionis effectum.

QVIA consensus, qui præstatur electioni, debet esse certus. supr. c. 2. Et quoniam electus non potest petere confirmationem, ante-

quam consentiat. supr.c.quam sit. Et per huiusmodi protestationem non exprimit, qua de duabus sit contentus; nam si diceret protestor, me consentire istis electionibus, vel alteri earum, quæ magis valet, consensus non esset certus.d.c.2. Et sic videtur adhuc vellet retinere ius dubium in casu, in quo arctatur ad clarificandum intentum. Gemin.nu.2. Ideo talis protestatio nihil operatur, cum per factum contrarium obuiet illi.glos.ver.protestetur.

NECESSE ergo habet, alteram eligere.

QVIA non est iustum, vt talis in incerto vagetur cum ipsius ecclesiæ, vel sui aduersarij, si quem habet, discrimine. vt in tex. Ideo oportet eum eligere, quã prosequi velit ex illis, & cõfirmationẽ petere tantummodo ex eadẽ. vt in tex. Et hoc, quod dicitur non posse electũ prosequi electionem suã ex multiplici iure, est verum; quia in electione tractatur de iure acquirendo, super quo non potest causari titulus, nisi ex vna causa. vt in d.c.inter dilectos. secus est in iure iã quæsito, quod potest quis pluribus medijs defendere, vt patet per c. post electionem.extr.de concess.præb. vbi Archidiaconus ille se defendendo innititur duplici collationi. glos. hic. ver. ex vna. Hinc communis inoleuit practica, quod quando aliquis prouisus titubat de tituli validitate, tunc impetrat nouũ titulum à Sede Apostolica, quo potest vti defendendo se contra omnes, non autẽ quod possit inniti duplici iuri agendo ad acquirendũ ius in beneficio, seu ad rem. Ioan.Vanq. hic. Et est ratio diuersitatis, quia iura sunt fauorabiliora, vt ius quæsitum retineatur, & habeatur, cum ibi nulla possit notari ambitio, quam sint ad ius quærendum, in quo in beneficialibus præsertim notatur ambitio petẽtis. Archid.ver.eligere. Et in iure acquirendo requiritur decretum confirmationis, quod debet esse super certo; ideo non potest dari, vbi dubitatur de titulo; in iure autem acquisito non est necessarium decretum confirmationis, sed sufficit executio sententiæ. Gemin.nu.5. De concursu autem actionum plurium, an possint simul intentari, aut actor teneatur eligere aliquam, late, & distincte tractat hic glos.ver.eligere.

QVA electa, ad alteram redire non poterit.

QVIA cum istæ duæ electiones non possint ambæ esse validæ, vt dictum est superius, & glos.fin. hic. Per electionem vnius, alteri renuntiare, sibique ius ex ea non competere profiteri videtur. vt in tex. Et quoniam qui iuri suo renuntiat, illud repetere non potest. c.quam periculosum.& ibi glos.7.q.1. Ideo ex quo talis declarauit se prosequi velle vnam de illis duabus electionibus, ad aliã regressum habere non debet. vt in tex.& glos.2.in c.si quis sacerdotum.dist.81.

Cap.

Cap. 26. Si electio.

SI electus non consentit, vel post consensum renuntiat, vel moritur, vel propter occultum sui vitium electio cassatur; eligentes ad eligendum ex tunc integrum tempus habebunt.

QVIA electio non dicitur perfecta, quousque non sit confirmata: supra c. quam sit. vnde ante confirmationem per solam electionẽ non dicitur adhuc beneficium effectum esse suum, sed vacare. extr. c. nosti. Et quoniam in supradictis casibus huius tex. electores non fuerunt in culpa. glos. ver. occultum; nam fecerunt, quod ad ipsos spectabat intra iuris terminum eligendo. vt in tex. Et diligentia in termino facta, & ad nihilum redacta, terminus iteratur. Bart. in l. & ideo. ff. de verb. oblig. Ideo ne sine culpa iure suo priuentur, habebunt isti eligentes à dissensu, renuntiatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio noua esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam. vt in tex. Et propter identitatem rationis, idem ius est censendum in supradictis casibus, quo ad tempus semestre, vel quadrimestre in præsentationibus patronorum. Gemin. nu. 1. & Francus. num. 4. Tempus autem integrum ad eligendum, est trium mensium in cathedralibus, vel regularibus ecclesijs. extr. c. ne pro defectu. Et in minoribus est sex mensium. c. 2. extr. de concess. præb. Et intellige hanc decretalem in ijs, qui iure proprio habent eligere; secus si iure deuoluto. Hostiens. in d. c. ne pro defectu. vnde si Archiepiscopus ex iure deuoluto eligat, & electus dissentit, siue renuntiat, vel moritur, non eliget ipse de nouo, sed electio redibit ad canonicos. glos. ver. integrum.

NISI circa id egerint fraudulenter.

QVIA fraus, & dolus nemini debent patrocinium impartiri; sed potius pœnam mereri. c. ex tuæ. extr. de cleric. non resid. Ideo tunc non solum non debent aliud integrum tempus habere, sed pro illa vice debent eligendi facultate priuari. extr. c. cum in cunctis. in fin. Sed quoniam vnusquisque præsumitur bonus, nisi probetur malus. c. vnic. extr. de scrut. in ord. fac. Ideo, qui dolum, & fraudem allegat, tenetur illam probare. l. quoties. §. qui. ff. de probat. Sed ex quo malitia consistit in animo, probatur ex coniecturis. c. pastoralis. infr. de caus. possess. & l. dolum. C. de dolo. Perspicua autem coniectura in casibus huius tex. esset, si canonici in fine trium mensium eligerent talem, qui verisimiliter esset dissensurus, & vere dissentiret, vt sic postea haberent aliud duplicatum tempus, per quod cathedrales vacarent sex menses, quod esse non debet. glos. fin. Ad eligendum enim in cathedralibus, & regularibus, dantur tres menses, & in ecclesijs inferioribus dantur sex menses, vt dictum est superius. Ad præsentandam electionem datur tempus, quamcitius

fieri potest,& adhuc octo dies. supr.c.quam sit. Ad consentiendum datur electo vnus mensis,si habet consentiendi libertatem, alias quantum iudex arbitrabitur.d.c.quam sit. Ad petendam confirmationem dantur tres menses.d.cap. Ad consecrationem alij tres.cap.quoniam.dist.100. Et si debet petere pallium, hoc faciat tempore consecrationis intra illos tres menses.d.dist.c.1. In causis autem regularium, vel cathedraliũ, quæ ex immediata subiectione,vel appellatione deuoluũtur ad Papam, seruatur decretalis, cupientes.supr.eod.

Cap.27. Si religiosus.

SI religiosus, non obtenta licentia, consentit electioni de se facta extra suum monasterium,non valet consensus.

QVIA arbitrium religiosi non ex sua, (cum velle, vel nolle non habeat) sed ex illius,quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet. vt in tex.& c. non dicatis.12.q.1. Et quoniam electio non tenet,nisi electus consentiat.supr.c. quam sit. Ideo non est validus consensus religiosi sine sui superioris licentia; & sine tali licentia non potest perfici electio ipsius extra suum monasterium.vt in tex. Intra monasterium verò, defuncto illius congregationis Abbate,si fuerit electus à cæteris monachis,potest consentire. c.quam sit.18.q.2. quia tunc sibi permittitur à iure hæc consentiendi facultas propter necessariam monasterij quietem, & gubernationem.d. c.quam sit, & extr. de regular.c.licet. Et non potest tunc ita de ambitione,& vagandi occasione notari, sicut esset in electione extra monasterium.supr.c.quorundam. Ideo etiam nõ ita prohibetur.glos.hic. verſ suam.& Gens.in extrauag.Ioan.XXII.quæ incipit: quorundam.

ET irrita est electio.

QVIA in pœnam præsumptionis illius, qui sic temere ausus est consentire,per hunc tex. talis electio, ipso facto, viribus omninò vacuatur. vt in tex. Ideo non est necessaria sententia ad illam annullandam.vt not.supr.in c.licet canon.

§. Quia.

SOLVS superior sine conuentu dare potest suo religioso consentiendi,& transeundi licentiam.

QVIA licet super hoc iura essent varia,per quæ dubitabatur, an solus superior sine fratrum consilio posset huiusmodi licentiam dare.vt in tex.& glos.vers.sint,quæ recenset iura, per quæ dubitabatur. Tamen quoniam ad huiusmodi dubitationem tollendam, & vt ordinationes ecclesiarum, ac monasteriorum, in quibus tales electi exi-

tite-

titerint, & celerius, & facilius valeant expediri, per hanc constitutionē statuitur, vt ijdem superiores (suis irrequisitis conuentibus) electis huiusmodi consentiendi, & transeundi, liberam dare valeant facultatem. vt in tex. Ideo hoc ius posterius, per quod illis derogatur, quatenus essent contraria, hodie est libere attendendum. d.glos. hic. Vltima enim constitutio derogat priori. supr.c.1.de constitut.

Cap.28. Nullus.

MONACHVS in Abbatem eligi non potest, nisi sit expresse professus.

QVIA expressa professio est hominis, sed tacita est iuris. Ioan. Monach. infr. in c. vnic. de voto. Et quoniam nobilius est, quod homo sibi facit, quam illud, quod ei ab alio fit. arg. l. antepenult. C. de capt. & postlim. reuers. vbi magis est meum, quod ex opere acquiro, quam quod ab alio mihi euenit. Ideo ad excellentiorem præficiendum cæteris monachis, statuitur, vt plus valeat professio hominis, quam iuris. Ioan. Andr. hic in fin. & arg. l. assiduis. C. qui pot. in pig. habe.

AD dignitatem autem episcopalem, & in sæculari, & in regulari ecclesia, talis eligi poterit.

QVIA excellentia dignitatis, & ordinis episcopalis, est talis, vt eius ratione Episcopus possit dici perfecte religiosus. c. ex multa. extr. de voto. Ideo in hoc ei defertur, ac si ille, qui eligitur, esset expresse professus. glos. fin. hic. Et etiam, quoniam non solum præest regularibus, sed etiam sæcularibus. c. si quis Episcopus. 2. q. 7. & ob id oportet eum magis scire iura communia, quam regularia; cum sint plures sæculares, quam regulares. Butr. in c. officij. extr. eod. Ideo non tantum est curandum de expressa professione in eligendo ad episcopatum, sicut in eligendo in Abbatem. glos. fin. hic. & not. extr. in c. cum causam.

Cap.29. Cum expediat.

FORMA electionis tradita per decretal. supr. eod. cum dilecti. non est sublata per sequens Concilium. quia propter.

QVIA ista iura non sunt aduersa, sed diuersa. nam in d.c. cum dilecti. continetur, quod potest fieri compromissum cum determinatione, & restrictione, & quod compromissarij secreto, & sigillatim voluntatibus omnium inquisitis, illum, in quem maior, & sanior pars capituli consenserit, eligere teneantur. vt in tex. & d.c. cum dilecti. Forma verò tradita per d.c. quia propter. est, vt in ecclesijs cathedralibus electio fiat, vel per viam scrutinij, vel compromissi, vel inspirationis, aliter electio non valeat. d.c. quia propter. Et quoniam in d.c. quia. non

pro-

prohibetur, quin compromissum possit esse determinatum. glos. hic in princ. Ideo forma.c.cum dilecti.non est sublata per d.c.quia propter.vt in tex. Et hæc forma compromissi determinati hodie magis laudatur propter faciliorem negotij expeditionem, quam forma compromissi absoluti, vel scrutinij; cum in compromisso absoluto detur tam ampla eligendi facultas, vt sæpe displiceat electoribus, ita libere ius suũ transtulisse in alios, quod non faciunt in compromisso determinato; Et per formam scrutinij procedere, est ita difficile, vt etiam boni Iuristæ practicam ignorantes, sæpe nesciant illam bene seruare. gloss. hic. ver. inquisitis.

Cap. 30. Cum non deceat.

ACCEDENS ad Sedem Apostolicam pro instruendo negotio electionis, per decretal. Cupientes, eundo hac de causa, stando, & redeundo, integre percipit fructus beneficiorum, quos percipere posset, in ipsa ecclesia residendo.

QVIA non decet officium suum alicui esse damnosum. vt in text. Ideo cum tales prosequantur ecclesiarum suarum vtilitates, debent censeri residentes, & fructus beneficiorum percipere, ac si in ipsis ecclesijs residerent. vt in tex. Si verò facta instructione, & finito negotio, sola voluntate sua, & pro alijs negotijs quis in curia maneret, non debet amplius gaudere hoc priuilegio. glos. penult. hic. quia non verè reipublicæ causa abesse dicitur, qui proprij commodi causa in legatione est. l. non verè. ff. ex quib. caus. maior. Sed postea ex quo redire inciperet, competeret ei hoc priuilegium. d. glo. hic. nam redit de itinere, quod ob hanc causam fecit. l. si cui. §. tam diu. ff. ex quib. caus. ma.

PRAETER distributiones quotidianas.

QVIA distributiones quotidianæ non dantur præsentibus, qui horis canonicis non intersunt. c. vnic. infr. de cleric. non resid. Et quoniam ista constitutio fingit istum absentem esse præsentem, non tamen fingit ipsum diuinis officijs interessentem. glos. ver. exceptis. Ideo debet habere ea, quæ præsens haberet, si diuinis officijs non interesset, & sic non distributiones quotidianas. vt in d. c. vnic. quod tamen cap. in aliquibus huic tex. videtur esse contrarium; cum ibi dicatur, distributiones quotidianas concedi ijs, qui ecclesiarum vtilitatem prosequuntur; Sed respond. quod canonici non tenentur eas concedere, vt hic; tamen si concesserint, illi non tenentur ad restitutionem, vt ibi. glos. in d. cap. vnic. ver. vtilitas. & vide Concil. Trident. sess. 5. de reformat. cap. 1. in fin.

Cap.

Cap.31. Ab eo.

IS, qui opponit euidentem defectum scientiæ, vel personæ contra promouendum ad aliquam dignitatem, pęnitere non potest.

QVIA cum huiusmodi defectus sint per se facile patentes ext.c. si forte. ille, qui eos opponit,& in probatione deficit, destitui veritate videtur. vt in tex. Et quoniam illi promouendo per hoc est ius quæsitum contra talem opponentem,in quantum omnia, quæ per ipsum vellent opponi, præsumuntur falsa. d. c. si forte. Ideo non debet concedi in præiudicium promouendi,vt talis posit ab istis oppositis variare, & pęnitere. vt in tex. ne mutet consilium in detrimentum alterius. glos.fin. hic, & ne ipse recedat impunitus. d.c. si forte.

Cap. 32. Ex eo.

CANONICVS impubes ad electionem non vocatus, non agit de contemptu.

QVIA ille non potest agere in electione de contemptu, qui non habet potestatem dandi vocem in illa. extr. c.cum inter. c. quod sicut,& c.in genesi. Et quoniam impubes non habet potestatem dandi vocem in electione; cum tam iuris, quam rationis existat, vt tales (cum discretione careant) ad præstandum in electione suffragium nullatenus admittantur. vt in tex.& infr. c.indemnitatibus. Ideo si canonicus impubes non fuerit ad electionem vocatus, non potest dici contemptus, & per consequens, si fuerit absens, non potest per hoc electionem ab alijs factam impugnare. vt in tex. & glos. ver. suffragium. Qui enim potest, inuitis, alienare, multo magis, & ignorantibus,& absentibus, potest. l.qui potest.ff.de reg.iur. Et hodie,quantumcunq. canonicus sit pubes, non habet vocem, nisi sit in sacris constitutus. Clement. 2. de ætat. & qualit. ordin. Et nouissime vide Concil. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12.

§. In Ecclesijs

NON professi cum professis, electioni interesse non debent.

QVIA abbas debet eligi a monachis. c.abbas.16.q.7. & c. abbatem il 2. 18.q.2. Et quoniam, qui non est tacite,vel expresse professus, non censetur monachus. c. religioso. §. 2. infr. de sent. excom. cum possit intra annum redire ad sæculum. c.statuimus. extr. de regular. Ideo non professi, & nouitij, ad electionem non admittuntur, vt in tex. licet tales gaudeant priuilegio canonis. d.c.religioso. Si tamen de gratia admitterentur, eorum voces valerent, cum & in penitus extra-

traneum posſint religioſi totam electionem transferre. extr. c.cauſam, quæ, & Archid. hic nu. 3. Sed tunc eorum voces hodie valerent, ſi eſſent ſaltem in ſubdiaconatus ordine conſtituti, alias ſecus, per d.Clem. 2. Lap. abb. hic.

NEC conuerſi laici cum clericis.

QVIA iuris ſpiritualis laici non ſunt capaces. extr. c. maſſana. Et quoniam ius eligendi in eccleſia, eſt ſpirituale. extr. c. ſacroſancta. Ideo in eccleſijs regularibus, vel monaſterijs, conuerſi laici electioni intereſſe non debent. vt in tex. & c.non placuit. 16.q.7. Et hoc, quia iſti conuerſi, licet ſint ſuis eccleſijs aliqualiter obligati; non tamen ſæculum mutauerunt. Archid. in fin. cum non ſint tacite, vel expreſſe profeſsi. vt in tex.

Cap. 33. Si poſtquam.

SI ab electione cathedralis, vel regularis eccleſiæ, in ſcriptis ex cauſa probabili appelletur ad Papam, ea pendente, confirmatio facta per ordinarium non valet.

QVIA talis appellatio transfert totaliter cognitionem ad Papam. ſupr. c.quamuis, & c.ſtatuimus. Ideo alius in hoc ſe intromittere non poteſt. c. licet. extr. de offic. leg. licet talis appellatio ſit extraiudicialis. c.conſtitutus. extr.de appell. niſi in caſu, qui permittitur. vt in d.c.quamuis. Et ſi in iudicio fuerit appellatum, idem eſt dicendum; quia quælibet legitima appellatio eximit a primo iudice, & deuoluit ad ſuperiorem id, ſuper quo eſt appellatum. c.directæ. extr. de appell. Et ſic primus iudex ex vi exemptionis debet ſe abſtinere. c.frater. 16. q.1. Ideo confirmatio facta ab ordinario, pendente appellatione ad Papam, nullam obtinet firmitatem, cum ipſe non haberet tunc confirmandi poteſtatem. vt in tex. & ipſe ordinarius ob hoc venit puniendus, cum ſe ingeſſerit, vbi debebat deferre ſuperiori, & ſe abſtinere. infr. c. prouida.

REQVIRIT decretal. Cupientes. ſupr. eod. non ſolum, quod electus veniat, ſed quod vſque ad finem negotium proſequatur.

QVIA non venire, vel venire, & illicentiatus abire, æquipollent. c.certum. 11.q.3. & l.ſi quis. C.de decurion. lib.10. Et quoniam d.c.cupientes, obligat ad veniendum, vt ibi habetur. Ideo ex eius mente intelligitur, quod etiam vſque ad finem ille, qui venit, negotium proſequatur. vt in tex. aliter incidit in eius pęnam; quia ita punitur, qui mentem legis offendit, ſicut qui mentem, & verba. l.ſi quis. ver. quod ſi dum. ff.de iuriſd. omn.iud. & l.ſed Iulianus. §. mutui. ff. ad Macedon. Intentio enim præfertur verbis. c.intelligentia. extr.de verb.ſign. Nec
obſtat,

obstat, quod d.c. cupientes, sit pęnale, vt in eo habetur. Et quod constitutio pęnalis non sit extendenda. l. interpretatione. ff. de pęnis; quia in hoc, quod erat de mente, non extenditur. glos. ver. mente. Est enim duplex mens legis, scilicet, comprehensiua, & extensiua. Comprehensiua extenditur etiam in pęnalibus; licet hoc non dicant ipsa verba legis; cum tunc non dicatur propriè extendi. Extensiua verò non extenditur in pęnalibus, sed solum in fauorabilibus. Gemin. hic num. 4. Colligitur autem mens comprehensiua ex pluribus; primo, ex communi vsu loquendi; secundo, si aliter intelligendo, sequeretur absurdum; tertio, si per eandem constitutionem, vel aliam, apparet aliquid exempli gratia esse positum; quarto, si in lege esset apposita ratio; nam tunc mens, quæ ex illa colligitur, sicut & in alijs casibus supradictis, præfertur verbis. Mens verò extensiua dicitur illa, quæ colligitur ex identitate rationis non scriptæ; & ista in pœnalibus non habet locum, nisi quo ad expressa. Gemin. & Anchar. hic. qui adducunt multa iura, & exempla, ad probationem huiusmodi distinctionis. Sed sicut si iste, qui venit, censetur non venisse, si illicentiatus discessit, non expedito negotio; ita non censetur discessisse, si per aliquod paruum spatium temporis, vel loci, cum animo reuertendi eo tempore discessit, quo eius præsentia ad negotium nihil faciebat; nam tunc non venit contra mentem legis, quæ attendit, vt ibi permaneat ratione negotij expediendi; vnde quando per eius absentiam non impeditur negotium, eius præsentia non consideratur. glos. ver. mente. Si verò ei superueniret rationabilis causa discedendi, debet petere licentiam à iudice; & si copiam iudicis habere non posset, & magnum periculum esset in mora, præmissis protestationibus, & sufficienti procuratore dimisso, impunè recedere potest. d.c. cupientes, in princ. Sed & vbi ex legitima causa discessit, illa cessante, redire tenetur, aliàs incidit in pœnam. c. cum cessante. extr. de appell. Nam, & vbi quis ab initio ex causa rationabili excusatur à veniendo, ea postea cessante, venire tenetur, & vsque ad finem causæ debet permanere. d.c. cupientes. §. insuper.

ET habet locum, etiam cum appellatur à confirmatione.

QVIA etiam in tali casu agitur de meritis electionis, & est necessaria instructio personarum. glos. ver. confirmatione. Ideo cum sit eadem ratio, quæ est in alijs casibus dicti cap. cupientes. vt scilicet superior informetur per ipsos principales, debet esse idem ius, vt etiam in casu appellationis ad Sedem Apostolicam à confirmatione facta per prælatum, ipsi principales veniant, & ante finitum negotium non recedant. Archid. hic in fin.

VEL prouisione.

QVIA prouisio,& electio in his casibus per iura æquiparantur. supra c.statuimus.& c.vt circa. Et in vtrisque est eadem ratio.gl. penult. hic. Et quoniam quando duo reperiuntur à iure æquiparata, & in vtrisque est eadem ratio,etiam in pœnalibus statutum in vno, extenditur ad aliud.glos.in l.si quis. C. de furt. Ideo id, quod est dispositum per d.c.cupientes. in electione; circa hunc casum debet intelligi dispositum etiam in prouisione. vt in tex.& glos.penult. hic.

Cap. 34. Cum ex eo.

DISPENSARE possunt Episcopi, & Superiores, cum habentibus parochiales ecclesias sibi subiectas, quod vsque ad septennium studendo,non teneantur ad sacerdotium promoueri.

QVIA cum ex eo, quod habetur in c.licet canon. supr.eod.scilicet, vt promotus ad ecclesiam parochialem teneatur intra annum ad sacerdotium promoueri, & personaliter residere; nonnulli recusarent acceptare ecclesias parochiales, ex quo opportunitas proficiendi in studijs eis apparebat sublata, in grande vniuersalis ecclesiæ (quæ ad sui regimen viris litteratis permaxime noscitur indigere) dispendium,& iacturam.vt in tex. & not.Durand.in d.c. licet canon. ver. priuatus. Ideo Summus Pontifex Bonifatius Octauus, super hoc multorum instantia frequenter excitatus, volens cupientibus in scientia proficere,vt fructum suo tempore in Dei ecclesia afferre valeant opportunum,vtiliter prouidere,præsenti constitutione concesit,vt Episcopi, eorumq. superiores, cum ijs, qui huiusmodi subiectas sibi ecclesias obtinuerint,libere valeant dispensare, quod vsque ad septennium litterarum studio insistentes, ad sacerdotium promoueri minime teneantur, prædicta decretali.licet canon.non obstante.vt in tex. Et istud tempus cōceditur,siue quis velit studere Theologiæ,siue iuri canonico; cum hic tex.non distinguat glos.ver.litterarum. quæ monet Episcopos,ne dispēsent cum ijs,qui dociles non sunt; cum in illis cesset causa huius constitutionis. Tempus autem septem annorum ita statuitur, vt non posit vltra prorogari,non autem quod per Episcopum non posit breuius assignari, si ei ita fuerit visum expedire. Archid.hic. ver. septennium. & c.fin. extr. de magistr. vbi ad studendum asignatur tempus quinque annorum. Et est commendabile,non dare à principio totum septenniū; vt experiatur, an talis studens proficiat; nam si proficit, detur ei vlterius tempus,alias denegetur.glos.ver. septennium. Et habentes huiusmodi dispensationem, debent studere in studio generali; alias non excusantur. extr.de cleric.non resid.c.tuæ. Cum eo autem, qui habet parochialem in ciuitate,in qua viget studium,potest dispensari,ne ordinetur iuxta formā huius tex. non tamen dispensat Episcopus, ne resideat, cum æqualiter posit residere,& studere.Gemin.nu.9.

AD

AD subdiaconatum tamen debent promoueri intra annum; aliàs sunt priuati.

QVIA multi recipiebant ecclesias parochiales, vt per illud tempus, quo studebant, perciperent fructus, & postea illas dimittebant, & ad sæcularem statum retrocedebant. vt in tex. Ideo ad obuiandum huic fraudi, statuitur, vt talis promotus debeat intra annũ recipere ordinem sacrum, vt si velit postea percipere parochialis ecclesiæ fructus, non possit à clericali vita discedere; alias si non fuerit ita promotus, subiaceat ipso iure pœnæ priuationis quo ad hoc impositæ per d.c.licet canon. vt in tex.

ET illo durante septennio, debet in illis ecclesijs idoneus poni vicarius.

QVIA sicut prouidetur personis, ne per septennium impediantur à studijs, ita est prouidendum ecclesiis, ne per id tempus per Rectorum absentiam patiantur in cultu diuino, & cura animarum, detrimentum. vt in tex. Ideo Episcopi, qui sunt præordinatores in cunctis suæ diœcesis. c. perlectis. dist. 25. debent prouidere, vt ibi per idoneos vicarios interim diligenter seruiatur. vt in tex.

DE fructibus ecclesiæ sustinendus.

QVIA cum nemo teneatur proprijs stipendijs militare. c. charitatem. 12. q. 2. non conuenit, vt talis vicarius suis expensis ibi deseruiat; sed cum ille, qui habet commodum, debeat etiam habere incommodum. c. 1. extr. de paroch. Ideo de prouentibus ecclesiæ spectantibus ad ipsum Rectorem, qui percipit reliquos fructus, sunt huiusmodi vicario necessaria congrue ministranda. vt in tex.

ELAPSO septennio, debet Rector intra annum in presbyterum promoueri.

QVIA vbi quis arctatur intra certum tempus ad aliquid faciendum, si priuilegietur per aliquod tempus, ne interim ad illud teneatur, cessante priuilegio, reincidit in pristinam obligationem. c. eos. infr. de sent. excom. Ideo cum Rector parochialis (qui tenebatur intra annum ad sacerdotium promoueri per d.c. licet canon.) fuerit per hãc decretalem priuilegiatus, vt gratia studij, per septennium ad illud non teneatur promoueri, debet, finito septennio, intra annum ad diaconatus, & presbyteratus ordines se facere promoueri; alioquin ex tunc pęnam impositam per d.c.licet. (nisi iusta de causa id omiserit) ipso iure incurrit. vt in tex.

Cap. 35. Commissa.

AD pœnam priuationis Rectoris parochialis ecclesiæ non promoti, requiritur, quod annus integer sit completus.

QVIA vbi imponitur pœna ex non facto intra certum tempus, non incurritur pœna, nisi illud tempus ex toto sit elapsum. ff. de verb.oblig.l.in illa, & l.si insulam. vbi expresse dicitur, stipulationem pœnalem non committi ante diem, etiam si sit certum parere non posse. Tota enim obligatio in vltimum diem collata esse videtur. l. si eum.§.2.ff.si quis caut.in iud. Ideo pœna imposita per.c.licet canon. supr.eod.contra illum,qui adeptus ecclesiam parochialem, non fecerit intra annum se in presbyterum ordinari,non incurritur, nisi in totum annus ille sit elapsus,quanquam tantum de anno transiuerit,quod intra ipsum non possit ad illum ordinem promoueri. vt in tex. Nec obstat, quod frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus.l. aliquando. §.fin.ad Velleian. quia illud procedit,quando quod expectatur, ab initio est inefficax; secus quando ab initio est validum, vt est collatio in casu huius tex.Gemin.nu.1. Ad quod adde,quod vltima dies hic potest operari, cum in ea possit iste Rector obtinere prorogationem ad presbyteratus ordinem suscipiendum,causa studij, vt supr. in c.prox. glos. hic.ver.elapsus.

ET annus ille non currit iuste impedito.

QVIA non valenti agere,non currit tempus.supr.c.quam sit in fin. & l.fin.§.fin.C.de annal.except. Nam qui non potest agere, iuste impeditus,non est in culpa.glos.hic.ver.iusto. Et qui non est in culpa,non debet iure suo priuari. c.discretionem. extr.de eo, qui cogn. cons. Ideo si iuste impeditus non fecerit se intra annum ad sacerdotiũ promoueri,pœnam cap. licet canon.non incurrit.vt in tex. Annus autem incipit currere,post obtentam ecclesiam,à die adeptæ pacificæ possessionis,vel quā per eum stetit, quominus illã adipisceretur. vt in tex. Pacifica autem possessio, quando dicatur adepta, late tractat hic glos. ver.pacificam. Et licet vacet ecclesia parochialis,ipso iure,quando quis est eam adeptus,& non iustè impeditus, nec priuilegio studij defensus, se non fecit intra annum promoueri. d.c.licet.& supr. c. prox. Tutius tamen est,& honestius,vt antequam ecclesia alteri conferatur,ille citetur ad docendum,cur se non fecerit promoueri; & si de legitimo impedimento non doceat,vel de dispensatione, pronuntietur priuatus; ne si interim ecclesia alteri conferretur, & ipse postea veniens de legitimo impedimento doceret, faceret collationem alteri factam cassari. Sed quia iudices,vel illi,ad quos collatio spectat,nolunt litigare,vel aduersarios constituere, sicut nec illi, quibus facienda est collatio, nisi primo

habeant

habeant ius in re; ideo communius eligitur altera via, vt sine alia pronuntiatione fiat collatio.glos.ver.iusto.

ET post priuationem, ecclesia eidem conferri non potest.

QVIA si postquam ille est iuste priuatus, eo quod ex sua culpa se non fecerit intra annum in presbyterum ordinari, posset iterum in illa vacatione ad eandem ecclesiam promoueri, constitutio, quæ ipsum priuat, fieret ludibrio, & debito frustraretur effectu; & non rebus, sed verbis, cum sit potius contrarium faciendum, lex imposita videretur. vt in tex. ea namque ratione, qua posset, primo anno finito, iteratò ei ecclesia conferri, similiter posset, finito secundo, & sic tertio, & de singulis; vnde frustra esset prima priuatio glos. ver. iterato. Ideo statuitur, vt ea vice nullo modo possit sic delinquenti illa ecclesia conferri. vt in tex. & simile habetur in c.licet.il 3.extr.de testib.

ET non promotus, si eo animo receperat ecclesiam, vt fructus anni perciperet, tenetur ad restitutionem ipsorum.

QVIA talis recipit istos fructus fraudulenter. vt in tex. nam qui recipit beneficium, debet habere intentionem accipiendi ordines requisitos, vt in illis iuxta debitum suum valeat ecclesiæ deseruire. d.c.licet canon. Et quoniam fraus nemini patrocinari debet. c.tuę. extr. de cleric. non resid. Ideo si promoueri ad sacerdotium non intendens, parochialem receperit ecclesiam, vt fructus ex ea per annum percipiat, ipsam postmodum dimissurus; nisi (voluntate mutata) promotus fuerit, ad eorundem fructuum restitutionem tenetur, vt in tex.

ET qui ea mente contulit, ecclesiam seruare debet indemnem.

QVIA collator beneficij tenetur ex officio conferre personæ, quæ sit apta ad illi seruiendum iuxta onus, quod habet. ext.c.nihil. & c.cum in cunctis. alias si per malitiam, vel negligentiam in hoc peccat, est puniendus. extr.c.cum nobis. Ideo conferens ecclesiam personæ, quam non credit illi fore idoneam, ex eo, quod non vult recipere ordines requisitos, (præter diuinam offensam, quam ex inde incurrit) ad seruandam illam ecclesiam indemnem obligatur. vt in tex. Quæ obligatio, & condemnatio est pœna respectu soluentis, sed restitutio damni, & rei iniustè ablatæ, respectu recipientis. Gemin. §.fin. Sed tunc conuenitur collator pro istis fructibus, quando beneficiatus non soluit, nec est soluendò. glos.fin. nam non tenetur ad illos principaliter, sed in subsidium. Gemin. hic. Et loquitur hoc c. de obligatione restitutionis, non solum in foro animæ, sed etiam in foro iudiciali; dummodo dę tali eius credulitate, & fraude fiat fides. glos.fin. Fraudem autem debet probare ille, qui eam allegat. l.quoties. §.qui.ff. de prob. Et probatur per coniecturas. c.2.infr.tit.prox.

Cap.

Cap. 36. Si abbatem.

ABBAS exemptus eligitur in Episcopum.

QVIA Abbas non dicitur propriè suæ ecclesiæ spirituali matrimonio copulatus.c.fin.& ibi glos.circa med.extr.de postul.præl. Vnde non est tantum vinculum inter Abbatem exemptum, & eius ecclesiam;& similiter inter cæteros prælatos inferiores, & eorum ecclesias; sicut est inter Episcopum,& suam ecclesiam,cui est matrimonialiter alligatus.d glos.Ideo,licet Episcopus non possit eligi ad aliam ecclesiam, dum est vni copulatus; & ideo est postulandus.d.c. fin. non per hoc infertur idem ad cæteros prælatos, qualis est Abbas, & alij inferiores. glos.hic. ver. elegistis. Et sic cum isti non reperiantur prohibiti, sunt censendi admissi.d.glos.de postul.præl.

SED transire non potest sine licentia Papæ.

QVIA quilibet subiectus alicui ecclesiæ adstrictus, debet obtinere licentiam a suo immediato superiore ad hoc, vt possit ad aliam ecclesiam transire. supr. c.si religiosus,& c.nullus,& glos.hic ver. subiectum; licet non teneatur petere licentiam præstandi consensum electioni. d.c.nullus, & glos. hic. ver.elegistis. Et quoniam abbas exemptus est immediatè Romanæ Ecclesiæ subiectus. vt in tex. Ideo debet obtinere a Papa licentiam ad hoc,vt possit ad aliam ecclesiam transire, vt in tex. & extr.de renunt. c.fin.

VEL Legati de latere.

QVIA Legatus de latere in prouincia suæ legationis Papam repræsentat. c.volentes. extr.de offic.legat. Et ibi omnia potest, præter ea, quæ in signum singularis praeminentiæ, sunt Romano Pontifici reseruata. Archid.hic in princ. & in fin. Et quoniam facultas præstandi istam licentiam abbatibus exemptis, non est Papæ specialiter in signum præeminentiæ reseruata. glos. fin. hic. Ideo Legatus de latere potest illam impartiri. vt in tex. & extr. de offic. legat. c. 3. Tenetur ergo abbas exemptus petere licentiam transeundi ad aliam ecclesiam, sed non licentiam consensum electioni præstandi; cum ad illam teneatur ratione subiectionis, ad istam verò non teneatur ratione ecclesiæ, cui nō est matrimonialiter copulatus.glos.ver.elegistis,& ver.deferendi

§. Huiusmodi.

LEGATVS de latere potest confirmare electiones episcoporum exemptorum.

Quia

QVIA Legatus de latere maius omnibus, post Romanum Pontificem, in prouincia sibi decreta imperium censetur habere. vt in tex. Et in illa omnia potest, quæ non sunt Romano Pontifici in signum præeminentiæ specialiter reseruata, vt dictum est superius. Et quoniam confirmatio electionis huiusmodi episcoporum non est de specialiter ei reseruatis. glos.fin.hic. licet episcoporum translatio sit de reseruatis. c.quod translationem. extr.de offic. leg. Ideo talis legatus potest illam præstare, vt in tex.

RELIQVI non.

QVIA reliqui Legati non de latere habent strictiorem potestatem. infr. c.1. de potest. legat. Ideo illa ad ipsos pro huiusmodi confirmatione præstanda non se extendit, sicut fit ad illos de latere. glos.2. in d.c.1. infr. de offic. leg.

SINE speciali mandato.

QVIA in huiusmodi commissione est attendenda voluntas Papæ committentis. d.c. quod translationem. Et quoniam ex speciali mandato illa potest apparere, non autem ex commissione generali. vt in tex. Ideo tales Legati non de latere possunt huiusmodi confirmationem ex speciali mandato præstare, non autem ex generali. glos. in c. quanquam vers. plus. dist. 23. magis enim operatur species, quam genus. glos.hic. ver.specialiter.

Cap. 37. Si compromissarius.

SI compromissarius non eligit intra tempus iuris, ad proximum superiorem deuoluitur potestas prouidendi.

QVIA compromissarius fungitur vice capituli compromittentis. extr. c.in causis. Et quoniam subrogatum sapit naturam subrogantis. c.ecclesia. extr.vt lite pend. Et si ipsum capitulum non eligeret intra tempus iuris, prouidendi potestas deuolueretur ad proximum superiorem. c.2. extr. de concess.præb. Ideo debet esse idem ius, quando intra illud tempus non eligit compromissarius eius, vt in tex. Et sibi imputent compromittentes, qui in talem negligentem huiusmodi potestatem transtulerunt, vt in tex.

SI eligit, sed indignum, indistinctè redit ad compromittentes.

QVIA tale compromissum habet intellectum iuris, scilicet, vt compromissarius debeat iuxta iuris dispositionem eligere idoneum, vt not. extr. in c.cum dilectus. Vnde talis eligendo indignum, transgreditur formam mandati. d.c.cum dilectus. Ideo cum in tali casu compromittentes non sint in culpa, ex quo non dederunt facul-

cultatem eligendi indignum, dolus compromissarij non debet eis imputari, vt in tex. & sic ne sine culpa eorum, priuentur illa vice potestate eligendi, ius voluit, vt potestas tunc libere reuertatur ad eosdem, vt in tex. Non autem hoc voluit in superiori casu negligentiæ, quando, scilicet, compromissarius non eligit intra debitum tempus; quia tunc compromittentes fuerunt in culpa; nam poterant contra negligentiam sibi prouidere, non dando compromissario totum tempus iuris, quod habebant, aut solicitum eligendo. glos. ver. transtulerunt; quod in dolo non contingit, cum consistat in animo, & non poterant illum præuidere. Archid. d.ver. transtulerunt. Ideo eis imputatur negligentia compromissarij, non autem dolus, vt in tex. Sicut procurator nocet domino in omittendo, non autem in committendo. l. fin. C. de acquir. possess. Et non permittitur, vt compromissarius possit rursus alium eligere, quando per ignorantiam elegisset indignum; quia functus est officio suo. vt in tex. sicut est in iudice, siue bene, siue male, semel iudicante. c.literis. extr.de offic. deleg. & l.iudex. ff.de re iudic.

NISI id scienter ratum habuerint.

QVIA ratihabitio trahitur retro, & comparatur mandato. c.ratihabitionem. infr. de reg. iur. & l.hoc iure. ff.eod. Et bene poterant ratum habere, quia eorum nomine id erat factum; alias esset secus. c.ratum. d.tit. de reg.iur. & c.cum quis. infr.de sent.excom. Ideo sicut, si ipsi compromittentes scienter elegissent, vel commisissent alteri, vt eligeret indignum, pro illa vice priuarentur facultate eligendi. extr. c.cum in cunctis §. fin. ita debent priuari, si electionem indigni eorum nomine a compromissario factam, scienter ratam habuerint. vt in tex. Qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur. c. vt famæ. extr.de sent. excom. & qui malegestum scienter ratificat, alienam culpam facit suam. c.iam itaque. 1.q.4. Sed si ratificauerint electionem factam de indigno, quem ipsi credebant esse dignum, adhuc eligendi potestas deuoluitur ad ipsos compromittentes; quia sicut a principio si talem ignoranter elegissent, non haberet locum pœna concilij. d. c. cum in cunctis, ita debet esse, vt non priuentur, si ignoranter ratificent. glos. ver. scienter.

IDEM, si electus idoneus non consentit.

QVIA cum electio tunc non fuerit vitiosa, non debent eligentes iure suo sine culpa priuari. extr. c.si electio. & c.cum Vintonensis. Et quoniam non potest compromissarius rursus eligere, nam semel eligendo, functus est officio suo. vt in tex. nisi in mandato diceretur, quod posset eligere semel, & pluries. glos.ver. consentire. Ideo res redit ad naturam suam, & ad pristinum statum, vt ipsi compromittentes

tes

tes habeant eligere.d.c.si electio. & habebunt liberum tempus,ac si noua esset vacatio.glos. ver.liberè.

SI compromissarius scienter eligit indignum, ipse solus ab ecclesiasticis beneficijs triennio est suspensus.

QVIA pœna suum debet tenere auctorem. vt in tex. Et quoniam in tali casu compromittentes non fuerunt in culpa; ex quo non intelliguntur dedisse hanc facultatem eligendi indignum, & illam ratam non habent, vt dictum est superius. Ideo non conuenit,eos compromissarij odio prægrauari. vt in tex. Ipse autem compromissarius est suspensus ipso iure à beneficijs,quæ obtinet in ecclesia,quam per huiusmodi electionem offendit. vt in tex. quia ista est pœna imposita contra eligentes scienter indignum.extr.c.cum in cunctis.§. fin. Sed si non habet,nisi beneficium in illa ecclesia, & ab illo suspenditur, vnde habebit necessaria? Dic, quod de illo habebit modicam sustentationem, ne ex toto egeat.glos.in d.c.cum Vintonensis.ver.admiserant, & Archid. hic ver. beneficijs.

NISI id,compromittentes scienter ratum habuerint.

QVIA per huiusmodi ratihabitionem alienum delictum facerent proprium,vt dictum est superius. Ideo conueniens esset, vt pari pœna cum compromissario punirentur.c.quantæ.extr.de sent.excom.

ET pœna prædicta suspensionis, non habet locum in Episcopo compromissario.

QVIA de iure nullam sententiam suspensionis incurrit Episcopus, nisi de ipso expressa mentio habeatur.vt in tex.& c.quia.infr.de sent.excom. Et quoniam in d.c. cum in cunctis, vbi imponitur ista pœna suspensionis contra eligentes scienter indignum,non fit mentio,quod Episcopi huiusmodi pœnæ subijciantur.d.c.§. fin. Ideo in Episcopo compromissario male eligente talis pœna non vendicat sibi locũ. vt in tex.Sed ex quo tunc non est contra eũ certa pœna statuta,ne delictum suum remaneat impunitum, ad arbitrium iudicis punietur. c.de causis.extr.de offic.deleg.& Archid.hic.ver.peccante.

NEC in electione inferiorum Episcopis.

QVIA prædicta decretal.cum in cunctis.in impositione pœnæ suspensionis,non loquitur, nisi quando peccatur in electione Episcoporum,& Superiorum,vt ibi §.fin. Et quoniam pœnæ, cum sint odiosæ,sunt potius restringendæ,quam dilatandæ.c.in pœnis.infra de reg.iur. Ideo cum peccatur in electione inferiorum beneficiorum nõ intelligitur imposita dicta pœna suspensionis. vt in tex.& glos.penul.supra in c.quanquam.

ET restringitur illa pœna ad beneficia, quæ obtinet in ecclesia offensa.

QVIA prædicta decretal. cum in cunctis. in impositione huiusmodi pœnæ suspensionis à beneficijs, indefinitè loquitur, dum dicit: Ab ecclesiasticis beneficijs nouerint se suspensos. vt ibi. §. fin. non enim dicit vniuersaliter ab omnibus beneficijs. Et quoniam pœnæ sunt odiosæ. d.c. in pœnis. Et in odiosis indefinita non æquipollet vniuersali. Bart. in l. nominatim. ff. de liber. & posthum. Ideo talis pęna non est extendenda ad omnia beneficia vbicunque per huiusmodi delinquentem obtenta; sed solum ad beneficia, quæ obtinet in ecclesia, quam taliter eligendo, specialiter noscitur offendisse. vt in tex. Et dicitur ecclesia offensa per huiusmodi electionem, licet electio non habuerit effectum; quia quantum in eo fuit, male eligendo offendit. glos. ver. offendisse. Et sic pęna est commensurabilis delicto, vt secundum quantitatem iniuriæ, & per respectũ ad illum, cui fit iniuria, imponatur. Gemin. & Archid. hic in fin. Vnde aliquis est suspensus à beneficio in vna ecclesia, & non in alia; sic etiam habetur supr. c. cupientes. §. cæterum. & infra de offic. ordin. c. si canonici.

ET idem in beneficijs illius, qui deficit in probatione eius, quod obijcit in personam.

QVIA etiam in tali casu pęna suspensionis imponitur indefinitè à beneficijs. vt supr. in c. statuimus. §. fin. Ideo non est intelligenda suspensio lata ab omnibus beneficijs vbicunque obtentis, sed à beneficijs illius ecclesiæ, cuius personam talis, obijciendo falsa, offendit. vt in tex. & glos. in d. c. statuimus. ver. beneficijs. Sed quid si in his casibus eligens, vel opponens non habet in illa ecclesia beneficiũ? Dic, quod pęna extraordinaria poterit affici. glos. penult. hic. Vbi enim quis deliquit, & non est capax pęnæ à iure impositæ, est locus pęnæ arbitrariæ. c. finem. extr. de dol. & cont. & l. hos accusare. §. in hominibus. ff. de accus.

Cap. 38. Procurator.

PROCVRATOR ad appellandum secundum formam. c. vt circa. non est idoneus, nisi omnia obiecta ex forma iuramenti, in procuratorio exprimantur.

QVIA illud cap. vt circa. requirit, quod appellans contra electionem factam, volens dicere illam inualidam ex defectu formæ, vel personæ, exprimat crimina, & omnes circunstantias, quas intendit obijcere in formam, vel personam, & quod iuret, se credere illa esse vera, & se posse illa probare. vt in d. c. vt circa. supr. eod. Quæ expressiones, & iuramentum, à iure requiruntur, vt via malitijs præcludatur,

tur,

tur,ne quis calumniose opponat, & ne indebite diu vacent ecclesiæ.d.c. vt circa. Et quoniam procurator posset credere ea esse vera, quæ non credit dominus,& sic nō posset verè iurare de credulitate domini, & dominus posset malitiose se excusare.gl.penult.hic. Ideo ad obuiandū malitijs,quæ in huiusmodi appellatione fieri possent, per hanc cōstitutionē declaratur,quod per c.vt circa, procurator ad appellandum contra electionem, postulationem, aut prouisionem alicuius, non aliter idoneus reputetur,quam si omnia,quæ in formam obijcere,vel personas, & propter quæ appellare intendit, singulariter, & clarè in eius procuratorio sint expressa; & quod habeat speciale mandatum iurandi corporaliter in eorum animas,quorum procurator existit, quod ipsi credunt expressa huiusmodi vera esse,& se posse probare. vt in tex. Si tamen ipse dominus appellasset,& seruasset formam.d.c. vt circa. licet postea procuratorem constituat, tunc admitteretur procurator sine alia criminum expressione. Francus nu.1. Cum ad prosequendam appellationem iam factam hoc non requiratur. vt not.Specul.in tit. de procur.§.1.ver. sed nunquid. Et quoniam noua constitutio aliam declarans habet locum solum in casibus,in quibus habet constitutio declarata.glos.1. supr.in c.is,qui,& Gemin.hic nu. 4. Et decretal. vt circa. quam ista declarat, habet locum tantum in appellationibus extraiudicialibus,non autem in appellationibus interpositis in iudicijs.infr.c.constitutio. Ideo etiam hoc cap.habet locum solum in extraiudicialibus. glos.1. hic. Dic ergo, procurator ad appellandum contra electionem,& c.scilicet, extra iudicium.Archid. hic in princ.

Cap. 39. *Si confirmationem.*

CASSATA confirmatione,vel cassa nuntiata, propter defectum iurisdictionis, vel solemnitatem omissam, non propter hoc electio cassata dicetur.

QVIA confirmatio se habet vt accessorium,& electio vt principale.glos.fin.hic. nam per electionem datur titulus prælaturę,& habitus administrandi,per confirmationem vero solum datur exercitium ad illam. glos.in c.quanto.dist.63. & not.supr.in c.auaritiæ. Et quoniam principale non sequitur naturam accessorij, licet accessorium sequatur principale.cap.accessorium.infr.de reg.iur. Ideo licet cassetur confirmatio,non per hoc cassatur electio.vt in tex. Præterea, in separabilibus inutile non vitiat vtile.c.vtile.infr. de reg.iur. Et quoniam electio,& confirmatio sunt actus diuersi,& abinuicem separati.Innoc.in c. 2.extr.de restitut.in integr. Ideo si electio præcedens fuerit canonica, propter inualidam confirmationem sequentem,non debet infirmari. vt in tex. Et illud, quod hic dicitur in confirmatione electionis, est dicendum etiam in confirmatione sententiæ, priuilegij, statuti, seu alterius

contractus, cum sit eadem ratio etiam in istis. Io. And. & Francus hic.

Cap. 40. Quia sæpe.

SI vacante cathedrali, regulari, vel collegiata ecclesia, singulares personæ capituli, vel conuentus occupant bona à prælato dimissa, vel vacationis tempore obuenientia, donec plene restituant, ab officio, & quibuscunque beneficijs sunt suspensi.

QVIA sæpe contingebat, quod cathedralibus, & regularibus, ac collegiatis ecclesijs vacantibus, capitula, conuentus, collegia, & singulares earundem personæ, bona à prælatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatem dictarum ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reseruari, occupabant, inter se diuidebant, surripiebant, & cõsumebant, in ecclesiarum, & successorum graue dispendium, & iacturam. vt in tex. Ideo ad temerarios ausus talium reprimendos, & ad ecclesiarum indemnitatibus præcauendum, statuitur, vt ij, qui præmissa de cætero præsumpserint, eo ipso sint, & tandiu maneant ab officio, & beneficijs quibuscunque suspensi, donec plene restituerint quicquid de bonis perceperint supradictis, vt in tex. Hodie verò super bonis remanentibus prælatorum obeuntium, occasione ecclesiarum acquisitis, & super fructibus ecclesiarum vacantiũ, sunt diuersæ constitutiones Summorum Pontificum, qui statuerunt illa esse spolia spectantia ad Sedem Apostolicam; vt est constitutio Pauli III. quæ incipit: Romani Pontificis. sub datam Romæ 3. nonas Ianuar. 1549. quæ postea fuit abrogata per Iulium III. quo ad loca, vbi non sunt subcollectores spoliorum, sub datam 26. Iunij, pontif. sui anno primo, & quo ad curiales Romæ sub 6. idus Martij, eodem anno. Et limitata fuit per Pium V. quo ad omnes in quibusdam mobilibus relinquendis proprijs ecclesijs, sub datam 3. Kal. Septembris 1567. Et tandem cum quadam moderatione fuit confirmata illa Iulij Tertij quo ad curiales Romæ per optimum principem Paulum V. modo ecclesiam Dei summa pietate gubernantem; ob quod beneficium Canonici Ecclesiæ Lateranensis æneam statuam ei meritò posuere, grati animi ergo. Ex eo enim tempore Vrbs frequentius, & decentius colitur, non amplius timentibus ecclesiasticis, vt in bonis eorum vexentur hæredes, vnde oriebatur, quod multi, vel ab Vrbe discedebant, vel ibi pauperem vitam ducentes, pecuniam alibi transmittebant. Constitutio autem incipit. In eminenti. data die 8. Aprilis 1606.

NON obstantibus priuilegijs, statutis, & consuetudinibus, quacunque firmitate vallatis.

Quia

QVIA cum sint irrationabilia,& ecclesijs damnosa . vt in tex. per hanc constitutionem,non obstante quacunque confirmatione, cassantur,& irritantur. vt in tex. Et per istam clausulam, non obstante &c. non solum intelliguntur ablatæ consuetudines ante hanc constitutionem inductæ, sed etiam prohibetur, ne in futurum inducantur.vt not.in Clem.in plerisque.infr.eod.

Cap.41. Constitutio.

DECRETALIS, vt circa .solum in extraiudicialibus appellationibus locum habet.

QVIA in prædicta decretal. vt circa. habentur hæc verba,scilicet, quando electionibus,postulationibus , & prouisionibus se opponunt,& propter hoc contigerit appellari ; & non dicit,quando in iudicio se opponunt. Item ibi dicitur,quod debeat coram personis authenticis præstare iuramentum ; sed si appelletur in iudicio,non posset dici , quod non esset prestitum iuramentũ corã persona authentica;cũ iudex sit persona authentica. Gemin.hic nu.3. Ideo cũ per ista verba constet, quod d. decret. voluit intelligere de appellationibus extraiudicialibus , non autẽ de iudicialibus,non est à significatu verborũ, & constitutionis intẽtione,per aliquos recedendũ.gl.antepen.in c.solitæ.de mai.& obed. & c.consuluisti,& ibi gl.2.q.5.Non enim est eadem ratio illius decretalis in appellationibus iudicialibus,quæ est in extraiudicialibus ; nam illa fuit statuta ad obuiandum malitijs,quę committebantur circa appellationem ab electionibus,quibus non erat per iura prouisum. vt in d. c. vt circa.supr. eod. Sed quo ad appellationem iudicialem , bene est per diuersa iura prouisum.vt in c.vt debitus.extr. de appell. & c.1.infr.eod. Et magis habemus parata remedia in iudicio,quam extra iudicium. gl. in c.solet.infr.de sent. excom. Ideo magis opus erat adhibere cautelam ad appellationem extra iudicium, quam esset ad illã in iudicio.gl.1.hic.

IN iudicialibus autem antiqua iura seruanda sunt.

QVIA quod noua lege non reperitur immutatum , id veterum legum dispositioni intelligitur relictum.l. præcipimus. in fin. C. de appell. Iurium enim correctio est euitanda.supr.c. cum expediat . Et quod non mutatur,quare stare prohibetur? l.sancimus.C. de testam. Et quoniam iura antiqua non reperiuntur immutata quo ad appellationem iudicialem in huiusmodi electionibus , & postulationibus , aut prouisionibus . vt in tex. Ideo illa iura circa talem appellationem sunt seruanda.vt in tex.& glos.1.

Cap.

Cap. 42. Is, cui.

HABENS plenam administrationem cathedralis ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus, iurisdictionalia exercere potest.

QVIA talis administrator, seu procurator, vel visitator, qui solum à Sede Apostolica in cathedralibus vacantibus ad tempus deputatur, electo cōfirmato in gubernatione ecclesiæ (præterquam in alienatione bonorum immobilium) comparatur. vt in tex. & cap. fin. infr. de suppl. negl. præl. Et quoniam electus confirmatus potest exercere iurisdictionalia. extr. c. transmissam. Ideo debet posse eadem etiam iste administrator. vt in tex. Cum de similibus idem sit iudicium. l. fin. C. ad leg. Fal. Sed non datur ei potestas alienandi bona immobilia, licet adhiberet debitam solemnitatem. Francus nu. 1. Nec potest donare de fructibus ecclesiæ pro sua voluntate, sed de illis debet habere quotidianas expensas, & reliquos seruare prælato successori, reddendo rationem de administratione facta. Gemin. nu. 9. quia ipse non est sponsus, & prælatus ecclesiæ. c. presbyteri. dist. 24. Ideo non tantum defertur ei, sicut fit prælato sponso. Gemin. hic.

SACRAMENTALIA non.

QVIA illa, quæ ministerium consecrationis exposcunt, non possunt exerceri etiam per electum confirmatum, sed solum per Episcopum consecratum. d. c. transmissam. & ibi glos. fin. quæ enumerat ea, quæ sunt ordinis, & ea, quæ sunt iurisdictionis. Et quoniam iste administrator, qui non sit Episcopus, non habet maiorem auctoritatem, quam habeat electus confirmatus, vt dictum est superius. Ideo non potest exercere sacramentalia, sicut non potest ipse electus non consecratus. vt in tex. Poterit autem ea per alios Episcopos facere expediri. vt in tex. quia ista demandatio est iurisdictionis, quam potest facere etiam electus confirmatus. glos. fin. hic. & d. glos. in d. c. transmissam.

NISI Episcopus fuerit.

QVIA in eo tunc concurrit vtraque potestas requisita ad talium administrationem, scilicet potestas ordinis, & potestas iurisdictionis. Gemin. nu. 7. Nam Episcopus extraneus non potest exercere ea, quæ sunt ordinis in aliena diœcesi, ex defectu iurisdictionis. cap. abbates. infr. de priuileg. Et quoniam concessio huiusmodi administrationis tribuit Episcopo iurisdictionem. vt in tex. Ideo poterit exercere sacramentalia, quæ sunt ordinis, ex sua propria virtute. Gemin. num. 9.

Cap.

Cap. 43. Indemnitatibus.

MONIALIS non eligit, nisi peregerit vndecimum annum.

QVIA mulier ante duodecimum annum dicitur impubes, & discretione caret, supr. c.ex eo, & extr. de regular. c.cum virum; & ob id etiam non censetur apta ad præstandum consensum per verba de præsenti in matrimonium carnale. c.puberes. extr.de despons. impuber. nisi malitia suppleat ætatem. d. titulo c.fin. Et quoniam in electione facienda requiritur, quòd eligentes habeant iudicium cognoscendi dignum ab indigno. d.c. ex eo, & extr. c.cum in cunctis. Ideo ante annos pubertatis, & discretionis, neque mulier, neque vir, eligere potest, vt in tex. & d.c.ex eo, sicut propter eandem rationem, neque etiam furiosus. glos.in d.c. ex eo.

ET sit tacitè, vel expresse professa.

QVIA abbas debet eligi a monachis, & abbatissa a monialibus. c. abbatem. 18.q.2. & not. in d.c. ex eo. lex enim in multis æquiparat moniales monachis, præsertim in creatione abbatis, & abbatissæ. Archid. num.3. Et quoniam illa, quæ non est tacitè, vel expresè professa, non potest dici monialis, cum adhuc possit ad sæculum redire. c.1. infr.de regular. Ideo tanquam laica, si non sit professa, non est capax neque ibi, neque alibi iuris eligendi abbatissam, cum tale ius sit spirituale, quod in personam laicam cadere non potest. d.c.ex eo.

NEC eligitur, nisi peregerit trigesimum annum.

QVIA cum per abbatissam debeat gubernari monasterium. vt in tex. Curandum est, vt illi præficiatur persona idonea. d.c. cum in cunctis, & d. c. abbatem. Et quoniam sicut vir propter iuuenilem ætatem non censetur idoneus ad episcopatum ante trigesimum annum completum, cum antea non benè præsumantur haberi morum grauitas, & experientiæ iudicium. d.c. cum in cunctis. Ideo idem est censendum etiam in muliere in spiritualibus præficienda alijs, quæ licet non habeat tantum onus, sicut episcopus. c.dilecta. extr. de maior, & obed. est tamen sexus fragilioris, & minoris iudicij. c.forus. extr. de verb. sign. Ideo vnum cum alio compensatur, vt eadem ætas requiratur in abbatissa, quæ requiritur in episcopo, ne monasterium gubernetur a iuuenculis. Ioan. Monach. hic, & c. iuuenculas. 20.q.1. vbi habetur, quod abbatissa debet esse sexagenaria; sed illo iure hodie non vtebamur, cum ætas hominis sit breuis; ideo fuit præscripta ætas triginta annorum, vt ætatis breuitati, & morum grauitati consuleretur. glos. hic. ver.trigesimum, & glos. in d.c. iuuenculas. Nouissimè verò est attendendum Concilium Trident. per quod statuitur, vt non eligatur in abbatis-

batissam minor quadraginta annis, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Si verò talis non inueniatur in monasterio, nec possit ex alio monasterio haberi, eligatur illa, quæ trigesimum annum excesserit, & per quinquennium sit professa. sess.25. cap. 7. de regular.

ET fuerit expresse professa

QVIA professio expressa est nobilior, quam tacita; cum illa sit hominis, ista sit iuris. vt not. supr. in c. nullus. & infr. de regular. c. constitutionem. Et quoniam ille, qui præficitur alijs, debet meritis, & bono exemplo excellere alios. d.c. cum in cunctis. Ideo statuitur, vt tam monachus præficiendus in abbatem, quam monialis præficienda in abbatissam, sint expresse professi. vt in tex. & d.c. nullus, & nouissime Concil. Trid. d. sess.25. cap.7.

§. Sanè.

NON obstante contradictione, vel appellatione quacunque, electa a duabus partibus numero, cum per scrutinium proceditur, examinatione præmissa per officium præsidentis, confirmatur, & benedicitur.

QVIA numerus duplo maior præsumitur valde sanior, & motus a maiori zelo ad illam eligendam, quam moueatur alia tertia pars ad eam reprobandam. vt not. supr. in c. si quando; quam præsumptionem auget examinatio facta per officium præsidentis, qui talem electionem esse per scrutinium canonicè factam inuenit. vt in tex. Ideo licet alias regulariter, appellatione interposita ad Papam, non possit inferior confirmare electionem. supr. c. si postquam. Tamen in electione monialium, vbi, propter sexum fragiliorem, ad querimonias garrulum, & ad variandum propensum. c. forus, extr. de verb. sign. est maius periculum, ne monasteria diu vacent, & ne imputationes monialium cum paruo decore per iudicia circunferantur; ad occurrendum illorum periculis, & indemnitatibus, specialiter statuitur, vt in tali casu tertiæ partis contradictio, vel appellatio, confirmationem, & benedictionem electæ non impediat. vt in tex. & Gemin. nu.5.

ITEM, publicato scrutinio, antequam ad actus extraneos se diuertant, eligentes possunt accedere ad illam, quæ maiorem partem conuentus numero habet.

QVIA licet, publicato scrutinio, non posit illa, quæ fuit maior pars eligentium, variare in præiudicium illius, quem ipsi elegerunt. vt not. extr. in c. publicato. Minori tamen parti conceditur,

ditur, vt possit accedere ad electum à maiori parte, cum per ipsam minorem partem non potuerit ex se sola fieri aliqua electio valida; & sic per eius accessum ad electum a maiori parte, non fit alicui iniuria, licet ab ipso recedat. gloss. fin. in c. cum in iure. extr. eod. Et ex quo res adhuc est integra, nec ipsi eligentes diuerterunt se ad actus extraneos, non est minori parti iustæ pœnitudinis humanitas amputanda. arg. c. ei qui. §. si quis. 2. q. 6. & not. supr. eod. in c. quamuis. & ibi Archid. ver. partibus.

ET si per accessum ad duas partes peruenerunt (sicut in primo casu) confirmabitur, & benedicetur.

QVIA cum vota minoris partis per accessum ad maiorem ita connumerentur, ac si omnes ab initio in eandem consensissent. vt in tex. Eundem effectum confirmationis, & benedictionis debent operari, sicut operatur consensus ipsarum duarum partium a principio. vt in tex. Cum idem ius debeat statui, vbi est eadem ratio. l. illud. ff. ad leg. aquil. & ad materiam vide Concil. Trident. sess. 25. de regular. cap. 6.

NON tamen adimetur contradicentibus potestas denuntiandi, vel accusandi, cum abbatissa fuerit benedicta, & possessionem adepta.

QVIA sicut ad euitandam monasteriorum diuturnam vacationem, & monialium faciles imputationes subterfugiendas, fuit statutum, vt, non obstante quacunque contradictione, vel appellatione, electa a duabus partibus numero, confirmetur, & benedicatur, vt dictum est superius; ita ad consulendum monasterijs, & monialibus, ne fortè talis sit electa, quæ a dignitate adepta deijci mereatur; fuit monialibus concedenda facultas, vt si quæ fuerint moniales, quæ (postquam in præmissis casibus talis confirmata, & benedicta fuerit, ac suæ administrationis possessionem sit assecuta) voluerint in modum denuntiationis, vel accusationis, vt a dignitate deijcatur adepta, proponere aliquid contra ipsam, eis per prædicta proponendi minime sit sublata facultas. vt in tex. Sed dices, quid poterunt opponere istæ moniales per viam denuntiationis, vel accusationis, post confirmationem? Respondetur, quod illa tantum, quæ respiciunt personam electam; non autem ea, quæ respiciunt defectum formæ, nam omnis defectus formæ est purgatus per confirmationem solemniter factam a iudice idoneo. vt not. Innoc. & Compostell. extr. in c. quod sicut. Ex quo enim Papa mandat electionem confirmari, non obstante aliqua exceptione, intelligitur per eum remotus omnis defectus formæ; & sic non poterit modo obijci de vitio formæ, sed de vitio personæ electæ; & ratio diuersiter statuendi fuit, quia vitium formæ non lædit ecclesiam, sed vitium personæ lædit moniales, & ecclesiam. Gemin. hic in §. verum.

ITEM de obiectis contra electam à maiori parte conuentus, quæ tamen duas partes, nec à principio, nec per accessum habet, ante confirmationem, sine strepitu, & figura iudicij inquiretur.

QVIA licet electa à maiori parte capituli censeatur electa à toto capitulo. c. 1. extr. de his, quę fi. à mai. par. cap. & habeat pręsumptionem pro se, quod electio sit facta de persona idonea. extr. c. quia propter. Tamen non habet pro se præsumptionem ita vehementem, sicut habet illa, quæ est electa à duabus partibus. extr. c. licet. Ideo si contra eam aliquid obijciatur, præter ea, quæ in tali negotio sunt ex officio per superiorem inquirenda, antequam illam confirmet, debet inquirere super istis obiectis. vt in tex. Quod non erat faciendum in obiectis contra electam à duabus partibus, propter maiorem præsumptionem bonitatis ipsius electæ, vt dictum est superius. Inquisitio autem ista debet fięri sine strepitu, & figura iudicij. vt in tex. quia non decet monialium imputationes per tribunalia propalari. c. si qua monacharum. & cap. si quis rapuerit. 27. q. 1. sed illarum discordiæ debent quamcitius terminari, vt in tex. §. vt autem. & §. postremo. Et hodie est commune etiam in electionibus virorum, vt in talibus causis sine strepitu, & figura iudicij procedatur, vt sic lites citius terminentur. Clem. dispēdiosam. de iud.

IPSA tamen, alienatione bonorum, & monialium receptione sibi interdictis, interim ministrabit.

QVIA licet regulariter non possit electus ante confirmationem habitam à superiore, actu administrare. glos. in c. quanto. dist. 63. In quibusdam tamen casibus, in quibus interim timetur de damno ecclesiæ, conceditur electo, vt etiam ante confirmationem administret. vt not. extr. c. nihil. Et casus isti particulariter excepti notantur hic per glos. ver. auctoritate. Ideo propter eandem rationem euitandi ecclesiæ damnum, conceditur tali electæ, vt possit ante confirmationem in spiritualibus, & temporalibus libere administrare. vt in tex. Non autem conceditur ei, vt interim possit bona alienare, etiam si debitas solemnitates adhiberet. vt in tex. & not. supr. in c. is, cui. quia alienatio bonorum in dubio sonat in malam partem. vt not. in d. c. nihil. Nec vt possit recipere moniales. vt in tex. quia per illarum receptionem posset monasterium grauari; & sic videretur esse quædam alienatio iurium monasterij. vt not. in c. fin. infr. de regular. & cap. 1. extr. de institut. Et etiam quia in bonorum alienatione, & monialium receptione, non est periculum in mora, sicut est in administratione ecclesiæ, & bonorum eius. Arch id. hic ver. alienet. Ideo cessat ratio tunc concedendi dispensationem, & sic remanet in istis non concessis ius commune, vt in eis non possit electa ante confirmationem administrare. vt in d. c. nihil.

ITEM

ITEM à minori parte electæ nullum ius acquiritur.

QVIA electio Abbatissæ spectat ad capitulum, siue cõuentum monialium.c.abbatem.18.q.2.vt dictum est superius. Et quoniam minor pars non repræsentat capitulum, quando per priuationem maioris partis ad eam non est tota potestas deuoluta. supr. c. quorundam.& ibi glos.ver.numero. Ideo cum talis fuerit electa à minori parte non habente potestatem, nullum ius per huiusmodi electionem acquisiuit.vt in tex.& not.extr.de constitut.c.cum omnes.

NEC aliæ possunt accedere ad eam.

QVIA quod à principio est nullum, tractu temporis non conualescit.c.non firmatur.infr.de reg.iur. Et quoniam talis electio fuit à principio nulla, cum minor pars non haberet in se potestatem capituli, vt dictum est superius. Ideo postea per accessum aliarum monialium validari non potest.vt in tex.& glos.ver.à minori. quæ probat idem esse dicendum, si talis esset electa à media parte monialium; cum nec in tali casu possit dici electa à maiori parte capituli, in quo casu solum reperitur, validũ esse accessum.vt supr.in tex. Nec media pars potest dici maior pars.d.gl.hic. Ideo non habet in se iurisdictionem capituli.c.1.extr.de his, quæ fi.à mai.par.cap.

NEC ibi fit collatio, nisi numeri ad numerum.

QVIA difficile est concordare mulieres, vt dictum est superius. Mulierem enim fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. Salomon in Prouerb.c.31. Et quoniam difficiliter per moniales deueniretur ad concordiam electionis, sed potius sæpe prosilirent ad opprobria, & calumnias, si esset facienda collatio zeli ad zelum, & meriti ad meritum. Gemin.hic.§.vt autem. Ideo vt facilius ad concordiam electionis Abbatissæ per moniales veniatur, statuitur, quod quando per formam scrutinij procedunt, non sit facienda collatio zeli ad zelum, nec meriti ad meritũ, sed solum numeri ad numerũ. vt in tex.

§. Cæterum.

ELECTAE per compromissum, benedictio impendetur, non obstante minoris partis contradictione.

QVIA compromissarius fungitur vice compromittentium.vt not. supr.c.si compromissarius,& extr.c.in causis. Et quoniam compromissum intelligitur vnanimiter ab omnibus de capitulo esse factum. extr.c.quia propter. & d.c.in causis. Ideo ex quo minor pars censetur vices suas in compromissarium transtulisse, nec ipsa habet in se capituli iurisdictionem, vt possit aliquid nomine capituli opponere,

vt dictum est superius;eius contradictio non debet impedire, quin electa à compromissario, per superiorem confirmetur, & benedicatur; vt in tex. Non tamen per hoc denunciandi, vel accusandi causa, postmodum isti minori parti est via præclusa. vt in tex. quia sicut talis via non impoditur contra electam per viam scrutinij à duabus partibus capituli, vt dictum est superius; ita non debet impediri contra electam per compromissum,cum tales electiones in hoc de pari procedant. glos.ver. expectare. Sed in hoc differunt,quod minor pars potest impedire benedictionem electæ per scrutinium à maiori parte, si illa pars non sit duplo maior, vt dictum est superius; sed non potest impedire benedictionem electæ à maiori parte per viam compromissi,quamuis illa pars nõ sit duplo maior,vt in tex. Et ratio, vt in hoc sit magis fauorabilis electa per compromissum, est, quia compromittentes censentur omnes à principio consensisse in illam,quæ à compromissario eligeretur, quod non censetur in forma scrutinij.d.glos.expectare.

SED si maior pars se opponat,libere administrabit.

QVIA ex quo ipsa maior pars commisit vices suas in compromissarium.d c. in causis. non debet ei concedi, vt possit postea in damnum ecclesiæ impedire administrationem illi, quæ censetur legitimè electa.d.glos.expectare. & simile dictum est superius de electa per viam scrutinij à duabus partibus capituli.

NEC confirmabitur.

QVIA sicut fuit prouisum monasterio, vt ista electa administret, ne illud patiatur detrimentum.vt not.supr. in electa per viam scrutinij; ita fuit prouidendum monialibus, ne talis confirmetur, quæ postea per vitium personæ esset deijcienda.vt not.superius.Et quoniam maior pars capituli est maioris auctoritatis, quam sit pars minor. c. 1. extr.de his,quæ fi.à mai.par.cap. Ideo conceditur,vt oppositio maioris partis impediat confirmationẽ,non autem oppositio minoris.vt in tex.

SI autem ei se opponat pars in duplo maior, non administrabit, nec confirmabitur.

QVIA compromittentes non censentur dedisse compromissario potestatem,vt eligeret indignum,d.c.si compromissarius.Vnde si ipse elegisset indignum,non censeretur elegisse potestate sibi tradita. Gemin.nu.2. & ius eligendi tunc reuerteretur ad ipsos compromittentes. d.c.si compromissarius. Et quoniam pars capituli duplo maior est maioris auctoritatis,& fidei,quam pars simpliciter maior, vel pars minor, vt dictum est superius. Ideo magis defertur parti duplo maiori, vt per eius oppositionem ipsa valeat impedire administrationem,& confirmationem,dum vult dicere vitia contra personam electæ, quam concedatur

tur

tur reliquis partibus ea minoribus, vt in tex.

SED expectabit litis euentum.

QVIA sicut præsumptio, quæ est pro ista parte duplo maiori, quod iusta opponat, facit, quod illa electa interim non administrat, neque confirmatur, vt dictum est superius; ita præsumptio, quæ est ex alia parte pro electa, quod ei sit ius acquisitum per electionem factam à compromissario, in quem ipsi cōpromittentes ius eligendi transtulerunt, facit, vt lite pendente, nihil sit innouandum. arg. c. ecclesia. infra, vt lite pend. Et quoniam litis euentus solet esse incertus. l. quod debetur. ff. de pecul. Ideo est expectanda iudicis sententia, quæ ius facit inter partes. c. cum inter. extr. de sent. & re iudic.

§. Porrò.

SI ab opponentibus in casibus præmissis appellatur, constitutio. Vt circa. seruabitur.

QVIA constitutio illa fuit edita, vt præcludatur via malitijs, quæ possent in detrimentum ecclesiæ, diutius electionem prolungare. vt supr. in d. c. vt circa. Et quoniam ista ratio militat etiam in præmissis casibus electionis Abbatissæ. vt not. supr. in §. prox. Ideo etiam in illa idem ius debet habere locum. c. cum dilecta. & ibi glos. 3. extr. de confirm. vtil. vel inutil.

SED moniales ad Sedem Apostolicam personaliter non venient.

QVIA propter sexus verecundiam, suæq. conditionis statum, non decet moniales, nec ipsis expedit, publico cœtui demonstrari, aut extra sua monasteria euagari. vt in tex. Ideo, licet cæteri electi, vel eligentes, cathedralium, vel regularium ecclesiarum (quorum confirmatio per immediatam subiectionem, vel interpositam appellationē spectat ad Sedem Apostolicam) intra vnum mensem post consensum, vel post obtentam de ipsorum electione notitiam, ad Sedem ipsam iter teneantur arripere, nisi fuerint legitimè impediti. supr. c. cupientes. Moniales tamen electæ, aut eligentes; vel appellantes, seu illæ, contra quas appellatum fuerit; ad eandem Sedem personaliter venire prohibentur. vt in tex.

SED procuratores secundum constitutionem. Cupientes. mittent.

QVIA cum Papa debeat plene informari super electione sibi proposita, vt possit scire, an illa sit confirmanda, vel infirmanda. d. c. cupientes. §. ad hæc. Et quoniam ista informatio non potest haberi per ipsas moniales, quæ personaliter ad Sedem Apostolicam compareant. vt in tex. sicut tenentur comparere electi, & aliqui de eligentibus.

tibus.d.c.cupientes. Ideo statuitur, vt hanc informationem faciant per procuratores sufficienter instructos,ab eis ad Sedem ipsam, cum omnibus actis,iuribus,& munimentis ad causam spectãtibus, transmittẽdos. vt in tex.& glos.ver.sufficienter. alioquin etiam ipsæ pœnam illius constitutionis.Cupientes. ipso iure incurrunt.vt in tex.

§. Postremo.

PONENTES, vel nutrientes discordiam in electione monialium,ipso iure sunt excommunicati.

QVIA seminantes,& nutrientes discordiam,grauiter peccant cõtra proximum. c.neque.dist. 90. Et quoniam tale malum faciliter posset disseminari,& augeri in electionibus monialium. vt dictum est superius. Ideo, vt caueatur ab isto malo,timore pœnæ, si non amore Dei. extr.c. cum in cunctis. in fin. contra taliter peccantes imponitur excommunicationis pœna,ipso iure incurrenda.vt in tex. A tali tamen excommunicatione possunt Episcopi absoluere. glos.ver. subiacere. Cum Papa sibi non reseruauerit absolutionem.extr.de sent.excommun.c.nuper.

§. Supradicta.

HAEC constitutio locum habet in monialibus regulariter viuentibus.

QVIA cum tales moniales viuant sub aliqua de religionibus approbatis.vt in tex. ad occurrendum indemnitatibus earum, & monasteriorum,in quibus degunt,fuit principaliter edita hæc constitutio.vt supr.in princ.huius tex. Ideo suo non debet fraudari intentũ. c.1. extr.de constitut.

ET in canonicis sæcularibus.

QVIA licet tales canonicæ nullam faciant professionem regularem,nec renuncient proprijs, & earum regula non sit sub aliqua de religionibus approbatis,sed viuunt, vt in sæcularibus ecclesijs canonici sæculares. vt in tex. Ex quo tamen communiter viuunt, vt faciunt moniales,& vulgus eas moniales appellat, nesciẽs distinguere eas à monialibus. Ioan.Vanquel.hic in fin. etiam ipsæ sunt subiectæ iurisdictioni iudicis ecclesiastici. Sicut & eremitæ,qui simul viuunt in regula non approbata,& tamen subsunt Episcopo loci,vt alij ecclesiastici. Gemin.hic nu.1. Ideo dum ab ecclesia talium canonicarum status toleratur, propter similitudinem,quam habent cum monialibus, statuitur, vt etiã ad eas hæc constitutio extendatur. vt in tex. De similibus enim idem est iudicium.l.fin.C.ad leg.Falc.

HOC

HOC excepto, quod non debeant, nisi professa eligere, vel eligi; quod non potest vendicare sibi locum in canonicis sæcularibus.

QVIA cum istæ canonicæ nullam faciant professionem. vt in tex. si eis præciperetur, quod eligentes, & electæ earum essent professæ, eis præciperetur id, quod implicaret contradictionem, & sic simul esse non posset, glos. ver. nequeat. Et quoniam lex debet esse possibilis. c. erit autem. dist. 4. Ideo dum tales canonicæ in huiusmodi statu tolerantur, eligentes earum, & electæ esse professæ non tenentur. vt in tex.

PER hoc tamen Papa non approbat statum dictarum canonicarum sæcularium.

QVIA Papa, scribendo de aliquo collegio, etiam per viam constitutionis, non per hoc censetur illud approbare; quando illud exprimit in constitutione, & nominat non approbatum. Francus hic num. 2. nam propter difficultatem omnes abusus extirpandi, multa tolerantur; quæ non per hoc, vt bona approbantur. c. 1. 27. q. 7. & c. pudenda. 24. q. 1. Et quoniam extirpare istas canonicas in quibusdam prouincijs, præcipuè in Germania, propter illarum inueteratam consuetudinem, videbatur difficilimum. Ioan. Vanq. hic. Et illas approbare non conueniebat; cum monasteria non debeant esse duplicia, scilicet, virorum simul, & mulierum. c. diffinimus. 18. q. 2. Et istæ canonicæ sæpe recipiebant viros hospites, & officiabant cum canonicis. Ioan. Andr. hic ver. postremo. Ideo per hanc constitutionem prouidetur circa istarum electionem ad melius, quod fieri potest; non tamen per huiusmodi prouisionem earum statum approbando. vt in tex. Sed hodie earum status censetur reprobatus per c. perniciosam. 18. q. 2. Gemin. hic num. 5.

§. Ad hæc.

IVRA de virorum electionibus tractantia, per hoc capitulum non sunt immutata.

QVIA ea, quæ in hoc cap. statuuntur, in multis a iure communi discrepare noscuntur. vt in tex. Et sunt decem specialia in hoc tex. quæ exorbitant a cæteris iuribus loquentibus de electionibus virorum, vt enumerat hic glos. ver. in multis. Et quoniam sicut masculinum non comprehendit fœmininum, quando est in materia exorbitanti a iure communi, & in articulis, qui fœminis non congruunt. glos. supr. in c. generali. ver. vniuersos, & ibi Gemin. nu. 8. Ideo multo magis in tali materia, qualis est ista, disposita de monialibus non sunt extendenda ad monachos. vt in tex. & Gemin hic num. 1. Ad maiorem tamen declarationem hic exprimitur, quod per hanc constitutionem iura loquen-

quentia de electionibus virorum non sunt immutata, sed remanent in pristina firmitate. vt in tex. Et de hac materia vide, quæ nouissime sunt statuta per Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. & 7. de regular.

Cap. 44. Prouida.

SI Ordinarius post recessum appellationis interiectæ ad curiam in causis electionum episcopatuum, non inquisito, an prauitas interuenerit, procedit, confirmat, vel consecrat, prædicta non tenent.

QVIA vbi iudici datur iurisdictio sub certa forma exercenda, si ipse procedit, illa forma omissa, processus est nullus. glos. in Clement. 1. ver. inhibentes. de iurepatr. & l. cum ij. §. si prætor. ff. de transact. Et quoniam Ordinarijs in hoc casu mandatur iurisdictio sub ea forma, vt ante omnia diligenter inquirant, an in isto recessu appellationis prauitas interuenerit. vt in tex. & supr. c. quamuis. Ideo si fiat per Ordinarium processus, hac forma non seruata, & confirmat, vel consecrat, taliter facta nullius sunt firmitatis. vt in tex. quod tamen intellige in consecratione quo ad executionem, non autem, vt debeat iterari quo ad ordinem, glos. hic. ver. firmitatis; nam cum per huiusmodi consecrationem character fuerit impressus animæ, ad instar episcopi ordinantis illum, quem ordinare non poterat, puta, non suum subditum; verus episcopalis ordo collatus fuit, sed non potuit dari eius executio. c. ab excommunicatis. 9. q. 1. & d. glos. hic. Et licet esset inualidus huiusmodi processus, ex quo erat prohibitus per d. c. quamuis; nam satis est legislatorem aliquid prohibuisse, & si non adijciat contrafactum non valere. l. non dubium. C. de legib. expressius tamen prouidetur per constitutionem, quæ decernit, & declarat contrafactum nullum, & pęnam in contrafacientes apponit, vt facit ista. glos. ver. expressius. Electio tamen non propter hoc vitiatur, si erat valide facta; sed eius confirmatio petetur de nouo coram Papa, glos. ver. firmitatis.

ET ipse ab episcoporum confirmatione, & consecratione, suspensus est per annum.

QVIA pęna debet commensurari delicto. c. disciplina. dist. 45. Et quoniam tunc iuste commensuratur, quando quis punitur in eo, in quo peccauit. vt in tex. & c. literas. extr. de tempor. ordin. Ideo si talis peccauit in confirmatione episcoporum, per annum a tali cõfirmandi potestate, ipso iure suspenditur; si peccauit in confirmatione, & consecratione, per idem tempus est ab vtraque suspensus. vt in tex. & glos. ver. in quo. Et annus iste, qui intelligitur esse continuus, incipit a die perpetrationis illius delicti, ob quod suspensionis pęna imponitur. glos. penult. hic.

SI

Cap. 45. Si eo tempore.

SI Papa sibi prouisionem ecclesiæ cathedralis reseruauit, inhibuit, & decreuit, non est vitiata electio, quæ præcesserat.

QVIA res, quæ culpa caret, damnum afferre non debet. c.cognoscentes. extr.de constitut. Et quoniam ante reseruationem, & inhibitionem, per quas sibi Papa afficeret ecclesiæ prouisionem, illius electionem auferendo ab eis, quibus ante competebat, ipsi in electione vtendo iure suo, non erant in culpa. Gemin.num.4. Ideo præceptum, & inhibitio, ac reseruatio, quæ respiciunt futura, non extenduntur ad præterita, c.fin. infr. de concess.præb. Et electio facta per eos, qui tunc non erant prohibiti, si alias sit canonica, tenet. vt in tex. & glos. ver.vel alia.

OMNIA tamen, quæ reseruationem sequuntur, carent effectu.

QVIA postquam superior ad se negotium reuocat, inferior non debet se immiscere in illo. c.vt nostrum, & ibi glos. fin. extr. de appell. Et quoniam per huiusmodi reseruationem constat de Papæ intentione, quod sibi illud negotium assumit, & non vult alium vlterius procedere in illo. Archid. num.1. Ideo si fuerit per aliquem post talem reseruationem in huiusmodi negotio processum, ea, quæ taliter sunt facta ab illo, qui iam facere non poterat, debent carere effectu. vt in tex. & glos. ver. effectu.

Cap. 46. Si quis.

ABSENS plures procuratores ad actum electionis, dare potest in solidum.

QVIA commissio, quæ fit pluribus in solidum, censetur facta vni solum quo ad effectum. Cal. consil.3. de elect. & Io. Andr. hic in glos.3. nam solum vnus ipsorum potest actum explicare, scilicet ille, qui præuenit. Gemin. num.2. Vbi enim plures possunt integraliter, & de per se facere actum, est locus præuentioni. c.penult. extr.de for.compet. Et quoniam ille, qui est absens in eo loco, de quo debeat aduocari, iustoq. impedimento detentus, ad electionem venire non potest, habet facultatem constituendi vnum de capitulo suum procuratorem ad eligendum. extr. c. quia propter. §. illud. Ideo similiter potest constituere plures, dummodo vox, & effectus eligendi restringatur ad vnum. vt in tex. & infr.de procur. c.si duo.

ET non aliter.

Ee QVIA

QVIA si plures procuratores darentur non in solidum, possent concurrere simul,& vota sua dirigere in diuersos; sicq. res non haberet exitum.vt in tex. Si enim darentur duo, qui dimidiarent votũ in discordantes partes æquales,adhuc illæ remanerent æquales,& non posset per aliquam partem fieri electio valida; quod non est, quando votum est vnum,quod connumeratum cum altera parte,si illa erat æqualis,fit maior pars, & per ipsam producitur electio efficax. Io. Andr.hic in princ. Et quoniam in electionibus ecclesiarum, est curandum,vt quam citius commode fieri potest, illæ expediantur,ne per diuturnã vacationẽ ecclesiæ patiãtur detrimentũ.d.c.quia propter.& supr. c. indemnitatibus. Ideo ad prouidendũ, ne ecclesiarum electiones nimiũ differantur,& impediantur,statuitur,vt ab vno electore nõ possint dari plures procuratores ad eligendũ, qui non sint dati in solidum.vt in tex. Et si fuerint dati plures non in solidum, ipsorũ aliquis non debebit admitti, & sibi imputet, qui eos sic constituit indiscretè. vt in tex. & glos.ver.admitti. Vbi verò sunt dati plures in solidum,quoniam solum vnus ipsorum debet in effectu dare vocem in electione,vt dictum est superius; ille vnus, qui adhoc sit admittendus, erit is, quem capitulum, vel pars maior elegerit,vel si concordare nequeant, is, qui primò in instrumento,vel litteris procurationis, extiterit nominatus. vt in tex. Et illo admisso,alter omne ius amittit, nisi in instrumento diceretur, meliorem non esse conditionem occupantis,& quod vnus incœpisset, alterum finire posse. glos.ver.duntaxat.

§. Porro.

PROCVRATOR ad eligendum constitutus, vnum nomine suo,& vnum nomine domini sui,eligere non potest.

QVIA tota eligendi facultas,quæ erat in illo electore,est translata in istum procuratorem, per eum sic simpliciter constitutum. arg.c. super quæstionum.§ porrò. & §.si verò. & ibi glos.ver.superius.extr.de offic. deleg.Vnde iste procurator habet tam liberum votum sui constituentis, quam proprium suum. d §. si verò. & d.glos.ibidem. Et quoniam, quando quis habet ad eligendum plures voces liberas, non potest illas diuidere in diuersas partes. Gemin. hic nu.2. nam illa vota diuersa essent alternatiua,& incerta.glos.hic.ver.nihil. Et in electionibus talia vota reprobantur.supr.c.2. Ideo talis procurator nõ potest diuidere vota vt in tex. Sed qua conscientia tenetur eligere meliorem nomine suo, eadem ratione tenetur ad idem nomine sui constituentis.arg.c.sicut.dist,46.& c.quod alicui.infr.de reg.iur. Et si contra fecerit,neutrum votum valet.vt in tex.& d.glos.ver.nihil.

NISI

NISI à domino, de certa persona eligenda, speciale mandatum habeat.

QVIA per tale mandatum procurator non habet liberum votum ad eligendum, sed solum est ei demandatum nudum ministerium adstrictum ad illam personam; quæ forma mandati est ab eo ita seruanda, vt non videatur ei aliud commissum, quàm exprimere votum sui principalis. glos.ver.de certa.& infr.in §.proxi. glos. fin. Vnde cum teneatur in tali casu sequi voluntatem sui principalis, & in illo voto non procedat secundum suam conscientiam, non potest dici, quod ipse præstet vota alternatiua,& incerta. Gemin.nu.3. Et quoniam ista necessitas eligendi vnum, quem vult suus principalis, non debet ei imponere necessitatem eligendi eundem nomine proprio; cum non deceat alicui suum officium esse damnosum.supr.c.cum non deceat. Ideo in tali casu permittitur, vt vnum possit eligere nomine suo, alterum nomine sui cõstituentis. vt in tex. Ex quibus nota, quod licet eligentes non possint adstringi ad eligendam certam personam, vel de certo genere.supr.c.venerabilem; bene tamen potest quis constituere procuratorem ad certam personam eligendam. vt in tex. Et sic patet, quod potest dari mandatum de certa persona eligenda,& de incerta. Et in hoc differt matrimonium spirituale à carnali, quia in carnali non valeret mandatum, nisi persona esset certa, nec sufficeret generale mandatum ad contrahendum matrimonium. glos.1.in c.post translationem.extr.de renunt. Expresius enim ibi agitur, quia illud contrahitur ex voluntate; sed matrimonium spirituale, quod fit per electionem, contrahitur de necesitate. Item matrimonium carnale est sacramentum, sed spirituale, non. Item ibi quæritur, quid expediat personæ, hic verò quid expediat ecclesiæ. Nec est hic tantum periculum, sicut ibi; cum hic debeat postea interuenire officium confirmatoris; & alias differentias inter matrimonium carnale,& spirituale, vide in c.tuæ.extr.de spons.Gemin.hic nu.3.

§. Absens.

CANONICVS absens (licet nullus de capitulo eius procurator esse velit, & ipse procuratorem, qui non sit de capitulo, nolente capitulo, deputare non possit) votum per litteras exprimere non potest.

QVIA in electione votum non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secrete,& sigillatim, tantummodo exprimendum. vt in tex.& extr.c. quia propter. Et quoniam si votum exprimeretur per litteras, non exprimeretur in scrutinio, licet eius publicatio fieret tantum, cum fieret etiam publicatio aliorum.glos.ver.votum. Ideo talis

expresſio voti per litteras in electione fieri non poteſt. vt in tex. nam eſſet contra formam traditam in electione facienda per ſcrutinium. d. c.quia propter.& gloſ.fin.hic. Nec obſtat ſupr.in §.proxim.vbi videtur exprimi votum ante ſcrutinium,dando,ſcilicet,mandatum procuratori de certa perſona eligenda; nam reſpondetur, quod tunc non exprimit votum,ſed dat mandatum de voto exprimendo; ſicut aliud eſt inueſtire,aliud mandare de inueſtiendo.c.ex ore.extr.de his, quæ fi.à mai.par. cap. Et ſic aliud eſt dicere; conſentio in talem; & hoc debet fieri in ſcrutinio,ſecreto,& ſigillatim. vt in tex. nam tali modo præſtatur conſenſus in matrimonium ſpirituale.d.c.quia. & aliud eſt dicere, do mandatum Titio,de tali eligendo; quia iſtud non eſt votum, nec per hoc contrahitur matrimonium; & ideo ante ſcrutinium fieri poteſt. vt ſupr. in §. prox. Sic in matrimonio carnali, aliud eſt contrahere, aliud eſt, dare mandatum de contrahendo; hinc eſt, quod qui contrahit, amplius pœnitere non poteſt; ſed qui mandatum dedit, poteſt pęnitere ante contractum.c.fin.infr.de procur.& gloſ. fin.hic. In caſu autem huius tex. ſi aliquis de capitulo non vult procurator abſentis exiſtere, talis abſens carebit voto; cum nemo ſit compellendus ad mandatum procurationis ſuſcipiendum, licet, poſtquam ſuſceperit, compellatur ad illud implendum,niſi congruo tempore illi renuntietur. l.inuitus. C. de procur. Et aliquis extraneus, inuito capitulo, ad actum electionis deputari non poteſt; cum capituli interſit, ne per extraneos eius ſecreta pandantur. vt not.in d.c. quia propter.

Cap. 47. Quoniam.

SI apparet coelectus, vel ſe opponens ei, qui confirmationem petit, ille vocabitur nominatim; aliàs fiet in eccleſia crida generalis, quod ſe confirmationi volentes opponere, veniant, peremptorio aſſignato.

QVIA vbicunque iudicium debet fieri contra vnam perſonam,vel plures; tunc ſi illæ ſunt certæ, vel de eis poteſt de facili haberi certitudo,requiritur certa, & ſpecialis citatio illarum perſonarum; ſed ſi ſunt incertæ,vel quia non apparent,vel quia ignorantur, & veriſimiliter non poſſunt ſciri, debet tunc fieri edictum generale, quod ſeruit pro citatione,vt omnes,qui putant ſua intereſſe, compareant intra terminum aſsignatum; aliàs iudicium agitatum, non ſeruata dicta forma citandi, eſt nullum ipſo iure; nec ſufficit citatio ſpecialis in caſu, quo requiritur generalis; & econtra non ſufficit generalis. vbi requiritur ſpecialis,etiam ſi dictum ſit, vt compareat omnis, qui ſua putauerit intereſſe. vt not. Bald.in authent. ſi omnes. C.ſi vt ſe ab hæred. abſti.& Francus hic.nu.2. Et quoniam aliqui ſuperiores, ad quos ſpectat confirma-

firmare electū,interdū ex cupiditate,& inordinato affectu,nō auditis illis,qui prætendebant opponere,contra doctrinam Apostoli, per repentinam confirmationem electo cito manus imponebant. vt in tex. Ideo ad obuiandum huiusmodi morbo,& fraudibus,statuitur,vt superior,qui habet electionem confirmare,debeat coelectum, aut contradictores, si qui sint,nominatim vocare; quod si non adsint tales, contra quos esset specialis citatio facienda, debeat generaliter ad ecclesiam,de cuius electione agitur,citare omnes,vt si qui sint,qui sua putent interesse, & se velint opponere, compareant intra competentem terminum, qui fuerit per ipsum superiorem peremptoriè assignatus.vt in tex.

ALITER, confirmatio facta non tenet.

QVIA non solum hic statuitur, vt hæc forma sit in huiusmodi actibus seruanda, sed etiam apponitur clausula, vt si aliter fuerit cōfirmatio impensa,illa sit irrita,& inanis,vt in tex. per quæ verba clarius exprimitur nullitas actus.vt not.in l.non dubium.C.de legib. & c.quæ contra.infr. de reg. iur. Ideo sine aliqua exceptione talis confirmatio est inualida. vt not.supr.in c. licet canon. Et solemnitas citationis,& discussionis negotij, imposita obseruanda in admissione postulationis,& in instructione facienda post præsentationem.glos.1.hic. Cum etiam in istis sit eadem ratio prouidendi,scilicet, vt non supplantentur illi,qui volunt se opponere, & obijcere pro eorum interesse contra postulatum,vel præsentatum. Gemin.hic nu.15.& 17. In collatione tamen beneficiorum, quæ simpliciter fit per superiorem, non est necessario talis solemnitas obseruanda.glos.fin.hic.quia in tali collatione non est dare medium,vt est inter electionem,& confirmationem; seu inter postulationem,& eius admissionem; aut inter præsentationem, & institutionem; nam collatio obtinet vim electionis, & confirmationis; & eodem tempore confert ius ad rem, & in re; quod non est in istis alijs actibus enumeratis; vnde non posset tunc citatio bene cadere in practica;quia, aut fieret ante collationem,& esset ante omne ius,aut fieret post, & esset post omne ius; & sic videretur facta indiscrete.Gemin.nu.18.

In Clement. Cap.1.Cum rationi.

RELIGIOSVS eligi non potest ad prælaturam non episcopalem,alterius religionis,vel habitus.



VIA rationi non congruit, vt homines disparis professionis, & habitus,simul in eisdem monasterijs socientur.vt in tex.cum secundum legem diuinam, non sit in boue arandum, & asino; nec sit induenda vestis de lana, linoq. contexta. Deuteronom.cap.22.

& ha-

& habetur extr. in c. cum causam. Et quoniam religiones non omnes conueniunt in eodem modo officiandi, viuendi, & vestiendi, & in alijs immediatis finibus procedendi.c.sane.extr.de regular. licet omnes conueniant in professione quo ad tria vota substantialia, scilicet, paupertatem, continentiam, & obedientiam. c.cum ad monasterium. extr. de statu monachor. Ideo vnus non est præficiendus ad prælaturam alterius religionis, cum in illis medijs, & studijs particularibus simul non possent bene cohærere.vt in tex.& c. in nona.16.q.7. Et vltra istam rationem disparitatis, subest etiam ratio minoris instructionis, quam vnus habet de regula alterius religionis.Zabar.hic nu.12. Et quoniam non debet assumi in magistrum, qui formam discipuli non assumpsit; nec est præficiendus, qui subesse non nouit.extr.c.cum in magistrum. Ideo non debet eligi abbas, vel prælatus ad monasterium alterius regulæ, vel habitus, ne ibi assumatur in magistrum inexpertus.d.c.cum in magistrum. Talis tamen non prohibetur, quin ex causa possit à Papa postulari. glos. ver.eligatur. quia talis prohibetur eligi, non propter eius aliquod crimen, sed propter defectum inexperientiæ præsumptæ, & propter diuersitatem particularis religionis, vel habitus, quo casu licet prohibeatur electio, non prohibetur postulatio. Abb. hic nu. 6. Ad prælaturam verò episcopalem bene eligi potest. vt in tex. quia Episcopus propter dignitatis excellentiam communicat cum omnibus religiosis; & propter vniuersalem curam diœcesis, tenetur non solum scire regulas suę religionis, sed etiam iura communia cæterorum. vt not.in d.c. cum causam. Sed licet quis non possit eligi in abbatem alterius religionis, in monachum tamen bene eligi potest. glos hic.ver.prælatum. Quod intellige cum distinctione, an sit minoris religionis, paris, vel maioris.vt not. in c.cum singula.§.penult.de præb.in 6. quia quando monachus intrat aliam religionem, conformat se illi; & sic non remanet in dispari religione, sicut remaneret prælatus, qui esset assumptus, non ad mutandam suam religionem particularem, sed ad præficiendum monasterio. Zabar. hic num.11.

SI contrafiat, est irritum.

QVIA hæc constitutio apponit prohibitionem per verba de præsenti irritantia actum contrarium, ipso facto. vt in tex. Et quoniam vbi lex prohibet sub huiusmodi verbis, actus contrarius non est per sententiam irritandus, sed est ipso iure nullus; & per sententiam sequentem solum declaratur, illum esse nullum.vt not. extr.in cap. quia propter. & l.non dubium. C. de legib. Ideo absque alia exceptione talis electio non tenet. vt in tex. & glos. in cap. quæ contra. de regul.iur.in 6.

Cap.

Cap. 2. Ne Romani.

COETVS Cardinalium, Sede vacante, iurisdictionem Papalem non exercet.

QVIA vicariatus Christi in ecclesia, solum Petro, & eius successoribus fuit datus, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Matth. cap. 16. Et, Pasce oues meas. Ioan. cap. 21. Et quoniam Cardinales successerunt in locum cæterorum Apostolorum, quantum ad statum, quo Apostoli assistebant Petro ante eorum diuisionem; sicut statui Apostolorum, in quantum fuerunt Episcopi post eorum diuisionem, successit ordo Episcoporum. vt not. in c. nullus. il 2. dist. 79. & glos. in Extrauag. execrabilis. ver. vniuersali. de præben. Ideo, cum Cardinales non successerint in personam Petri, non debent exercere auctoritatem datam Petro. vt in tex. & c. nouo. dist. 21. Nec potest dici per hoc, quod mortuo Papa, ecclesia sit sine sposo; quia sponsus, rector, & pastor est Christus; qui est caput, cuius ecclesia est corpus. glos. hic. ver. non consonam. & glos. in d. cap. nullus. licet ergo ecclesiæ tunc deficiat vicarius, non deficit principalis, qui vicariatum solum Petro, & eius successoribus dedit. Quod si Cardinales succederent, Sede vacante, in iurisdictionem Papæ, sequeretur absurdum, quod non esset necessarium Papam eligi, ex quo cœtus Cardinalium vicariam Christi haberet. d glos. hic. Nec obstat, quod collegium, siue capitulum canonicorum habeat iurisdictionem episcopalem, Sede vacante. c. cum olim. extr. de maior. & obed. Et sic videatur idem dicendum in collegio Cardinalium: nam respond. quod illis fuit per Summos Pontifices concessum, sed collegio Cardinalium fuit expresse prohibitum; & si per antiqua iura prius erat concessum, per hanc constitutionem sunt correcta. d. glos. hic. Per obitum tamen Papæ, potestas cœtus Cardinalium in nullis diminuitur, quin possit ea, quæ prius poterat; nam solum hic prohibetur, ne exerceat pertinentia ad Papam, dum viuit. Zabar ver. irritum. Nec valet argumentum Hugon. quod recitat Hostiens. extr. in c. licet. qui dixerat, Cardinales posse tunc creare Cardinalem, cum possint tunc creare Papam, quod plus est; quia regula, qui potest plus, potest & minus, est vera in eodem genere potentiæ, quando minus continetur sub pluri, aliâs non. vt not. in c. plus. de reg. iur. in 6. Sed in casu nostro potestas creandi Papam, & potestas creandi Cardinalem, non sunt eiusdem generis, nec vnum sub alio continetur. Zabar. hic. Sic videmus, quod capitulum creat Episcopum, nec tamen confert beneficia ad illius solum collationem spectantia. glos. hic. ver. potestatis. & vide Turrecr. in Summa de ecclesia. lib. 1. cap. 44.

NISI in quantum permittit Concilium Lugdunense.

Quia

QVIA potestas cœtus cardinalium est talis, qualis reperitur in iure permissa. Zabar. num.8. Et quoniam propter diuersa pericula, quæ instant, sede vacante, fuit per Gregorium Decimum in generali Concilio Lugdunensi, cœtui Cardinalium tunc permissa, & concessa particularis potestas. c. vbi periculum. eod. in 6. Ideo, cum illa non reperiatur immutata, potest per collegium Cardinalium exerceri. d.c. vbi periculum. in princ. & arg. l. præcipimus. C. de appellat. Quæ autem possint singuli Cardinales in eorum titulis, not. in c. his, quæ. extr. de maior. & obed.

NEC illud, vel eius partem, alterare potest.

QVIA lex superioris per inferiorem tolli non potest. vt in tex. & hoc maximè, cum ille inferior a tali superiore recipit potestatem. glos. ver. inferiorem. Et quoniam cœtus Cardinalium est inferior summo Pontifice, & accipit potestatem ab illo. d. glos. hic. Ideo id, quod fuit per summos Pontifices statutum, per cœtum Cardinalium mutari non potest. vt in tex. Et similiter dicendum est de Concilio, quod constitutiones Papæ non possit corrigere, vel alterare. d. glos. hic. Et ratio est; quia Concilium generale recipit potestatem, & auctoritatem a Papa. extr. c. significasti, & 9. q. 3. c. cuncta. Sed in quantum dicitur, quod inferior non potest tollere legem superioris; nota, hoc esse verum, nisi a iure reperiatur inferiori hoc esse concessum; nam populo permissum est condere leges contrarias legibus communibus, & imperialibus. l. omnes populi. ff. de iust. & iure; quod tamen de iure canonico non procedit, vt inferior contra legem Papæ, aliquid statuere possit. vt not. in c. quæ in ecclesiarum, extr. de constitut. Potest tamen inferior etiam de iure canonico, adiuuare legem superioris per pœnæ adiectionem. glos. hic. ver. tolli. Et intellige prædicta procedere generaliter; nam per consuetudinem particularem loci, bene potest lex tolli in certo loco. c. 1. de constitut. in 6. nisi lex contineret decretum irritans; quia tunc ei nulla consuetudo derogat. supr. Clement. prox. & Zabar. hic. num. 2. & sequen. Et enumerantur hic septem modi, quibus dicitur lex tolli, scilicet, modificando, corrigendo, mutando, detrahendo, dispensando, renuntiando, & addendo. vt in tex. Et singulos hic exemplificat. Ioan. Vanquel. Et cum dispensatio sit vnus modus tollendi legem, vt hic; infertur, quod inferior non possit dispensare contra legem superioris, ne tollat eius legem in parte, qua dispensat; quod tamen dic verum, nisi hoc reperiatur inferiori specialiter a iure permissum. c. vnic. de ætat. & qual. ord. in 6. & c. at si clerici. §. de adulterijs. extr. de iudic.

§. Eo

§. Eo tamen.

OFFICIVM Camerarij Papæ durat, eo mortuo.

QVIA ad officium Camerarij spectat, temporalia pauperibus erogare. glos. ver. camerarium. Et libros de redditibus pertinentibus ad cameram conseruare, & alia contra debitores cameræ exercere. Zabar. hic num. 14. & Vestrius in sua practica lib. 2. cap. 2. Et quoniam consultius est prouidendum, sede vacante, quando maius periculum vertitur propter carentiam pastoris, ne pauperes fame pereant, iuxta c. pasce. dist. 86. & ne tunc redditus temporales Romanæ Ecclesiæ negligantur, eius principe extincto, cum spiritualia sine temporalibus diu subsistere non possint. c. cum secundum. extr. de præben. Ideo statuitur, ne, sede vacante, Camerarij officium expiret, cum tunc sit illud magis necessarium. vt in tex.

SICVT etiam officium Pœnitentiariorum.

QVIA tam maior Pœnitentiarius, quam alij Pœnitentiarij minores sunt deputati a Papa ad absoluendum in foro conscientiæ in causis arduis, & Papæ reseruatis, iuxta particularem facultatem eis concessam. Zabar. hic num. 17. & Vestrius in sua practica. lib. 1. cap. 2. Et quoniam vbi vertitur animarum periculum, est maxime inuigilandum. c. ne pro defectu. extr. eod. & præcipue est curandum, ne, sede vacante, patiantur detrimentum. c. vnic. in fin. ne sede vacan. in 6. Cum anima sit cunctis rebus pretiosior. l. sancimus. C. de sacrosanct. eccl. Et quando maius periculum vertitur, cautius est prouidendum. c. vbi. de elect. in 6. Ideo, ne, quando deficit Papa propter mortem, deficiant pœnitentiarij propter auctoritatem cessatam, statuitur, vt eo tempore officium pœnitentiariorum, tam maioris, quam minorum, non expiret. vt in tex. Et ob id, si maior pœnitentiarius, cum sit Cardinalis, non vult ingredi conclaue, potest foris remanere ad istud officium personaliter exercendum. glos. vers. maiorem.

QVI si deficiant, poterit cœtus Cardinalium pro tempore vacationis alios subrogare.

QVIA cum ipsi pœnitentiarij minores sint ex diuersis linguis electi, ad audiendum eos, qui ex varijs mundi partibus ad se confitendum, ad eos accedunt, & solent esse numero quindecim, Zabar. num. 17. qui per maiores Vrbis Ecclesias deputantur, nempe in Ecclesijs Sancti Petri, Sancti Ioannis, & Sanctæ Mariæ Maioris. Vestr. d. c. 2. Et quoniam sicut prouidetur ad salutem animarum ad eos accedētium, vt eorum officium duret, sede vacanre; ita erat prouidendum, vt aliquo eorum, eo tempore, deficiente, posset ei alius subrogari. arg. c. ec-

 clesia

clesia.extr. vt lite pend. Ideo conceditur collegio Cardinalium, vt, sede vacante, posſit pœnitentiarios ſubrogare, (& etiam numerum eorum ampliare, ſi hoc cętui Cardinalium concorditer videbitur expedire.) vt in tex. Et ſimiliter ſtatuitur in fauorem fidei, vt officium Inquiſitoris hæreticæ prauitatis non expiret, mortuo Papa. c. ne aliqui. de hæret. in 6. Vnde in iſtis Officialibus ſpeciale eſt, vt eorum delegatio duret, etiam poſt mortem delegantis. gloſ. hic ver. expirare, quæ refert opinionẽ aliquorum tenentium, quod Camerarius, Mareſchallus, & Auditor Cameræ habeant, iuriſdictionem ordinariam. Quod ſi verum eſſet, illorum officium duraret de iure communi, etiam mortuo Papa. arg. c.2. de offic. leg. in 6. Sed quoniam communiter tenetur, quod in Curia Romana, nullus habet ordinariam, niſi Papa. gloſ. 1. in Clemen. auditor. ſupr. tit. prox. & Archid. in c. experientiæ. 11. q. 1. dicit, ita interlocutum fuiſſe Bonifatium Octauum. Ideo verior opinio cenſetur, quod iſti habeant delegatam, ſed quod ex ſpeciali conceſſione, per mortem delegantis non expiret. Zabar. hic num.13.

DETERMINAT de diœceſi intelligi id, quod in Concilio dicitur de territorio, & diſtrictu.

QVIA licet propriè loquendo, ſit differentia inter ea, quæ per iſta nomina ſignificãtur; nam diœceſis dicitur reliquum territorium, præter ciuitatem, quod ſpectat ad gubernationem epiſcopi, qui præeſt ciuitati. c.Rodulphus. extr. de reſcript. & c. quamuis. de præb. in 6. Et dicitur diœceſis, quaſi diſiunctio, ſeu diuiſio, quia eſt diuiſa ab alterius epiſcopatu. c.epiſcopum. 7. q. 1. Et territorium eſt vniuerſitas agrorum intra fines cuiuſque ciuitatis, dictum ab eo, quod magiſtratus eius loci intra eos fines terrendi, id eſt ſummouendi, ius habent. l.pupillus. §. territorium. ff. de verb. ſignific. Diſtrictus verò compræhendit omnem locum, qui per aliquam ciuitatem diſtringitur, ſiue ſit comitatus, ſiue caſtrum. vt not. Felin. in c. licet. in 1.notab. extr. de probat. Sed quoniam iſta nomina territorij, & diſtrictus, potius oſtendunt diſtinctionem temporalem, quàm eccleſiaſticam, & ſæpe per dominorum temporalium mutationes, eorum fines variantur. gloſ. hic ver.diœceſim. Et ad tales mutabilitates eccleſiarum ſtatus non debet immutari. c.1. diſt. 10. & extr. de relig. dom. cap.1. Ideo declaratur, quod ea, quæ ſtatuuntur obſeruanda, per c.vbi periculum. eod. in 6. quando Papa extra ciuitatem, in qua cum ſua curia erat, moritur, circa ſucceſſoris electionem celebrandam in ciuitate, cuius illa ſunt territoria, vel diſtrictus, intelligantur dicta de diœceſi, quæ ſub nomine territorij, vel diſtrictus, in tali caſu fuit expreſſa. vt in tex.

STATVIT, moriente Papa extra curiam, ipſius electionem fieri debere in loco, vbi erat cauſarum, & litterarum audientia.

QVIA

QVIA principalius membrum curiæ Romanæ est audientia causarum, & litterarum apostolicarum expeditio. Bonifat. de Vital. hic. Et quoniam vbi est curia Papæ, ibi fingitur esse Papa (licet tunc sit extra curiam) propter animum proximè redeundi ad illum locum.c.legimus. prope fin.dist.93.& c.præsenti.§.loca.de præb.in 6.nam non videtur discessisse,qui est proximè reuersurus. c.diuortium. de pœnit.dist.1.& l.ex facto,la grande.ff.de hæred.institut. Et cum electio futuri Pontificis regulariter fieri debeat, vbi immediatus prædecessor obijt.vt in tex.& d.c.vbi periculum.§.hoc sacro. Ideo, si Papa moritur extra curiam,censetur mori,vbi,dimittendo familiam, videtur domicilium retinere, & in eo loco, in quo ipse censetur mori,eius successoris est electio facienda, vt in tex.

LICET suspensa.

QVIA licet prædicta audientia causarum,& litterarum,tempore mortis Pontificis vacare noscatur,vt in tex. non tamen assumpsit aliam qualitatem, per quam videatur à primo statu recessisse. glos.ver.vacare. Ideo propter retentionem prioris status habitu, licet non actu, idem operatur quo ad eius considerationem in electione facienda,sicut si actu illum priorem statum retineret. d.glos.hic.sicut mulier vidua vacans denominatur à dignitate prioris mariti, donec alteri nupserit.l.filij.§.vidua.ff.ad municipal.& l.cum te.C.de nupt.

NISI prius ordinatum esset, de curia transferenda.

QVIA in tali casu cessat ratio de animo redeundi, propter quem Papa mortuus censebatur esse in curia, vt dictum est superius. Ideo tunc non habetur in consideratione locus ille; sed Papæ destinatio, siue deliberatio de curia transferenda, habetur pro opere consumato,ac si esset translata. Anchar.hic nu.5. Paria enim censentur aliquid in esse consistere, vel in eo statu esse, qui de proximo rem producit in esse,l.fin.C.quib.ad lib.procl. non lic. & quod not. de laico clericando,in c.2.de institut.in 6. Et regulariter, quando sit verum, quod deliberatio, siue destinatio, idem operetur, quod operis consumatio, tractat Bart.in l.cætera.§. sed si parauerit.ff. de legat.1. Vnde, ex quo Papa non censetur tunc mortuus vbi erat curia, cessat fictio, & habet locum realitas facti,vt electio sit facienda in ciuitate,in cuius loco Papa corporaliter mortuus est. vt in tex. iuxta ea, quæ statuuntur per d. c.vbi periculum.§.porrò.

§. Porrò.

SI Cardinales, electione Romani Pontificis non dum facta, omnes simul,vel successiue,contingat exire conclaue deputatum eisdem, hi

(ad quos pertinet executio constitutionis . vbi periculum.) illos quamcito poterunt, reintrare compellant .

QVIA sicut Cardinales, postquam sunt in Conclaui, expedire electionem compelluntur indirectè per subtractionem victualium, iuxta formam traditam per d. c. vbi periculum . ita, & fortius debent cogi per easdem personas, vt ingrediantur ab initio, vel si sunt egressi, vt iterum ingrediantur; cùm non debeat esse melior conditio Cardinalium non parentium, & non se offerentium ad ingrediendum conclaue, quam se offerentium, & ingredientium . Zabar.nu.29. & arg. c.1.extr.de postul. præl. Sed quoniam in hoc casu egressionis non erat specialiter prouisum per d c.vbi periculum, nec per alia iura. Ideo prouidetur per hanc Clementinam, apponendo easdem pœnas contra istos inobedientes, quæ per d.c.vbi periculum. apponuntur contra ingressos, electionem non expedientes. vt in tex.

NISI excusentur propter infirmitatem, aut aliud impedimentum corporale .

QVIA non est imputandũ ei, qui non facit, quod alias facere tenetur, si per eũ nõ stat, quo minus faciat. c.si autem.extr.de rescript. & c.anteriorum. §. ad hoc.2.q.6. Et quoniam qui propter infirmitatem, vel aliud iustum impedimentum corporale, non ingrediuntur, vel ingressi egrediuntur, non sunt in culpa, nec stat per eos, quin faciant debitam electionem. vt in tex.& d.c.vbi periculum. §.fanè. Ideo his impedimentis detenti non sunt compellendi, nec omnes, nec aliqui, conclaue supradictum ingredi. glos.ver.compellant, & Zabar.nu.29.

§. Cæterum.

STATVIT, Cardinales per exceptionem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ab electione non repelli .

QVIA prolixa Romanæ Ecclesiæ vacatio, grauibus est onusta dispendijs, & multis plena periculis. d.c.vbi periculum. in princ. Et quoniam si permitteretur, vt istæ exceptiones possent opponi, possent insurgere dissensiones, & schismata, per quæ celeris, & necessaria Romani Pontificis electio protraheretur. vt in tex.& glos.ver. cæterum . Ideo, vt remoueatur inter Cardinales eligentes dissidendi facultas, statuitur, vt nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti prætextu, valeat à Romani Pontificis electione repelli . vt in tex. sicut enim statuitur, vt electus à duabus partibus sit Papa, nulla exceptione obstante. extr.c.licet. Et quod Papa bene possit accusari de hæresi. c.si Papa. dist. 40. sed non possit contra eum excipi, vt ab electione repellatur, vt not. Innoc. in d.c.licet. ita statuitur, vt supradi-

prædictæ exceptiones non posśint opponi contra Cardinales electores, ne prætextu earum impediretur electio. Zabar. §. cæterum.

§. Verum.

ELECTOS, & alios, qui mittere, vel ire tenentur ad curiam, adstringit ad id, Sede vacante.

QVIA licet, Sede vacante, nihil sit innouandum. c. 1. extr. ne sede vac. & videatur frustra esse accessus, cum non sit tunc viuus superior, coram quo est comparendum. arg. l. arbiter calendis. ff. de arbitr. vbi mors iudicis excusat citatum, si non venit eo tempore, quo venire debebat; & ob id viderentur excusari, si non venirent, Sede vacante, qui aliàs ad veniendum, & coram Papa comparendum tenerentur, vt sunt illi, quos notat hic glos. penult. Tamen quoniam tam ex prouisis remedijs per hanc, & alias constitutiones super hoc editas, quam ex orationibus ad Deum super huiusmodi negotio effundendis, quod breuiter huiusmodi celebretur electio, præsumendum est probabiliter, & sperandum. quod illa de breui sit futura. vt in tex. Ideo statuitur, vt electi, & alij, qui ex quacunque causa ad Sedem Apostolicam venire, vel mittere, sunt adstricti, ad ipsam, cum vacat, ac si non vacaret, venire, vel mittere teneantur. vt in tex. Quid enim potest diuinare adstrictus ad veniendum, quando sit Papa creandus? cum enim posśit omni die creari; ideo omni die debet esse paratus, qui adstrictus est, ad causam prosequendam. Nec obstant prædicta de Sede vacante, & de iudice defuncto; quia tales non veniunt, vt aliquid innouent, Sede vacante, & judice defuncto; sed vt sint parati, Papa creato. glos. ver. verum. sicut is, qui comparuit, iudice impedito, debet expectare, & non repente recedere, aliàs censetur contumax. vt not. Innoc. in c. calumniam. extr. de. pœnis Propter expeditionem enim ecclesiarum, & aliorum negotiorum, melius est, prius accedere, quam postea differre. Anchar. hic num. 1. arg. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess.

Cap. 3. Causam.

APPELLATIO causam beneficialem deuoluit ad curiam, si fiat præsente parte, vel eius speciali procuratore, vel si eisdẽ, quamcitius commode poterit, fuerit intimata; & si nequeunt inueniri, tunc fiat in domo habitationis appellati, si non est remota; sed si est remota, fiat in ecclesia cathedrali, sub qua est beneficium, de quo agitur; & vtroque casu fiat in beneficio, de quo agitur, id est, tam in casu, in quo fit ad domum habitationis, quàm in casu, in quo fit in ecclesia cathedrali.

Quia

QVIA ista appellatio habet vim citationis peremptoriæ. vt not. in c.sæpe.extr.de appellat. ita quod non veniens in termino iuris habetur contumax,& proceditur contra eum in causa principali,vt contra contumacem,etiam ad difinitiuam.glos.hic.ver. tempus. & Innoc.in c.1.eod.in 6. Et quoniam esset absurdum,contumacem censeri ignorantem,cui appellatio intimata non esset.glos.ver.deuoluta. Ideo vt appellatio possit verisimiliter ad appellati,seu eius procuratoris, notitiam peruenire,statuitur iste ordo,illam intimandi.vt in tex. Qui ordo ita est de necessitate seruandus, vt si non fuerit seruatus, reddat appellationem nullam.arg.c.cum dilecta.extr.de rescript.Anchar. hic nu. 10. Sed dices, istud cap. videtur limitare multa iura,quæ volunt,quod sine ista solemni intimatione, appellatio sit legitima, si interposita fuit ex causa probabili,& in scriptis.vt extr.de appell.c. vt debitus. & supr. eod.in 6.c.quamuis,& similia. Respondetur, quod quælibet appellatio deuoluit, si fuerit interposita, vt dicitur in iuribus allegatis in contrarium, quo ad hoc, vt fiat commissio ipsius causæ deuolutæ extra curiã; sed quo ad hoc,vt causa beneficialis tractetur in curia, & non extra, requiruntur solemnitates,quas statuit hoc cap. Et hinc est,quod vbi est appellatum ad curiam,si causæ non debent ibi necessario ventilari, sufficit mittere procuratorem ad impetrandum, & contradicendum. vt c. Nicolao.extr.de appell. Sed quando causa beneficialis est taliter deuoluta, quod debeat ibi necessario agitari, debet mitti cum sufficienti mandato ad agendum,& defendendum,& cum actis,& munimentis. vt in c.1.eod.in 6. Statuuntur autem istæ maiores solemnitates in talibus causis remanendis in curia; quia propter multitudinem causarum, & negotiorum,quæ ad curiam confluunt ex toto orbe,esset maius periculum,ne à parte tunc fieret alteri parti aliqua fraus circa beneficium obtinendum,nisi cautius prouideretur. Zabar.nu.3. Vnde aliquis detineret beneficium sine canonica institutione, quod esse non debet. c. 1. de reg.iur.in 6.

§. Verum.

SI propter metum, vel potentiam appellati, vel suorum, non potest intimatio fieri sub forma præmissa, sufficit, quod fiat solemniter in loco publico, de quo ad appellati, vel eius procuratoris notitiam possit verisimiliter peruenire.

QVIA sicut prouidetur appellato per meliorem modum, quo fieri potest,vt ad eius notitiam perueniat appellatio, ne ignoranter contumax reputetur,vt dictum est superius; ita est prouidendum appellanti,ne propter sui aduersarij,vel suorum,metum,& potentiam, appellationis commodo priuetur. Clement. pastoralis. de re iudic. Et quoniam nemo tenetur coram aduersario suo tyranno, nec in loco sibi

non

non tuto, comparere, d. Clem. pastoralis. Ideo ad prouidendum tam appellato, quam appellanti, meliori modo, quo fieri potest, in casibus, in quibus non potest intimatio fieri secundum ordinem superius præscriptum, & ex natura causæ intimatio illa esset facienda, statuitur, vt fiat solemniter in loco publico, vt etiam sic possit verisimiliter ad notitiam appellati, vel eius procuratoris peruenire. vt in tex. Et sibi imputet appellatus, si ei non fit intimatio in clariori ordine priori, ex quo ipse, & sui, incutiendo aduersario timorem, sunt in causa, l. 1. §. Sed & si quis. ff. quod vi, aut clam. Nec est aliquid appellanti imputandum, ex quo non stat per eum, quin priorem ordinem seruet. c. cum accepimus. & ibi glos. fin. extr. de eo, qui mitt. in possess. Vnde sufficit, quod faciat, quod in eo est, vt quia intimat in loco publico. Zabar. num. 21. Iudex autem arbitrabitur ex coniecturis, an talis intimatio potuerit verisimiliter ad appellati, vel eius procuratoris notitiam peruenire Zabar. nu. 25.

NON seruatis præmissis, intimatio non valet.

QVIA præmissus ordo appellationem huiusmodi intimandi, traditur pro forma in ipsa intimatione per appellantem obseruanda. Anchar. num. 10. Loquitur enim hæc constitutio, quo ad talia per verba præceptiua, scilicet, volumus; & ponit clausulam irritantem contraria, scilicet, aliter facta non teneat, vt in tex. Et quoniam actus gestus cōtra formā, est nullus, c. cum dilecta. extr. de rescrip. Et vbi apponitur clausula irritans, ad inualidandū contraria, non est opus, vt annullentur per exceptionē, vt not. supr. in Clem. 1. Ideo intimatio aliter facta, quā hic statuatur in huiusmodi causis, omni caret iuris effectu, vt ī tex.

NEC causa deuoluitur.

QVIA appellator, qui præmissa in huiusmodi causa non obseruat, reputatur non appellans. vt in text. & glos. ver. deuoluta. Ideo non debet gaudere beneficio deuolutionis, quæ fit per appellationem rite interpositam. cap. 1. de appell. in 6. Sed licet intimatio sit necessaria ad hoc, vt fiat deuolutio ad curiam, non tamen est de substantia appellationis, d. glos. hic. Nam omnia, quæ sunt de substantia actus, debent explicari simul cum actu. extr. cap. quia propter, & l. cum hi. §. si prætor. ff. de transact. Sed appellatio, & intimatio, non simul explicantur, cum appellatio debeat fieri intra decem dies. cap. concertationi. de appell. in 6. Et intimatio ista potest interuenire intra mensem post appellationem interpositam. vt in text. Vnde etiam intimatione indebitè facta, poterit appellans super appellatione sua, extra curiam iudicem impetrare. d. glos. hic. Item potest appellatus, licet appellatio sibi non fuerit intimata, venire ad curiam, & prosequi appellationem, dummodo de ea constet, etiam inuito appellante, nam hæc intimatio est introducta in fauorem appellati, vt dictum est superius, non autem in fauo-

in fauorem appellantis, qui proprium factum ignorare non debet. l. fin. ff. pro socio; & ita tenet Rota in nouis, decis. 40. quæ incipit, fuit dubitatum, & 44. Quæ incipit, voluerunt domini. Ideo talis intimatio est de necessitate præcepti ad validandam appellationem huiusmodi causæ remanendæ in curia, non autem est de necessitate formali ipsius appellationis. d. glos. hic. Ordo verò obseruandus in ipsa intimatione, vt scilicet prius fiat vni personæ, quam alteri, & prius in vno loco, quam in altero, est de necessitate formali ipsius intimationis, vt dictum est superius.

NISI aliunde plena, & certa notitia appellationis ad appellatum deuenerit.

QVIA eum, qui certus est, vlterius certiorari non oportet. cap. eum, qui. de reg. iur. in 6. Ideo si appellatus habuit certam, & plenam notitiam de huiusmodi appellatione, intra tempus assignatum ad illam intimandam, talis notitia debet operari, ac si appellatio ei fuisset solemniter intimata. vt in text. & glos. ver plena. Vbicunque enim requiritur intimatio alicuius actus, etiam quod requiratur cum solemnitate, sufficit scientia, seu notitia certa, & plena illius actus intimandi, nec requiritur necessario intimatio, data notitia. Clemen. sæpè, & ibi glos. ver. pronuntiatio, & ver. clarior. de verb. sign. Quod intellige, quando intimatio est facienda ad finem simplicis notitiæ habendæ, vt in casu huius text. Secus si requiratur etiam ad alium effectum, puta, vt veniat ad defendendum denuntiantem, vt notat Dynus in cap. cum quid. de reg. iur. in 6. & Bart. in l. emptor. C. de euiction. Vel dic, quod aut requiritur, non solum intimatio, sed etiam requisitio ad aliquid faciendum, & tunc non sufficit notitia sine intimatione, & ita loquitur, cap. fin. de empt. & vend. Sed si requiritur sola intimatio, vt est in casu huius text. sufficit notitia sine intimatione glos. fin. hic & Abb. in fine.

PRAEDICTA forma intimandi, est obseruanda etiam in alijs casibus, in quibus requiritur intimatio facienda.

QVIA non solum in causis beneficialibus, de quibus dictum est superius, sed in omnibus causis, in quibus fit intimatio, illa fit ad effectum, vt pars intimata certioretur de statu causæ, & possit dicere de iure suo. Zabar. hic in fin. Et quoniam prędictus ordo intimādi, est rationabilis, & cum maxima æquitate excogitatus ad deducendum statum causæ in notitiam appellati, vt dictum est superius. Ideo etiam in alijs casibus, in quibus requiritur intimatio facienda, præcipitur, vt obseruetur dicta forma intimandi. vt in tex. Loquitur enim hic per verbū, volumus, quod est pręceptiuū. Zabar. in fine. Et lex præceptiua est de necessitate seruanda ad validitatē actus. l. non dubiū. C. de legib. & ad materiam huius cap. vide Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 10.

Cap.

Cap.4. Constitutionem.

DECRETALIS, vt circa.locum non habet, cum appellans ius suum, vel ecclesiæ, directè prosequitur.

QVIA decretalis illa dicit, & statuit, quæ sint obseruanda, quando appellans obijcit defectus in formam electionis, vel crimina in personam electi. vt in tex. & d. c. vt circa. eod. in 6. Et quoniã quando appellans prosequitur directè ius suum, non dicitur principaliter obijcere in formam, vel in personam, licet obijciat indirectè, & secundario. glos. ver. directè. Ideo ex illis, quæ statuuntur obseruanda, quando appellans obijcit in formam, vel in personam, non potest inferri, quod eadem sint obseruanda, quando talis prosequitur directè ius suum, vel ecclesiæ. vt in tex. Ex diuersis enim non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Et denominatio causatur ab effectu directo, non à secundario. Zabar. nu. 1. Quando autem dicatur prosequi directe ius suũ, vel ecclesiæ, exemplificat. glos. ver. ecclesiæ. & ver. opponentis.

SED cum in formam, vel personas, opponit crimina, vel defectus.

QVIA illa decretalis ad hoc fuit constituta, vt præcluderet viam malitijs, quæ per appellantes committebãtur circa ea, quæ obijciebant contra electionis formam, vel personam electi, ex quibus obiectionibus causabatur, vt sæpe diutius vacarent ecclesiæ, cum multo detrimento illarum. d. c. vt circa. Ideo in illis casibus erit talis constitutio obseruanda, vt in tex. cum non reperiatur immutata. c. constitutio. eod. in 6. & l. præcipimus. C. de appell.

QVORVM circunstantias si non specificat, super illis nõ auditur.

QVIA talis obijciens tenetur iurare omnia, & singula, quæ opponit, esse vera & se posse illa probare. d. c. vt circa. Et quoniam est prouidendum, vt ante iuramentum bene quis deliberet, super quibus velit iurare, ne subeat anceps periurium l. videamus. ff. de iureiur. Et est aduertendum, ne talis valeat in incertum vagari, & ad libitum sua verba mutare. arg. c. vnic. de postul. præl. in 6. Ideo ad obuiandum periurijs, & malitijs, quæ possent circa talia committi, fuit statutum, vt omnia, & singula exprimantur, quæ iste appellans intendit obijcere in formam, vel in personam, & quod iuret se credere illa esse vera, & se posse ea probare. vt in d. c. vt circa. Circunstantiæ autem illæ sunt tempus, locus, & alia, de quibus habetur in c. tuæ. extr. de procur. & in l. libellorum. ff. de action.

ETIAM, si iuret illas didicisse de nouo.

QVIA talis tenetur à principio exprimere omnia, quæ opponit; & iurare se credere illa esse vera, & se posse ea probare; vt dictũ est superius. Et quoniam iuramentum illud non posset stare simul cum alio iuramento, in quo diceret, se tales circunstantias didicisse de nouo; cum discere de nouo arguat falsitatem prioris iuramenti, in quo iam dixit, se illas scire, se credere esse veras, & se posse eas probare. glos. ver. de nouo. Ideo talis appellans si non specificauit huiusmodi circunstantias à principio, non est postmodum audiendus, etiam si per iuramentum asserat, ad se illas peruenisse de nouo. vt in tex. Nec obstat d. c. vt circa. vbi super non oppositis auditur appellans cum iuramento, quod illa de nouo peruenerint ad ipsius notitiam; ergo idem videatur dicendum de circunstantijs non sufficienter expressis. Nam respondetur, quod vbi non oppono, quod ignoro; vel quod scio, sed non credo, me posse probare, nullum vitium est; ideo est iustum, vt postmodum admittatur cum iuramento. vt in d. c. vt circa. Sed vbi oppono, & circunstantias non exprimo, vitium est; quia non debite oppono, vt in tex. Ideo in illo casu quis admittitur cum iuramento ad probandum ea, quæ nullo modo expressit, non autem admittitur in isto casu, in quo circunstantias non sufficienter expressit. d. glos. ver. de nouo. Vnde interdum expedientius est, in totum veritatem tacere, quam non perfectè dicere. Io. Andr. hic.

NEC etiam in eadem causa super illis auditur alius non appellans, & prosequens commune, non proprium interesse.

QVIA si appellans posset submittere alium, quasi suum pædagogum in eadem causa sibi adhærentem, qui clarè formaret, & exprimeret per eum male formata, & insufficienter expressa, inutilis esset, & derisoria quo ad hoc prouisio decretal. vt circa. cum sic posset ille consequi ex persona adhærentis id, quod non potest ex persona sua. glos. ver. articulos. Et quoniam dicta decretal. fuit edita ad obuiandum malitijs, quæ circa oppositiones faciendas in electione contra formam, vel personam, occurrere possent. d. c. vt circa. Ideo statuitur, vt sicut ipse appellans non potest articulos non specificatos prosequi, ita non possit alius tertius ei adhęrens. vt in tex. & d glos. articulos. Nec obstat, quod prima facie videatur iniquum, quod vnus prosequi non possit id, à quo repellitur alter propter ineptitudinem propositionis, vel defectum proponentis; & quod videatur graue, quod negligentia, vel culpa vnius male exprimentis noceat alijs habentibus æquale interesse, cum non debeat aliquis alterius odio prægrauari. c. non debet. de reg. iur. in 6. nam respondetur, quod hoc est verum, nisi causa subsit, vel ille, qui grauatur, sit etiam ipse in aliqua culpa, vt per glos. in d. c. non debet. Modo in isto grauamine, quod per appellantem infertur alteri, subest causa, scilicet, ne ipse appellans consequatur ratione adhęrentis

id, quod

id, quod non potest consequi ratione sui; & subest culpa ipsius adhærentis, qui debebat à principio etiam ipse appellare, si volebat prosequi ius commune sibi, & alteri, qui appellauit. d. glos. ver. articulos. Ideo imputet sibi iste adhærens, cui tamen non deest aliud auxilium, quo possit prosequi ius suum, vt est via nullitatis, de qua in c. concertationi. de appell. in 6. Et prosecutio proprij interesse. vt in tex. & d. glos. hic.

POTEST tamen assistere appellanti.

QVIA per huiusmodi suam assistentiam ipse sibi consulit, ne in eius præiudicium fiat collusio super expresis, in quibus fuit forma seruata; nec per hoc contra appellatum plus consequitur appellans ex persona istius, quam habeat ex sua. vt in tex. & glos. ver. ne colludat. Ideo quod vni prodest, & nemini nocet, facile concedi potest. l. si suspecta. ff. de inoffic. testam.

APPELLANS, qui non seruat formam, etiam si appellationi renuntiat; per viã querelæ non prosequitur obiecta, nec etiã alia.

QVIA si talis admitteretur per viam querelæ, consequeretur id, quod non potest consequi per viam appellationis. vt in tex. & gl. ver. querelæ. Et quoniam, cum quid vna via prohibetur alicui, ad id per aliam viam ille non debet admitti. c. cum quid. de reg. iur. in 6. Quæ regula est vera, vbi quis repellitur, attento effectu, vt est in casu huius tex. & not. Paul. de Castr. in l. quoties. C. de iudic. & Alex. consil. 21. col. 3. in 3. volum. Secus, si repellitur, attenta via, seu modo; quia tunc admittitur alia via. vt not. in c. tuæ. extr. de procur. Ideo ex quo talis appellans non admittitur per viam appellationis, nec per viam appellationi renuntiationis. vt in tex. non debet etiam admitti per viam querelæ, ex qua idem commodum reportaret. gl. ver. querelæ. & Anchar. nu. 10.

NISI in casibus exceptis.

QVIA sicut in istis casibus exceptis, talis audiretur per viam appellationis, cum in illis non sit in aliqua culpa, nec possit sibi imputari, cur prius illos non expresserit. d. cap. vt circa. ver. nisi. Ita debet audiri, & admitti per viam querelæ, in qua est eadem ratio. glos. ver. præterquam. Casus autem isti excepti sunt tres, scilicet, si aliquid postea emerserit, si super antiquis superuenerit probandi facultas, si aliqua antiqua in opponentium notitiã de nouo peruenerint, quæ appellantes tempore appellationis emissæ verisimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorauerint, d. c. vt circa, in d. ver. nisi.

OMISSIO formæ licet appellantem à probatione repellat, non tamen infirmat probationem super his legitimè factam aduersarij confessione, vel aliter.

QVIA ad officium superioris spectat examinare electum, etiam nemine opponente, extr. cap. cum nobis. Cum ipse debeat aduertere, ne infamibus pateant portæ dignitatum. cap. infamibus. de reg. iur. in 6. Ideo licet ipse appellans, qui non seruauit formã, non possit in causa ad suum commodum prosequi vlterius; non tamen impeditur iudex, si ei constiterit ex confessione electi, vel alio modo, ipsum electum esse indignum, quin ad publicum bonum eum repellere possit, Zabar. num. 21.

Cap. 5. In plerisque.

SINE speciali licentia Papæ, nullus prouidere potest ecclesia cathedrali, clero carenti, & populo Christiano.

QVIA in plerisque huiusmodi ecclesijs multos frequenter, & religiosos præsertim, improuida superiorũ prouisio ad pontificatus assumebat honorem, qui nec (vt expediret) prodesse, nec præesse (vt deceret) valentes, instabilitate vagationis, & mendicitatis opprobrio, serenitatem pontificalis obnubilabant dignitatis. vt in text. Ideo ad prouidendum contra temeritatem, tam facientium, quam vt frequenter recipientium prouisiones huiusmodi, statuitur, vt nullus de cætero, quantacunque dignitate præpollens, (nisi speciali super hoc auctoritate Sedis Apostolicæ fulciatur) de pastore prouideat cathedrali ecclesiæ sibi qualitercunque subiectæ, quæ clero careat, & subditis Christianis, vt in text.

RELIGIOSVS per prælatum licentiari non debet, vt tali prouisioni consentiat.

QVIA religiosi maximè in hoc vitio euagationis peccabant, vt in text. & eiusmodi episcopatus assumebant, vt à religione egressi, possent sæcularibus Principibus pro capellanis inseruire, vel aliorum episcoporum latas diœceses habentium, vicarias exercere. glos. ver. vagationis. Et quoniam ista vagatio redundabat in opprobrium dignitatis episcopalis, vt in text. & ex quo istę ecclesiæ non habent populum, cui talis episcopus possit prodesse, apparebat, quod appetebantur tantum ratione temporalitatis. Anchar. nu. 3. Et non licet episcopatum desiderare, vbi quis prodesse non potest. cap. qui episcopatum. 8. q. 1. Et præcipue religiosis hoc non licet, ne relinquant religionem, in qua seruiunt Deo incommutabili bono. c. licet. extr. de regular. Ideo præcipuè religiosis prohibetur, ne à suis prælatis ad hoc quisquam eorum licentietur, vt tali prouisioni consentiat, vt in tex. Dicit autem hic Zabar. num. 12. Quod religiosi sæpe non proficiunt in episcopatibus ex ignorantia iuris positiui, & ex inexperientia facti. Vnde spero, quod eis erit gratum hoc meum opus, in quo compendiose, & fundamentaliter apprehen-

prehendent iuris canonici scientiam;& ipsi per Theologiæ, & Philosophiæ studium versati,efficaciam rationum optime ponderabunt. Et ad talium euagationem euitandam,vide Concil.Trid. sess. 14.de refor. c.2.

CONSENTIENS, etiam si fuerit consecratus, priori prælato subiacet.

QVIA ad hoc, vt religiosus promotus in Episcopum, absoluatur à superioris religiosi obedientia, duo requiruntur. Primum, quod sit legitimè promotus.cap.de monachis.16.q.1. Secundum, quod sit consecratus,extr.cap.cum in cunctis. Et quoniam primum hic deficit. vt in text.Ideo talis religiosus sic ad huiusmodi episcopatum consentiens,non est à religiosi prælati obedientia absolutus.gl. ver. prælato,& Zabar.num. 17.

NEC in episcopum recipitur,nec ad aliquem honorem promouetur.

QVIA cum pœna debeat esse commensurabilis delicto, cap. disciplina.dist.45. Et cum quis debeat puniri,in quo peccauit.c.inter. de excess.prælat.Ideo statuitur,vt in tantæ ambitionis pœnam, sub religionis, aut monasterij sui prælato,talis religiosus semper sic degat humilis,iaceatque prostratus, quod nullus eidem in religione sua, vel extra,ad gradum honoris,vel administrationis cuiuslibet sit ascensns.vt in text.

QVAE contra fient,irrita sunt.

QVIA prædicta contraria fieri prohibentur, cum clausula irritante actum contrarium ipso facto, quacunque consuetudine non obstante.vt in tex.Et quoniam per huiusmodi clausulam irritantem,insurgit nullitas actus contrarij, absque ope exceptionis, vt not. supra in Clem. 1.Et per illam clausulam, non obstante quacunque consuetudine, non solum prohibentur consuetudines inductæ,sed etiam inducendæ.Zabar.infr.in c.statutum.nu.4. licet ex noua rationabili causa,consuetudo à iure damnata posset iterum introduci. Abb. infr. in d. Clem.statutum. Nam secundum temporum varietatem licet mutare iura.c. non debet.extr. de consag. & affinit. Ideo ex quo contraria sunt taliter prohibita,si fuerint facta, debent pro infectis haberi. vt in text. & l.non dubium.C.de legib.

Cap.6.Quod circa.

CAPITVLVM. quorundam.quo ad discordiam,& minoritatem numeri, intelligitur quo ad voces facti, non secundum iuris fictionem.

QVIA d.c.quorundam.statuit super electionibus religiosorum, & in illis decreuit quo ad numerum eligentium.d.cap.eod.in 6. Et quoniam

quoniam si contra tales eligentes possent opponi exceptiones, per quas secundum iuris fictionem illi, qui alias essent eligentes, in simili casu de iure communi non computarentur in numero eligentium, sæpe orirentur inter ipsos religiosos discordiæ, & eorum protraherentur electiones. Anchar. num. 2. Ideo ad euitandum huiusmodi mala, quæ redundarent in ignominiam religiosorum, & detrimentum monasteriorum, statuitur, quod alias habens vocem de facto, in tali casu ex iuris fictione non excludatur à numero. glos. ver. quæ in facto. Sicut ex eadem causa statuitur similiter in Cardinalibus ad electionem Summi Pontificis. in Clemen. Ne Romani. supra eod. Et similiter in electione monialium. c. indemnitatibus. §. sane, & §, vt autē. eodem in 6. Et illud c. quorundam, ita esse intelligendum, per hanc constitutionem declaratur. vt in tex.

Cap. 7. Statutum.

EMOLVMENTVM ex iurisdictione, sigillo curiæ, vel alias pertinens ad prælatum cathedralis ecclesiæ, vel collegiatæ, ea vacante, reseruandum est successori.

QVIA omnes fructus, qui spectarent ad prælatum, Sede non vacante, sunt reseruandi successori, Sede vacante. cap. quia Sede. eod. in 6. vbi not. de talibus bonis, quæ ex nouis constitutionibus faciunt spolia. Et quoniam verba generalia sunt generaliter accipienda. cap. solitæ. extr. de maior. & obed. Ideo sub illa generali reseruatione omnium fructuum, veniunt etiam fructus ex iurisdictione, & sigillo, & vndecunque prouenientes, ad prælatum spectantes, qui, si viueret, præesset, vt in text. Nec obstat, quod sicut capitulum, Sede vacante, succedit in iurisdictione. cap. cum olim. extr. de maior. & obed. ita videatur, quod debeat succedere in emolumento inde proueniente, per reg. qui sentit. de reg. iur. in 6. Nam respondetur, quod illud regulariter est verum, nisi ex causa quis prohibeatur ab emolumento. glos. in d. cap. qui sentit; modo capitulum ex causa prohibetur à tali emolumento, nam si, Sede vacante, canonici perciperent emolumēta iurisdictionis, non curarent solicite, vt tenentur, prouidere de successore. glos. hic. ver. declaramus. Vnde non semper, qui sentit onus, sentit commodum, præsertim quando ille, qui administrat, potest sentire illud onus cum paruo incommodo, & vnū potest separari ab alio. Zabar. hic nu. 4. Sicut tutor administrat bona pupilli, non tamen facit fructus suos. l. à tutoribus. §. principalibus. ff. de adminis. tutor. Et sicut commendatarius beneficij, qui habet onus, & tamen non facit fructus suos. vt not. Innocentius in cap. dudum. il 2. extr. de elect. Et ista prohibitio habet locum, quando emolumentum illud potest reseruari successori sine præiudicio capituli; nam in casu, quo capitulum haberet emolumentum indiuisibile cum prælato, ne capitulum priuetur iure suo sine culpa, succedit in illud emolumētum commune vtri-

ne vtrique. Zabar. hic nu. 6. Et ob id capitulum succedit, Sede vacante, in collatione beneficiorum communiter spectante ad episcopum, & capitulum, licet non succedat in collatione spectante solum ad episcopum. c. vnic. ne Sede vacan. & c. fin. de regular. in 6.

NON obstante consuetudine.

QVIA talis consuetudo tenderet in praeiudicium ecclesiarum, dum causaret longam vacationem illarum, vt dictum est superius. Et tolleret fructus praelati successoris sine eius culpa. d. c. quia saepe. Ideo tanquam irrationalis, est extirpanda, c. 1. & c. fin. ext. de consuet.

DEDVCTIS expensis.

QVIA nemo est cogendus suis stipendijs militare. c. cum ex officij. extr. de praescript. Sed qui sentit commodum, debet sentire incommodum, d. c. qui sentit. Ideo si rationabiles expensae sunt faciendae, per quas procuratur vtilitas ipsius praelaturae, vel alio modo spectant ad praelaturam, non ex bonis aliorum, sed ex bonis praelaturae, sunt deducendae, vt in tex. & Zabar. nu. 8.

NISI tunc certae dignitati competat iurisdictio, cum ipsius emolumento.

QVIA quando certa persona succedit in istud emolumentum, siue illa sit de collegio, siue sit extra ratione dignitatis, non est periculum, vt illa possit protrahere electionem praelati. Zabar. nu. 12. Cum non ad aliquem canonicum particularem, neque ad aliquam dignitatem, sed ad totum capitulum, vel ad eius maiorem partem, spectet eligere praelatum. cap. dudum il 1. ext. de elect. Ideo cessat ratio, per quam capitulum prohibetur, ne, Sede vacante, percipiat ex iurisdictione emolumentū, vt dictum est superius. Et remanet ius commune, vt sicut contra praelatum possunt, tam canonicus particularis, quàm dignitas extra capitulum, praescribere iurisdictionem. cap. de quarta. & cap. cum olim. extr. de praescript. ita possint praescribere emolumentum, siue aliud accessorium ex iurisdictione proueniens. Anchar. in fine.

Cap. 8. Cum concessa.

CONCESSIO licentiae generalis religioso, de consentiendo electioni factae, vel fiendae, non valet.

QVIA talis licentia ambitionis vitio viam pararet. vt in tex. Et quoniam religiosi praecipuè debent à vitio ambitionis se abstinere, ne retro respiciant ad aratrum, & appetant diuitias, & honores, quos in eorum professione contempserunt. c. quorundam. eod. in 6. Ideo prohibetur, ne talis licentia concedatur, & si fuerit concessa, statuitur, vt nullius.

nullius existat firmitatis. vt in tex. Præterea, quo ad consentiendum electioni fiendæ, etiam ex eo non potest concedi licentia; quia licentia nihil aliud est, quam gratia concessa alicui, per quam sibi licet, quod prius non licebat. Zabar.nu.8. Et quoniam rei, quæ non est, vel esse nescitur, priuilegium non conceditur.c.ad audientiam.extr.de eccl.ædific. & c. ad dissoluendum. de despons. impub. Ideo vt possit dari licentia consentiendi electioni, requiritur, quod prius sit electio facta. Zabar.nu. 12.& sic intelligitur.c.si religiosus.eod.in 6.Abb.hic.

In Extrauag. Ioan. XXII. Cap. 1. Ad onus.

ELECTI, qui pro suarum electionum negotio ad curiam venire tenentur, etiam Sede vacante, non tenentur de necessitate in ipsa curia moram trahere.



VIA ratio, quare fuerit statutum, vt electi veniant ad curiam, etiam Sede vacante, non fuit pro negotio prosequendo, durante vacantia, cum Cardinales non habeant tunc iurisdictionem confirmandi, vel infirmandi electos. Clem.ne Romani.§.fin.supr.eod. Sed fuit sic statutum, vt electi essent prompti, Papa creato, ad eorum negotium prosequendum.d.§.fin. Sed quoniam in illo interim diuersi electi ibi dispendia patiebantur, sine negotij vtilitate.glos.hic.ver.moram. Ideo eis indulgetur, vt, ex quo tales electi fuerunt prompti ad veniendum, non coartentur ad continuam moram ibi trahendam; dummodo sint parati, creato Pontifice, ad se præsentandum, & electionis negotium prosequendum.vt in tex.& d.glos.moram.

ET licet alibi morentur, nullum eis præiudicium generatur.

QVIA quod fit, lege permittente, & indulgente, damnum afferre non debet.c.indultum.de reg.iur.in 6.Et quoniam talibus electis indulgetur, vt, ex quo fuerunt prompti ad veniendum debito tempore ad curiam, non teneantur ibi, Sede vacante, permanere, vt dictum est superius. Ideo ex eorum mora in tali tempore extra curiam, non debent præiudicium aliquod reportare.vt in tex.

Cap. 2. Suscepti.

HABENTES annalia, possunt vel taxationē decimæ, vel residuū eligere intra decem dies; alias, si interim, vnā de istis portionibus non elegerint, electio ipsarum trāsit in beneficiatum, ipso iure.

QVIA

QVIA in nonnullis ecclesijs ante hanc constitutionem obseruabatur, vt fructus primi, vel secundi, aut alterius anni beneficiorũ vacantium, in eisdem defuncto, vel fabricæ, aut ecclesijs, vel personis habentibus annalia de consuetudine, priuilegio, vel statuto applicarentur in totum; ita quod illi, qui huiusmodi beneficia canonice obtinebant, & ad quos alias de iure fructus ipsi spectare deberent, nihil inde percipiebant. vt in tex. Et quoniam ex hoc illud inconueniens sequebatur, quòd commode nequibant tales beneficiati residere in ecclesijs ad debitum seruitium impendendum. vt in tex. Ideo ad obuiandum huiusmodi inconuenienti, statuitur, vt in futurum tales, qui consuetudine, vel priuilegio, aut statuto, percipiunt annalia, non amplius fructus omnes illorum annorum habeant, sed vel taxatione decimę, vel residuo, quod restat, detracta summa taxationis decimæ, sint contenti. vt in tex. & glos. ver. residuum. Hoc enim remedio sic temperato prouidetur, vt habentes fructus percipere, in totum non frustrentur effectu consuetudinis, vel statuti; & beneficiati onus seruitij sine fructu se subire non lugeant. vt in tex. & glos. in ver. volentes. Electio autem percipiendi vnam de istis duabus portionibus, datur ipsi habenti annalia, vt sic minus grauetur in eo, quod reliquum sibi aufertur; dum sibi indulgetur, vt ad libitum vnam de duabus partibus sic distinctis percipiat. glos. ver. soluere. Sed ne ista electio nimium protrahatur in damnum beneficiati, statuitur, vt nisi ille intra decem dies partem elegerit, transeat electio ipso iure in beneficiatum. vt in tex. Electio autem ista habet locum in illis ecclesijs, in quibus beneficia ad solutionem decimæ sunt taxata; in ecclesijs verò, & partibus illis, in quibus decimarum taxatio non est facta, statuitur, vt fructus, & obuentiones beneficij tunc vacantis, per mediũ diuidantur; quorum medietatem habeat is, cui annalium, per alterum de prædictis modis perceptio est concessa. Reliquam verò medietatem percipiat ille, cui beneficium est collatum, pro sustentatione sua, & alijs ecclesiæ oneribus supportandis. vt in tex. Hæc eadem constitutio habetur repetita, propter diuersa, quæ hic continentur, facientia etiam ad alios titulos, inst. in extrauag. commun. in tit. ne sede vacan. aliq. innou.

In Extrauag. commun. Cap. 1. Iniunctæ.

PROMOTI in curia non debent ad propria redire sine litteris suæ promotionis.

QVIA quam periculosum existat, quod aliquis in officio, dignitate, vel gradu, fore se asserat, & pro tali etiam habeatur, nisi prius ipse quod asserit, legitimis ostenderit documentis, tam ex ciuilibus, quam ex canonicis institutis colligitur euidenter.

vt in tex. Afferenti namque cum mandatis principis fe veniffe, credendum non eft, nifi hoc fcriptis probauerit. l. vnic. C. de mand. princ. Nec fimiliter creditur, fe afferenti Legatum. c. lectis. dift. 63. Nunquam enim Apoftolicæ Sedis moris fuit, abfque fignatis apicibus vndecunque legationem fufcipere, c. nobilifsimus. dift. 97. Sed nec dicenti fe Delegatum Sedis eiufdem, creditur, vel intenditur, nifi de mandato Apoftolico, fide doceat oculata. c. cum in iure. extr. de offic. deleg. Similiter clerici ad alienam diœcefim, fine fuorum ordinariorum litteris venientes, nec in fuis recipiuntur ordinibus, nec ad fuperiores afcendunt. c. 1. & 2. extr. de cleric. peregr. Clerici quoque, & monachi, qui de fuis ciuitatibus ad alienam vrbem proficifcuntur (nifi muniti veniant fuorum litteris prælatorum) non funt clerici, vel monachi reputandi. c. hortamur. dift. 71. & l. fi qua. §. præterea. C. de epifc. & cleric. Si quis præterea in clerum electum fe dicat, fi facerdotem fefe nominet, hoc fcrutandum eft, quia non fine periculo eft in talibus communicatio indifcuffa. c. quiefcamus. dift. 42. Et quoniam fi promoti in curia, præcipue ad epifcopatus, & dignitates, fine litteris fuæ promotionis recederent, fcandala, & pericula grauia orirentur, & fæpe dicerēt fe prælatos illi, qui non funt. vt in tex. Ideo cum in præmiffis alijs cafibus, qui minoris exiftunt periculi, fit ex diuerfis conftitutionibus iam prouifum, vt dictum eft fuperius; hic vltimus, qui pericula grauiora minatur, nequaquam fuit fine prouifionis opportunæ remedio relinquēdus. vt in tex. & ob id Bonifatius Octauus per hanc conftitutionem ftatuit, vt promoti in curia non debeant ad propria redire fine litteris fuæ promotionis; decernendo, quod fi fecus fecerint, pro prælatis, & beneficiatis non fint habendi, & quod diuerfas pœnas hic expreffas, tam ipfi, quàm eos recipientes incurrant. vt in tex.

Cap. 2. Si religiofus.

SI religiofus electus non petierit ipfe, vel eius electores, licentiam confentiendi intra tempus moderandum, pro præfentia, vel abfentia fuperioris, eft eo ipfo priuatus iure fibi ex electione quæfito.

QVIA longa ecclefiarum, & monafteriorum vacatio folet illis in fpiritualibus, & temporalibus effe damnofa. c. quam fit. eod. in 6. Et quoniam religiofus abfque fui fuperioris licentia, electioni de fe factæ confentire non poteft. vt in tex. nifi eligatur in Abbatem intra fuum monafterium in locum defuncti; nam tunc ius fibi permittit, vt abfque alterius licentia pofsit confentire. c. fi religiofus. eod. in 6. Ideo ne ecclefia, ad quam religiofus eligitur diutius vacet, ftatuitur, vt ipfe electus, vel eius electores petant, quamcitius commode fieri poteft, à fuperiore hanc confentiendi licentiam. vt in tex. aliàs, tam in pœnam ipfius electi negligentis, quàm ad prouidendum, ne ecclefia vlterius vacet, ftatuitur,

tuitur,

mittur, vt talis electus sit ipso facto priuatus iure sibi ex illa electione quæsito. vt in tex. & not. in d. c. quam sit.

ET possunt electores alium eligere.

QVIA non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, c. non præstat. de reg. iur. in 6. Et quod est nullum ipso facto, non est opus, vt per exceptionem annulletur. vt not. sup. in Clem. 1. Ideo cum electio illa non habuerit effectum, & ille electus sit, eo ipso, priuatus iure sibi ex tali electione quesito. vt dictum est superius, remanent liberi electores ad alium eligendum. vt in tex. & d. cap. quam sit. Cum enim electio non fuerit, per electi consensum legitime præstitum, completa, non potest dici, quod semel elegerint, vt not. in cap. perpetuo. eod. in 6. Et cum ipsi electores non fuerint in culpa, non debent eorum iure eligendi priuari, c. satis peruersum. dist. 56.

Cap. 3. Sancta.

QVATVOR patriarchalibus ecclesijs vacantibus, statuitur, illis non posse prouideri, Romano Pontifice inconsulto; quod si secus factum fuerit, irritum decernitur.

QVIA Sancta Romana Ecclesia, quæ, disponente domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum à Deo, vt pote, mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra, quatuor patriarchales sedes instituit, inter quas, post ipsam Romanã ecclesiam, Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, & Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere. vt in tex. & c. antiqua. extr. de priuil. Et quoniam de illarum prouisionibus, cum eas vacare contingit, tanto est accuratius cogitandum, & attentius prouidendum, quanto maioris eminent altitudine dignitatis, & periculose erraretur in prouisionibus earundem, vt in tex. & arg. cap. vbi periculum. eod. in 6. Et ex quo hodie prædictarum sedium patriarchalium ciuitates, aut sunt destructæ, aut occupatæ ab infidelibus, vel à schismaticis detinentur, ipsarum capitulis, seu conuentibus, & canonicis dispersis vndique extra ciuitates ipsas, per alias regiones, seu loca à ciuitatibus ipsis remota; vnde apparet, quod per illarum capitula non potest, his stantibus, commode, & accuratè, vt deberetur, patriarcharum electio fieri. vt in tex. Ideo Summus Pontifex Benedictus XI. per hanc decretalem, de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine, statuit, vt quandiu ciuitates ipsæ schismaticorum, aut infidelium subsunt, aut suberunt ditioni, aut detinebuntur per eos, canonici dictarum patriarchalium sedium, cum eas, vel ipsarũ aliquam, seu aliquas vacare contigerit, ad electionem, postulationem, seu quamuis prouisionem, de præficiendo sibi Patriarcha, vel pastore,

Hh 2 nullo

nullo modo procedant, quousque ad Apostolicæ sedis notitiam deducatur; vt in text. Quod si secus per prædicta capitula, conuentus, vel canonicos, aut quemuis alium, vel alios, scienter, vel ignoranter fuerit attentatum, decernitur irritum, & inane, non obstantibus quibuscunque ipsarum ecclesiarum, vel alicuius earum, consuetudinibus, statutis, priuilegijs, & c. vt in tex.

Cap. 4. Ex debito.

CVM beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, sint soli Papæ reseruata; ostendit quæ, & quorum, apud sedem vacare dicantur eandem; & primo loquitur de reseruationibus, secundo de pensionibus.

QVIA licet omnium beneficiorum ecclesiasticorũ plenaria dispositio ad Romanum Pontificem pertinere noscatur, c. omnes. dist. 22. collationem tamen ecclesiarum, personatuum, dignitatum, & beneficiorum, apud Sedem Apostolicam vacantium, specialius cæteris, antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reseruauit. c. licet. de præb. in 6. Quæ consuetudo fuit approbata per particularem constitutionem Clementis III. & per illam fuit expresse prohibitum cæteris ordinarijs, ne illa beneficia sic vacantia conferre præsumant. d. c. licet. Et quæ beneficia dicantur vacare in Curia, fuit postea declaratum per Bonifatium VIII. c. præsenti. de præb. in 6. Sed quoniam adhuc insurgebant difficultates circa dictorum iurium dispositionem, vt in text. Ideo Summus Pontifex Ioannes XXII. per hanc constitutionem dictis decretalibus Clementis, & Bonifatij, nonnulla detraxit, aliqua declarauit, & quædam addendo de nouo sanciuit, vt per ea sic disposita, celerius, & vtilius prouideatur ecclesijs, & Romanæ Ecclesiæ honor debitus impendatur. vt in text.

Liber Primus. Titulus Septimus.

DE TRANSLAT. EPISCOPI.

In Decretal. Cap. 1. Ex illo.

PATRIARCHA, qui confirmatum in Archiepiscopum, transfert ad Sedẽ Episcopalem, ab episcoporum confirmatione suspenditur.



QVIA ex illo generali priuilegio, quod beato Petro, & per eũ Ecclesiæ Romanæ, Dominus noster indulsit, dum dixit. Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo ecclesiam meam. Matth. cap.

cap. 16. Et pasce oues meas. Ioan. cap. 20. Canonica postmodum manauerunt instituta continentia, maiores ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam esse perferendas, vt in tex. Illas enim in signum priuilegij suæ præeminentiæ Summus Pontifex sibi reseruauit. c. quod. de offic. leg. Et quoniam translationes Episcoporum, & sedium mutationes, inter maiores causas adnumerantur. c. quamuis. 3. q. 6. & cap. temporis. 7. q. 1. Ideo alius, quam Papa, sine eius speciali licentia, huiusmodi translationes, & mutationes facere non debet. vt in text. & infr. cap. prox. Et quoniam pœna vnius est metus multorum, cap. quapropter. 2. q. 7. Et conueniens est, vt quis puniatur in eo, in quo peccauit. c. literas. de tempor. ordin. Ideo, vt tollatur cæteris audacia similia perpetrandi, & vt pœna sit commensurabilis delicto taliter commisso, statuitur, vt Patriarcha, qui Archiepiscopum sic transferre præsumpserit, sit ab episcoporum confirmatione suspensus, vt in tex. electus enim, & confirmatus in Archiepiscopum, talem potestatem recepit in Archiepiscopatu, vt possit omnia, quæ sunt iurisdictionis, licet ea, quæ sunt ordinis, non possit, antequam fuerit consecratus, & pallium receperit. glos. penult. hic. & inter ipsum, & ecclesiam, iam est spirituale coniugium contractum. vt infr. cap. prox.

Cap. 2. Inter corporalia.

ELECTOS in episcopos, & confirmatos, transferre potest solus Papa.

QVIA vinculum spirituale est fortius, quam carnale; nam vincula corporalia facilius destruuntur, quam construantur; spiritualia vero facilius construuntur, quam destruantur. vt in text. Et quoniam dissolutionem carnalis coniugij, quod est inter virum, & fœminam, suo tantum iudicio Deus reseruauit, præcipiens, vt quos Deus coniuxit, homo non separet. Matth. cap. 19. Et quia post electionem, & confirmationem canonicam, inter personas eligentium nomine ecclesiæ, & Episcopum electum, est spirituale coniugium contractum, vt in text. Vnde sicut matrimonium carnale non potest dissolui, nisi auctoritate Papæ, & in casibus in constitutionibus ecclesiæ contentis, vel Papæ. Innocent. hic num. 2. Non enim humana, sed potius diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse vicarium Iesu Christi) Episcopus ab ecclesia sua remouetur; & ideo hi tres modi remouendi episcopum, non tam constitutione canonica, quam institutione diuina, soli sunt Romano Pontifici reseruati, vt in tex. Et sicut episcopus consecratus, sine licentia Romani Pontificis, suam non debet ecclesiam derelinquere, sic & electus confirmatus, qui cum ecclesia iam spirituale coniugium contraxit. vt in text. Ideo, cum non sit maius vinculum

culum

culum episcopi ad ecclesiam, quam electi, maxime cum fuerit confirmatus, imò idem penitus, & non aliud, idem iuris obtinet in vtroque, vt in tex. & supra cap. prox. Et dic quod vinculum spirituale est fortius, id est dignius, quam carnale, nam matrimonium carnale in veritate fortius est, quia dissolui non potest, etiam si interueniat cõsensus Papæ, & ipsorum coniugum glos. hic ver. fortius. nisi in casu ante carnalem copulam c. ex publico. de conuers. coniug.

Cap. 3. Quanto.

EPISCOPVS, qui propria auctoritate de sua ecclesia se transfert ad aliam, carebit vtraque.

QVIA veritas in euangelio protestatur, vt quos Deus coniunxit, homo non separet. Matth. cap. 19. Et potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuit Dominus, & magister, quod soli beato Petro vicario suo, & per ipsum successoribus suis, speciali priuilegio tribuit, & concessit; sicut testatur antiquitas, cui decreta patrum sanxerunt reuerentiam exhibendam, & euidenter asserunt sacrorum canonum sanctiones. Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) ecclesiarum necessitate, vel vtilitate pensata; non humana, sed diuina potius, auctoritate dissoluit. vt in text. & supr. cap. prox. Ideo episcopus, qui propria auctoritate præsumit se dissoluere à spirituali coniugio propriæ ecclesiæ, & ad aliam se transferre, nimium improbe delinquit, vt in text. solutionem enim quærere, secundum Apostolum, non deberet 1. ad Corinth. c. 7. Et quoniam delicta sunt punienda, ne facti peruersitas transeat præsumptoribus in exemplum, vt in text. & cap. cum olim. de offic. deleg. Ideo in eius pœnam, & in aliorum exemplum, ne audeant similia committere, prohibetur, ne episcopus, qui sic delinquit, redeat vlterius ad ecclesiam, quam taliter dereliquit, & ne illam, ad quam sic se transtulit, obtinere possit, vt in text. Cum secundum traditiones canonicas, qui ad maiorem se plebem transtulerit, à cathedra repelli debeat aliena, & carere propria; vt nec illis præsideat, quos per superbiam spreuit, nec illis, quos per auaritiam concupiuit, vt in text. & cap. si quis episcopus. 7. q. 1.

Cap. 4. Licet.

SOLVS Papa transfert episcopos.

QVIA sicut legitimi matrimonij vinculum, quod est inter virum, & vxorem, homo dissoluere nequit, Domino dicente in euangelio. quos Deus coniunxit, homo non separet. Matth. cap. 19. Sic & spirituale fœdus coniugij, quod est inter episcopum, & ecclesiam; quod in ele-

in electione nunciatur ratum,in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum,sine illius auctoritate solui non potest,qui successor est Petri,& Vicarius Iesu Christi.vt in tex.& supr.c.prox.

ET indulgentia per eum super tali translatione concessa, ad litteram seruanda est.

QVIA cum talis indulgentia tollat fauorabile vinculum prioris matrimonij spiritualis,est contra ius commune,& odiosa.glos.fin. hic.& Innoc.nu.4.Et quoniam dispensatio,& ea,quę odiosa sunt, potius sunt restringenda,quam dilatanda.c.quod dilectio.de consang.& affinit.& c.odia.de reg.iur. in 6. Ideo talis indulgentia, vt stricti iuris, ad limites verborum est restringenda.vt in tex.& c.sane.de priuileg.

Liber Primus. Titulus octauus.

DE AVCTORITATE, ET VSV PALLII.

In Decretal. Cap. 1. Cum super.

INTRA quamlibet ecclesiam prouinciæ suæ, Archiepiscopus pallio vti potest.



QVIA in traditione pallij hæc forma seruatur, videlicet: Tradimus tibi pallium,vt eo intra ecclesiam tuam vtaris. vt in tex.& c.pallium.dist.100. Et quoniam appellatione ecclesiæ suæ, cum ius loquitur de Episcopo, vel Archiepiscopo,non solum potest intelligi ecclesia cathedralis,sed etiam cæteræ ecclesiæ totius diœcesis, vel prouinciæ,in quibus ipsi habent iurisdictionem. vt not.glos.1.in c.cum clerici.de verb. sign. & glos.fin.in c.fin. ne præl.vic. suas. Et quia in materia fauorabili est potius facienda lata interpretatio,quam stricta.c.odia.de reg.iur.in 6. Et concessio pallij est fauorabilis. Butr. hic nu. 9. Et interpretando nomen ecclesiæ latè pro ecclesijs totius prouinciæ,nulli fit præiudicium.glos.2.hic. Ideo talis concessio non est restringenda ad solam ecclesiam cathedralem Archiepiscopi, sed ad omnes ecclesias suæ prouinciæ est extendenda. vt in tex. & glos. 1.in d.c.pallium.

SED extra non potest.

Quia

QVIA forma in traditione rei apposita, diligenter est seruanda. l. traditionibus.C.de pact. Et quoniam dictio,intra,notat intrinsecitatem rei,cui apponitur,nec extrema actus, cui iniungitur, excedit. vt not.in l. 1.§.in publico.ff.de flumin. Ideo cum forma traditionis pallij sit,vt Archiepiscopus illo intra ecclesiam vtatur, extra ecclesiam illo vti non potest. vt in tex.& d.c.pallium.

Cap. 2. Ad hoc.

ARCHIEPISCOPVS alteri Archiepiscopo pallium suum accommodare non potest.

QVIA pallium est quid personale, & ita sequitur personam vsque ad mortem, quod ille,cui est concessum,debet cũ eo sepeliri.vt in tex. Et quoniam iura personalia non possunt ad alios transferri,nec per consequens accommodari.c.priuilegium. de reg.iur.in 6.& l. quia tale. ff.solut.matr. Ideo Pallium vni Archiepiscopo concessum, nõ potest per ipsum alteri accommodari.vt in tex.& c.1.dist.100.

Cap. 3. Nisi.

PER pallium confertur plenitudo pontificalis officij, & nomen archiepiscopale.

QVIA, licet ante pallij traditionem,electus in Archiepiscopum recipiat per confirmationem, potestatem quo ad illa, quæ sunt iurisdictionis.c.transmissam.de elect.& c.1.de transl.episc. saluo, quod est in maioribus, sicut est conuocare concilium prouinciale.cap. quod sicut.§.præterea.de elect. Potestas tamen in his,quæ sunt ordinis, ei confertur à tempore traditionis pallij.d.cap.quod sicut.& dist.100.c. quoniam. Tunc enim Archiepiscopus præstat iuramentum fidei, obedientiæ, & vnitatis Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.c.significasti. de elect. Et ei in signum plenæ executionis in his,quæ ordinis sunt; & etiam in his,quæ sunt iurisdictionis,si maxima negotia sunt, traditur pallium de corpore beati Petri assumptum.d c.significasti. & Innoc.hic. Ideo antequam hæc insignia dignitatis ei sint tradita, non potest dici in illa dignitate plene constitutus,nec illius debet assumere nomen. vt in tex.& d.c.significasti.

Cap. 4. Ad honorem.

ROMANVS Pontifex semper,& vbique vtitur pallio.

QVIA per pallium significatur plenitudo ecclesiasticæ potestatis. vt in tex.& infr.c.cum sis. Et quoniam solus Romanus Pontifex est assumptus in ecclesiasticæ potestatis plenitudinem. vt in tex. & c.inter corporalia.supr.tit.prox. Ideo solum ipse in missarum solemnijs

nijs pallio semper vtitur,& vbique. vt in tex.& dist.100.c.quoniam.

ALII in ecclesijs suis,& certis diebus tantum.

QVIA cæteri,quibus pallium confertur,vocati sunt in partem solicitudinis,non in plenitudinem potestatis.vt in tex.& c decreto. 2.q.6. Ipsa enim Romana Ecclesia,quæ prima est, ita reliquis ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatæ solicitudinis,non in plenitudinem potestatis. c. qui se scit.dist. 100. Vnde pallium in Papa significat plenitudinem officij; in alijs verò denotat præeminentiam, quam super cæteros alicuius prouinciæ, vel regni, acceperunt à Papa.Butr. hic nu.5. Ideo solum in illis ecclesijs, in quibus iurisdictionem ecclesiasticam isti acceperunt,pallio vti possunt. vt in tex. & c.pallium.dist.100. Qui verò sint dies,in quibus confertur potestas inferioribus in pallio vtendo; dic,quod sunt solemniores, quos enumerat hic glos. quæ simul ponit formam verborum, sub qua traditur pallium. Ideo non est extendendus pallij vsus vltra formam concessionis.vt supr. in c.1.& c.porrò.de priuileg.

Cap.5. Ex tuarum.

ARCHIEPISCOPVS extra suam prouinciam pallio vti non potest.

QVIA limitata concessio limitatum debet parere effectum. c.Petro,& G.de offic.deleg.& l.in agris.ff.de acquir.rer.dom.Et quoniam concessio pallij est facta Archiepiscopo cum limitatione, vt illo intra ecclesias suæ prouinciæ vtatur. supr.c.1. Ideo illius vsus nõ est extra suam prouinciam extendendus.vt in tex.& glos.ver.consuetudo, quæ notat, quod talis concessio est partim beneficium personale, nam pallium cum persona sepellitur. supr.c. ad hoc. & partim est locale,quia non transfertur eius vsus extra ecclesias illius prouinciæ. vt in tex. etiam si ille Archiepiscopus assumeretur ad alium archiepiscopatum c.bonæ. il 2.& ibi glos.fin.de postul.præl. Præterea per pallium in Archiepiscopo, denotatur præeminentia,& iurisdictio, quam habet in ecclesijs,in quibus vtitur illo.supr.c.prox. Et quoniam extra suam prouinciam Archiepiscopus non habet iurisdictionem, cum diœceses sint distinctæ,ne vnus vsurpet iura alterius.c.ecclesias.13.q.1. Ideo Archiepiscopus non potest vti illo extra ecclesias suæ prouinciæ, ne videretur ibi exercere iurisdictionem in præiudicium alterius. glos. hic. ver. permittat. Et hoc de iure communi; nam ex priuilegio, & gratia speciali, poterit vti illo etiam extra prouinciam, si à Papa fuerit talis gratia ei indulta. vt in tex. Quæ concessio esset intelligenda,dummodo is,ad quẽ ecclesia illa pertinet, hoc ei permittat. vt in tex. cum Papa non intendat lædere ius tertij,nisi id exprimat.c.licet,de offic.ordin. Cæteris ta-

men ornamentis,per quæ non designatur præeminentia in prçiudicium alterius ordinarij,possunt Episcopi,& Archiepiscopi vti vbique.Abb.nu. 7.& not.in c.excommunicatis.de offic.leg.

ETIAM si hoc habeat consuetudo.

QVIA talis consuetudo est potius dicenda corruptela. vt in text. cum sit contra formam concessionis,& in præiudicium tertij, vt dictum est superius. Ideo non est seruanda,sed extirpanda.c. cum venerabilis. de consuet.

Cap.6. Cum sis.

IN qualibet ecclesia suæ prouinciæ,permissis diebus,Archiepiscopus Missam celebrans vti potest pallio.

QVIA forma concessionis pallij est, vt intra ecclesiam suam Archiepiscopus eo vti possit. supr.c. 1. Et quoniã quælibet ecclesia sibi subiecta potest dici sua ecclesia.vt not.in d.c.1. Ideo talis cõcessio indistincte prolata,est indistincte intelligenda de qualibet ecclesia suæ prouinciæ sibi subiecta.vt in tex.& c.quia circa.de priuileg.

Cap.7. Quia.

SINE pallio,& sandalijs,potest Archiepiscopus celebrare.

QVIA pallio non potest vti Archiepiscopus, nisi diebus in priuilegio eius concessionis expressis. vt in tex. & supr.c. ad honorem. Et sandalijs solum vtuntur Episcopi,& Archiepiscopi,quando pontificaliter celebrant.c.nonnulli.§.compagis,& ibi glos.dist. 93. Et quoniam singulis diebus potest Archiepiscopus, sicut & cæteri sacerdotes, Missam celebrare.c.te referẽte.de celebr.missar. Ideo semper cũ pallio, vel sandalijs celebrare nõ tenetur.vt in tex.Vnde pallij vsus restringitur ad prouinciã,ad ecclesiã,ad missarũ solemnia,& ad certos dies.Butr.nu. 3.Quid autẽ sit palliũ,dic,quod est insigne ornamentũ Archiepiscopi,vel Episcopi,aut alterius superioris,quod ex priuilegio sibi cõceditur,sumptũ de corpore beati Petri,in signũ plenitudinis pontificalis officij;quod tamen in Papa designat plenitudinem potestatis, vt ex prædictis not. Abb. in rubr. huius tit. Et illud conceditur per quatuor Patriarchas Archiepiscopis sibi subiectis.c.antiqua.de priuil. Alijs concedit Papa. supr.c nisi. De eius figura repleta moralibus mysterijs, tractat Innoc. III.lib. 10.cap. 12.de sacro altaris mysterio. Et pallia Romæ texuntur à monialibus Turris Speculi, ex lana de agnis albis nutritis ab istis monialibus, qui agni prius mittebantur Dominica in albis ad circumeundum altare S.Petri, vt refert Onuphrius Panuinus in tractatu de sacrarum vestium generibus.

In Ex-

In Extrauag. commun. Cap. vnic. Malitijs.

PALLII traditio, per obiectum criminis, vel defectus, retardari non debet.


VIA sæpe occurrebat, quod diuersi obijciebant crimina, & defectus contra promotos ad Metropolitanas ecclesias, non quod illa vera essent, sed vt per ista obiecta impediretur, & retardaretur pallij traditio. vt in tex. Et quoniam malitijs non est indulgendum. c. sedes. extr. de rescript. sed contra eas est salubriter obuiandum. vt in tex. Et præcipuè est prouidendum, ne per falsas obiectiones diutius vacent ecclesiæ. Clement. ne Romani §. cæterum. de elect. Ideo ad obuiandum huiusmodi malitijs, sancitur, vt per obiectum cuiusuis criminis, seu defectus, traditio pallij facienda ijs, qui ad metropolitanarum ecclesiarum, seu aliarum regimen assumuntur, non impediatur in aliquo, nec retardetur. vt in tex.

NISI obijciens, præmisso iuramento, de obiectis promptam fidem faciat.

QVIA sicut prouidendum est, ne per falsa obiecta, pallij traditio retardetur, vt dictum est superius; ita est curandum, ne illud indignis tradatur. c. prisca. dist. 100. Et quoniam per iuramentum præstitum, quod illa quis malitiose non obijciat, sed obiecta vera esse, se credere affirmet, ac de obiectis offerat facere promptam fidem, & ad pœnā talionis, seu extraordinariam arbitrio præsidentis se subijciendo; præsumitur, quod obijciens, hęc malitiose non agat. vt in tex. & c. vt circa. de elect. in 6. Ideo in tali casu, antequam pallium tradatur, est de obiectis facienda cognitio. vt in tex. ne pallium traderetur indignis. vt in d. c. prisca.

PROMPTAM verò fidem tunc facere dicitur obijciens in hoc casu, si intra bimestris temporis spatium numerandum à die collationis in antea, probauerit legitimè, quod opponit.

QVIA per huiusmodi moderatum spatium, nec obijciens nimis coarctatur ad probandum, nec ecclesia diutius permittitur vacare administratione pastoris. arg. c. nulla. de concess. præb. & c. ne pro defectu. de elect. Quod si obijciens hæc non fecerit (suis obiectibus nequaquam obstantibus) ad ipsius traditionem pallij procedatur. vt in tex. quia iam præsumitur malitiose obijcere, vt dictum est superius. Sed per huiusmodi traditionem nullum præiudicium generatur viæ accusationis, denuntiationis, vel inquisitionis. vt in tex. quia tunc non est

periculum, vt hæc fiant ad impediendam pallij traditionem, ex quo iam illud fuit traditum, arg. l. in bello. §. factæ. ff. de captiu. & postlim. reuers. Et est prouidendum, ne delicta remaneant impunita. c. qualiter. de accusat. Et ne dignitatibus præsideant indigni. c. cum in cunctis. de elect.

Liber Primus. Titulus Nonus.

DE RENVNTIATIONE.

In Decretal. Cap. 1. Litteras.

NON datur licentia cedendi Episcopo, qui propter senectutem vult cedere, si necessarius, vel vtilis sit ecclesiæ.



QVIA cum inter episcopum, & eius ecclesiam, sit contractum spirituale coniugium. c. inter. de transl. episc. non quælibet corporis debilitas, quæ ex infirmitate, vel senectute procedit, debet esse causa ei indulgendi per Papam solutionem ab illa; sed solummodo ea, per quam impotens redditur ad pastorale officium exequendum. infr. c. nisi. §. alia. Et quoniam in sene, vt plurimum, vergente deorsum conditione corporea, feruor spiritus in sublimiora conscendit; & ecclesia tutius, & melius gubernatur per illum, cuius vigor deuotionis, & fidei, est iam cognitus, quam per aliam nouam, & inexpertam personam. vt in tex. Ideo si talis Episcopus, quantumcunque senex, adhuc sit vtilis ecclesiæ, non est ei indulgenda licentia cedendi; cum indecens omnino sit, prius soluere militiæ cingulum, quam cedat victori aduersitas prœliorum. vt in tex. & c. sciscitaris. 7. q. 1.

Cap. 2. Cum inter.

QVI abiurat beneficium, licitè potest illud (si denuo eligatur) obtinere.

QVIA iuramentum non extenditur ad illa, de quibus non fuit in eo cogitatum, & quæ tempore, quo fuit præstitum, non extabant. c. clericus. de iureiur. & c. ad audientiam. de his, quæ vi, met. Et quoniam qui denuo eligitur ad beneficium, habet ius ad illud, non ex prima receptione, quam abiurauit, sed ex nouo iure, post iuramentum præstitum acquisito, de quo tunc non fuit in iuramento cogitatum. vt in text. & glos. 1. Ideo tale iuramentum non obstat, quin iste possit idem beneficium ex noua prouisione obtinere. vt in text. Sicut nec rescripta

exten-

extenduntur ad lites, quæ non extabant tempore impetrati rescripti. cap.fin.de rescript. Et transactio non extenditur ad ea, de quibus non fuit dictum, vel cogitatum. l.si de certa. C.de transact.

Cap.3 Ex transmissa.

QVI renuntiauit beneficio suo, illud repetere non potest.

QVIA per renuntiationem, beneficiatus amittit ius, quod in beneficio habebat, & illa ecclesia dicitur ob id soluta ab eo. vt in tex. Et quoniam beneficium ecclesiasticum non potest licite, sine canonica institutione obtineri, cap. 1. de reg.iur.in 6. Ideo ex quo ille, qui renuntiauit, non habet amplius ius in beneficio, nisi denuo instituatur, illud repetere, vel obtinere non potest. vt in tex. & supr.c. prox.

Cap.4. Admonet,

BENEFICIATVS sine licentia prælati sui, beneficio renuntiare non potest.

QVIA omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. cap. 1. infr. de reg.iur. Et quoniam beneficium ecclesiasticum non potest licite adipisci sine institutione canonica illius prælati, ad quem pertinet collatio. vt supr. in c. prox. Ideo beneficiatus non habet facultatem dimittendi beneficium sine licentia prælati sui, vt in tex. & cap. cum. & plantare. §. in ecclesijs. de priuil. Nisi beneficiatus vellet ad religionem transire, cuius fauore permittitur, vt etiam sine licentia prælati, possit ecclesiam dimittere, cap. licet. de regular. & cap. duæ. 19. q. 2.

Cap.5. Super hoc.

CONTRA petentem beneficium, admittitur spontaneæ abiurationis exceptio.

QVIA iuramentum semper est seruandum, dummodo seruatum non vergat in interitum salutis æternæ. cap. si vero. de iureiur. Et quoniam ille, qui sponte abiurauit beneficium, potest tale iuramentum sine æternæ salutis interitu seruare. Innocentius hic in princ. Ideo admittitur, vt contra eũ possit de tali abiuratione excipi, vt in tex.

ETIAM causa renuntiationis non adiecta.

QVIA renuntiatio sponte facta tenet, etiam si causa renuntiandi non allegetur infr. cap. prox. Et quoniam sufficit excipienti de renuntiatione, probare renuntiationem validam, glos. ver. resignationis. Ideo excipiens non est adstringendus ad probandum vltra id, quod pro

sua

ſua iuſtificatione probare intendit, vt in text. & cap. licet, & ibi Abb. num. 30. de probat.

CONTRA quam actor replicare poterit, quod non ſponte renuntiauit.

QVIA ſicut renuntiatio ſpontanea præiudicat, ita facta per metum, qui poteſt cadere in conſtantem virum, renuntianti præiudicare non debet. infr. cap. prox. & gloſ. hic ver. reſignationis. Et quoniam non eſt veriſimile, vt quiſquam beneficium multis fortè expenſis, & laboribus acquiſitum, quo ſuſtentari debet, facile ſine magna cauſa, ſua ſponte reſignet. vt in text. Ideo ſuperuacaneum non eſt, vt cauſa reſignationis diligenter inquiratur; & ſecundum quod illa fuerit probabilis, vel non; & admittenda, vel non; iudex ſecundum quod iuſtitia exigit, pro actore, vel reo, ſententiabit. vt in text. & gloſ. ver. admittere. Et licet negantis factum, per rerum naturam nulla ſit probatio. vt in tex. negatiua tamen eius, qui dicit, ſe non ſponte renuntiaſſe, continet in ſe implicite affirmatiuam, quod coactus renuntiauit, vt in text. & gloſ. ver. negat. Et talis affirmatiua implicite contenta in negatiua, bene poteſt per negantem probari. gloſ. in c. bonæ. il 1. ver. per rerum. de elect. & l. ne codicillos. & ibi. gloſ. fin. C. de codicill.

ET qui melius probauerit, obtinebit.

QVIA iudex debet ſententiare ſecundum allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præſid. Et quoniam vbi ſunt hinc, inde probationes, ſunt præferendæ efficaciores. c. in noſtra. de teſtib. Ideo tam actoris, quam rei, in eiuſmodi cauſa renuntiationis admittuntur probationes, & pro eo, qui meliorem cauſam fouet, & illam probat efficacius, eſt ferenda ſententia, vt in text. & gloſ. fin.

Cap. 6. In præſentia.

QVI ſponte renuntiauit electioni de ſe factæ, ſuper ipſa vlterius audiri non debet.

QVIA per electionem canonice factam, acquiritur electo ius ad beneficium. c. cauſam. de elect. Et quoniam renuntiantibus actiones ſuas, non eſt dandus regreſſus ad eas. cap. quam periculoſum. 7. q. 1. Et etiam, quia ſi electus poſſet variare, & modo velle, modo nolle, illuderentur eligentes. arg. c. bonæ il 2. de poſtul. præl. Ideo qui electioni de ſe factæ ſponte renuntiat, vlterius in eam ſe intromittere non debet. vt in tex. & cap. cum inter. de elect.

Cap.

Cap. 7. Sane.

QVI renuntiauit literis beneficialibus, non ideo institutioni iam facta renuntiare videtur.

QVIA perempta causa, non perimitur effectus iam in esse productus. c. duæ sunt. & ibi glos. ver. propter. 19. q. 2. & Butr. hic nu. 2. Et quoniam vbi est institutio iam facta, literæ habuerunt effectum. Cald. in c. in nostra. de rescript. Ideo ex quo per literas fuit ad collationem processum, iuri per institutionem acquisito non fit præiudicium, per redditionem literarum, vel renuntiationem ipsarum, vt in tex. Sed si oporteret, ipsum agere per literas, vt in beneficio institueretur, sibi fieret præiudicium, cum sine literis nullam haberet actionem. Abb. antiquus hic.

Cap. 8. Quod in dubijs.

RENVNTIATIO beneficij facta in manibus laici non tenet.

QVIA omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, vt not. supr. in cap. admonet. Et quoniã beneficiũ ecclesiasticum obtinetur per institutionem proprij prælati, ad quem spectat collatio. c. 1. de reg. iur. in 6. non autem per prouisionem alicuius laici, quibus in huiusmodi spiritualibus nulla est attributa auctoritas imperandi, sed eos manet necessitas obsequendi. c. ecclesia sanctæ Mariæ. de constit. Ideo, vt renuntiatio sit valida, non est facienda in manibus laici, sed in manibus proprij prælati, ad quem pertinet collatio. vt in tex. & supr. d c. admonet.

RENVNTIANS tamen est beneficio spoliandus.

QVIA licet talis renuntiatio non teneat, quo ad præiudicium ecclesiæ, & superioris, vt dictum est superioris; nam ecclesia, & superior, si volunt, possunt illum repetere. c. non oportet. 7. q. 1. tenet tamen quo ad præiudicium renuntiantis. glos. in c. denique. 6. q. 1. nam etsi inutilis sit talis renuntiatio, habet tamen in se tacitum pactum, ne ille repetat beneficium, glos. hic. Quod pactum admittitur in pœnam ipsius renuntiantis, & laicorum renuntiationem acceptantium, ne ad talia consuescant. Butr. num. 9. Ideo talis renuntians priuatus est beneficio, ipso iure, adeo quod non eget, nisi spoliatione possessionis. Butr. num. 2.

Cap. 9. Ad supplicationem.

PAPA concedit licentiam cedendi episcopo, qui sine mortis periculo in ecclesia sua morari non potest.

Quia

QVIA Papa habet, vt Vicarius Christi, facultatem absoluendi episcopum à spirituali coniugio propriæ ecclesiæ. vt in cap. 2. de transl. episc. Et quoniam in ista dissolutione, quæ est de maioribus causis, & quæ potius diuina, quàm humana, potestate solet per Papam concedi, est mature considerandũ, an sit faciẽda, vel non. d. c. 2. Ideo nõ propter quãlibet leuẽ causam, sed propter grauẽ, qualis est mortis periculum, est episcopo concedenda. vt in tex. Tunc autem conceditur, quia omnis Christi actio debet esse nostra instructio, c. aduersitas, 7. q. 1. Et quoniam Christus, cum specialiter quæreretur ad mortem, fugit in Ægiptum à facie Herodis; vnde D. Augustinus ait: Fugiat minister Christi, sicut Christus in Ægiptum fugit; Fugiat; qui specialiter quæritur, dum per alios est firma salus ecclesiæ. Hinc etiam ait Dominus discipulis; Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Hinc etiã idem abscondit se, & exiuit de templo, quando Iudei lapides tulerunt, vt iacerent in eum. d. c. aduersitas. Et hoc, quando specialiter quæritur mors ipsius prælati; vnde & Paulus fugit, qui à fratribus per murum submissus est in sporta. c. ibi adunati. 7. q. 1. Ideo vbi tractatur de perilo mortis solius prælati, conceditur ei per Papam licentia cedendi ecclesiam. vt in tex. & cap. mutationes. 7. q. 1. Secus autem, vbi non quæritur specialiter mors prælati, & eo recedente, non potest esse tuta salus ecclesiæ; nam tunc debet animam suam ponere pro ouibus suis, ne si deserere incipiat, quibus prodesse potest, dicatur de eo; Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & deserit oues, & fugit. Ioan. cap. 15. & d. c. aduersitas, vbi glos. late distinguit, quando prælatus posit propter persecutionem licitè ecclesiam suam deserere, vel non; & idem tractat Innoc. infr. in c. prox. & S. Th. 2. 2. q. 185. art. 5. Cẽsetur etiã ob huiusmodi periculũ, esse sufficientem causam cedendi, si prælatus non potest ibi morari propter intẽperiẽ aeris. glos. hic. ver. morare. & arg. c. quorundam. dist. 74. Quod tamen intellige, si propter suam cessionem non impeditur publica illius populi vtilitas. c. scias. & ibi glos. 8. q. 1. Et vbi est perpetua pestilentia, vel longo tempore duratura Bald. hic nu. 2. Qualem dicit esse Senogalliæ; Sed hodie Ciuitas illa ex diligẽtia Serenissimorũ Vrbini Ducum, sub quorũ felici dominio existit, (meq. sub illis ortũ esse Vrbini, nobilis sex aliarũ Ciuitatum Metropolis, præsertim hodie regnante FranciscoMaria II. Principe optimo, gaudeo) desiccatis paludibus, quæ ipsam inficiebant, habet aerẽ nõ vt antea infensum. Et episcopatus ille obtinet amplã diœcesim, vbi sũt plura oppida maiora ipsa ciuitate, in situ amœno, & salubri; ad quæ episcopus in æstate se transfert; habetque in redditibus annuatim circa septem millia scutà; Et in diœcesi sunt bona ecclesiastica similiter ascedentia ad quadraginta millia, inter quæ est opulentissima Abbatia Clareuallensis, possessa à liberalissimo Principe Alexandro Peretto Cardinale de Montealto, dignissimo Sixti V. Pont. Max. pro-

nepo-

nepote. Qui episcopatus iam per plures annos gubernatur sub pastorali vigilantia Reuerendissimi Antaldi de Antaldis conciuis mei, & affinis Ioannis Mariæ mei fratris.

Cap. 10. Nisi.

PROPTER zelum vitæ contemplatiuæ, episcopatui cedere non licet.

QVIA quando quis vocatur à Deo ad aliorum curam, & prędicationem, quies propria est postponenda pro lucro multorum. c. in scripturis. 8. q. 1. sicut fecit Hieremias, qui dicebat: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum; & tamen postea prædicandi recepit officium, quia à Deo ad id erat vocatus. vt in tex. & d. c. in scripturis. Et D. Martinus iam Episcopus dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; vt in lectionibus eius diei festiui. Et quoniam, qui iam recepit episcopatum, contraxit vinculum cum illa ecclesia ad spiritualem illius populi gubernationem, & tenetur ponere animam suam pro ouibus suis. vt supr. in c. prox. Ideo propter zelum vitæ contemplatiuæ, & propriæ quietis, ille non debet deserere mynisterium iam susceptæ prædicationis. vt in tex. Sed iuxta dictum Apostoli: manere in ea vocatione, in qua est. d. c. in scripturis. & simul esse actiuus, & contemplatiuus exemplo Moysis, vt infra dicetur.

EPISCOPATVI cedere causa humilitatis, vt descendat ab illo dignitatis culmine, non licet.

QVIA tunc est vera humilitas, cum quis per eam locum sublimem fugit, & obtentum per obedientiã non dimittit. vt in tex. Et quoniam eo ipso humilitatis videtur erigere male verticem Episcopus, qui se nimis in resignandi proposito exhibet pertinacem. vt in tex. Ideo cessio sub tali colore humilitatis (quæ potius est pertinacia, & superbia erigens se contra obedientiam) non est admittenda. vt in tex. Pertinaces enim sunt homines in sua sententia obstinati, qui non facile dissuasionem admittunt, sed gaudent, cum vincunt, si non dissuasi fuerint; & econtra dolent, si sua, perinde ac si sint decreta, irrita fuerint effecta. Arist. 2. ethicor. cap. 9.

ENVMERANTVR hic sex causæ, ex quibus Episcopi possunt petere, & Papa consueuit concedere, cedendi licentiam, scilicet, conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, irregularitasq. personæ; sed in his omnibus est obseruanda cautela; nam, propter conscientiam illius criminis, quod impedit episcopalis officij executionem post per actam pœnitentiam, potest cedendi licentia postulari.

QVIA episcopatus datur principaliter propter spiritualem populorum gubernationem.c.scias.7.q.1.& c.qui episcopatum.8.q.1. Et quoniam, qui in eo crimine est, de quo pœnitere non potest,nisi renunciet, ex sua culpa debitum officium erga populum exequi non potest.glos.ver.duntaxat.quæ exemplificat,talia crimina esse simoniam, & homicidium. Ideo propter huiusmodi crimina conceditur,vt ab episcopatu talis remoueatur, vt in tex.& d.glos.hic. Non autem propter conscientiam cuiuslibet criminis conceditur, vt quis episcopatum cedat; nam si omnes, quos arguit conscientia cuiuslibet culpæ,cederēt;pauci,vel nulli,in isto ministerio remanerent. vt in text. Cum res penè contra naturam sit,vt aliquis sit sine peccato.c. vnum. §. nomine. dist.25.& c.apostolus.dist.81.

SECVNDA causa est debilitas corporis, per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale, siue illa ex infirmitate, siue ex senectute procedat.

QVIA prouidendum est, ne, languente pastore, grex insidiatoris dentibus laniandus exponatur,vel ecclesiæ ipsius vtilitates depereant.c.quamuis.7.q.1.Sed quoniam tunc non est impotens ex suâ culpa,sed ex cursu naturæ.d.c.quamuis. Ideo non cogitur cedere inuitus, ne indebitè afflictio addatur afflicto. c. ex parte. de cleric. ægrot. sed ei est dandus coadiutor, qui simul cum ipso episcopo de fructibus eiusdem ecclesiæ sustentetur.d.c.quamuis.& c.scripsit.7.q.1. Admittitur tamen cessio,si ipse voluntarie cedere velit. vt in tex. Nam volenti non fit iniuria.l.1.ff. de iniur. Non autem quælibet corporis debilitas est legitima causa cedendi,sed solummodo illa, per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale; nam si pro quolibet corporali debilitate,susceptæ seruitutis officium deseri posset, frustra fateretur se Apostolus in suis infirmitatibus gloriari.2.ad Corinth. cap.12. Cum interdum non plus hortetur senilis debilitas aliquem cedere, quàm moralis maturitas (quæ in senibus esse solet) ipsum in suo suadeat officio permanere; pro talibus enim de se dicit Apostolus: Cum infirmor, tunc fortior sum.d.c.ad Corinth. quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augumentat.vt in tex.& supr.c.1.

TERTIO, pro defectu quoque scientiæ, plerunque potest quis petere cessionem.

QVIA cum scientia circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria,& circa curam temporalium opportuna. cap. conuenientibus.1.q.7.Præsul, qui commissam sibi debet ecclesiam regere in vtrisque,salubriter ei renuntiat, si scientiam (in qua ipsam regat) ignorat,vt in tex.Tu enim (inquit Dominus) scientiã repulisti, & ego te repellã,ne sacerdotio fungaris mihi.Hoseæ.c.4. Quanquam,& si desideranda

randa sit eminens scientia in pastore, in eo tamen sit competens toleranda.vt in tex.Quia secundum Apostolum,scientia inflat, charitas autem ædificat.1.ad Corinth.c.8.Et ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis.vt in tex.& de elect.c.cum nobis.

QVARTO, propter malitiam plebis, cogitur interdum prælatus ab ipsius regimine declinare.

QVIA quando plebs adeo duræ ceruicis existit, vt prælatus nequeat proficere apud ipsam,sed propter eius duritiam,quo magis satagit, eo magis iusto iudicio deficere permittatur, non est cur ibi pastor debeat permanere;vt in tex. Dicente Domino per Prophetã: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo quia domus exasperans est. Ezechiel.cap.3. Et Apostoli leguntur dixisse Iudæis; Ecce conuertimur ad Gentes,quia verbi Dei vos indignos fecistis.Actus Apost.c. 13. Non tamen pro qualibet culpa pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur,qui vidit lupum venientem,& dimittit oues, & fugit. Ioan. cap.10.& habetur in c.tres personas.23.q.4.Sed de superioris licentia tunc demum potest,non tam timidè fugere, quàm prouidè declinare, cum oues conuertuntur in lupos; & qui debuerant humiliter obedire, iam irreuocabiliter cõtradicunt; cum etsi tales sint grauiter pro crimine puniendi; sunt tamen pro tempore vtiliter tolerandi,quia sanguinem elicit,qui nimis emũgit.vt in tex.Et Salomon prouerb.c.30.vnde versus.

Qui nimis emungit,solet extorquere cruorem,
Et violenta facit correctio deteriorem;
Sed moderata satis correctio gignit amorem.

glos.hic.ver. elicit.

QVINTO, pro graui quoque scandalo euitando (cum aliter sedari non potest) licet Episcopo petere cessionem.

QVIA debet cauere prælatus,ne plus temporalem honorẽ, quàm æternam videatur affectare salutem.vt in tex.Memor illius,quod dicit Apostolus: Si esca scandalizauerit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.1.ad Corinth.c.8.Sed inter scandalum, & scandalum,est subtiliter distinguendum, sicut Dominus ipse distinxit; vt in tex. Cui cũ dixissent Apostoli; Scis, quia Pharisei,audito hoc verbo,scandalizantur? Respondit,Sinite illos,cæci sunt, & duces cæcorum. Matth.c.15.Alibi verò dixit. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt,expedit ei,vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.Matth. c. 18. Vnde Gregorius super Ezechielem,homil.7. Distinguit,quod Scandala, in quantũ possumus sine peccato,vitare debemus,alioquin vtilius, scandalum nasci permittitur,quàm veritas relinquatur; & habetur in c. qui scandalizauerit. infr.de reg.iur.Veritas enim bonæ vitæ, vel iustitiæ, nunquam deserenda

est, veritas disciplinæ, quandoq; Tūc autem debet deseri veritas disciplinæ, quando multitudo peccantium est in causa, non tamen volūt defendere malum, quod faciunt. arg. 43. dist. c. commessationes, vbi de hoc, & de cleric. excom. c. latores. Si verò defendere volūt malum, quod faciūt, & excusare illud, quasi ex auctoritate; tunc multitudini parcendum non est propter scandalum. c. 1. de pænit. dist. 6. & glos. hic ver. distinguēdum.

SEXTO, personæ irregularitas (vt si forte sit bigamus, vel viduæ maritus) est causa, propter quam petere potest aliquis licentiam resignandi.

QVIA attestante Apostolo, oportet Episcopum esse vnius vxoris virum. 1. ad Timoth. c. 3. Non tamen propter quamlibet irregularitatem personæ, debet ei, qui regulariter ministrauit, cedendi licentia indulgeri; vt pote, si de legitimo matrimonio non sit natus; quia, licet irregularitatem huiusmodi non potuerit subticere; si tamen, & culpa latet, & causa; cum eo, qui laudabiliter suum impleuit officium, (iuncta sibi pænitentia competenti) potest, non minus vtiliter, quàm misericorditer dispensari. vt in tex. Ego sum (inquit Deus) Zelotes, vindicans peccata patrum in filios, vsque in tertiam, & quartam generationem, in ijs, qui oderunt me. Exod. c. 20. id est, in illis, qui contra me paternum odium imitantur. vt in tex. & Chrysost. super Matth. c. 23. Vnde patet, quod illis, qui paterna vitia non sequuntur, propriæ possunt in talibus suffragari virtutes; illo discretionis adhibito moderamine, vt inter nothos, & manzeres, naturales, & spurios, distinguatur, vt in tex. & quæ sit differentia inter istos, dic, quod Nothus dicitur ille, qui est de adulterio natus. Manzer propriè dicitur natus de scorto. Spurius de concubina. Naturalis dicitur natus de concubina, quæ tenetur in domo, quasi loco vxoris, vnica; & talis in bonis patris ab intestato succedit in duas vncias paternæ substātiæ, si alij filij non extent, nec coniunx legitima. C. de natural. lib. Auth. licet patri. Et in bonis maternis succedit cum legitimis filijs. C. ad Senatuscons. orficia. l. si qua. §. fin. glos. hic ver. manzeres.

SI prælatus propter alias causas, quàm superius enumeratas, cessionem affectet, non est in hoc eius postulationi fauendum.

QVIA talis postulatio videretur non esse discreta, nam (præter id, quod otiositas, & voluptas, sunt arma hostis antiqui ad miseras animas captiuandas) prælatus propter laboris angustias, aut persecutionis incursus, non debet deserere suam sponsam. vt in tex. Cum beati sint illi, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam, cum probati fuerint, accipient coronam vitę, quam repromisit Deus diligentibus se. Matth. c. 5. Nec obstat, si diceret, Spiritus, vbi vult, spirat, & nescis, vnde veniat, aut quo vadat. Ioan. c. 3. Et ideo non est, qui possit vias illius spiritus perscrutari. c. sicut. §. quod. dist. 47. Qui verò spiritu Dei agun-

aguntur,non ſunt ſub lege,quoniam vbi ſpiritus Dei,ibi libertas.c. duæ ſunt , 19. q.2. Quare ſi cedendi ſibi licentia data ab homine non fuerit; nihilominus videatur , quod cedere poſſit , quia data ſit ſibi libertas cedendi à Deo. Quia reſpondetur,quod certe deſipit,ſi ſic ſapit ; nam quomodo ſpiritu Dei agitur,qui contra ſpiritum Dei agit ? ſi enim vera ſunt,quæ ſuperius dicta ſunt (imo quia indubitanter ſunt vera) procul dubio contra ſpiritum Dei agit , qui aliquid contra veritatem attentat,quoniam ipſe eſt ſpiritus veritatis. vt in tex. Nec obſtat, ſi diceret, quod forſan eſt alia cauſa latens , propter quam cedendi voluntas ſibi cælitus inſpiratur;Nam reſpondetur,ei dicendo ; Tu quomodo ſcis, quod talis inſpiratio ſit cæleſtis ? non ne recolis, quid ille glorioſus Pō-tifex dixit , cum cæpiſſet viribus corporis repente deſtitui ; Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius , non recuſo laborem , fiat voluntas tua . Sanctus Martinus , vt dictum eſt ſuperius. Illius exemplum ſecutus,qui dixerat; Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto , manere autem in carne neceſſarium eſt propter vos.Apoſt.ad Philipp.c.1.Quippe ſi quantocunque virtutum flore quis refulgeat,& in ſe non habeat charitatem, nihil eum comprobatur habere. 1. ad Corinth. c. 13. Nulla ſi quidem maior poteſt eſſe charitas,quam, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.Ioan.c.15.Cum autem propter hanc,deceat Epiſcopum animam ſuam pro ſubditis ſuis imponere ; nulla occaſione (dummodo proficere illis poſſit , & ſi non omnibus , tamen multis) ab eorum regimine conuenit eum ſe excuſare . vt in tex.Quoniam ſi laboris cauſam prætendit,exemplum Apoſtoli eum ſubleuabit, qui ſuadet epiſcopis, laborem huiuſmodi non refugere,dum ſe aſſerit pro communi ſalute plus cæteris laboraſſe.1.ad Corinth.cap. 15. Quia licet non ſemper ſequatur laborem effectus , nihilominus tamen ipſe labor eſt meritorius apud Deum,vt in tex.iuxta quod legitur : Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum.Sapien.c.10. Nec eſt putandum , quod ideo Martha malam partem elegerit,quæ circa plurima ſatagebat, quia Maria optimam partem elegit , quæ non auferetur ab ea.Luc.cap. 10. quoniam licet illa ſit magis ſecura , iſta tamen eſt magis fructifera ; & licet illa ſit magis ſuauis , hæc tamen eſt magis vtilis , vt in tex. Cum in fœcunditate ſobolis lippitulo Liæ , Rachelis pulchritudini ſit prælata. Geneſ. cap. 30. Quamuis ſimul in vnum Epiſcopus , & cōtemplatiuus eſſe valeat,& actiuus,vt in tex.Legiſlatoris exemplo , qui nunc aſcendebat in montem,vt ibi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate , nunc vero deſcendebat in caſtra , vt cum vtilitate maiori neceſſitatibus populi prouideret.Exod.c.24.Quapropter facilius indulgetur , vt aſcendat monachus ad præſulatum , quàm præſul ad monachatum deſcendat.vt in tex.& c.vnic. 18.q. 1. Ideo monetur epiſcopus , vt laborem paſtoralis regiminis non recuſet , ne fortaſſis ad pedes ſuos cum Maria ſperneret eum accipere , qui ſibi apud eum diuertenti ſpreuiſſet

uiſſet

uiſſet cum Martha ſolicita miniſtrare. vt in tex. Si verò ipſum oporteat cedere ex aliqua de ſupraenumeratis legitimis cauſis, ceſſionem debet facere de Sedis Apoſtolicę licentia, alioquin ceſſio eſt inualida; quoniã, licet epiſcopus habeat pennas, quibus ſatagat in ſolitudinem auolare; ita tamen ſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeat abſque Sedis Apoſtolicæ permiſsione volatum. vt in tex. & cap. inter. de transl. epiſc.

Cap. 11. Poſt tranſlationem.

EPISCOPVS, qui propter crimen renuntiauit epiſcopatui, & ad religionem tranſiuit, ad epiſcopatum reaſſumi non poteſt.

QVIA renuntiatio epiſcopatus propter crimen commiſſum, non admittitur, niſi illud crimen ſit de grauioribus, propter quæ epiſcopale officium amplius digne exerceri non poteſt. vt in tex. §. vnde. & ſupr. in c. prox. Et quoniam epiſcopatus non eſt concedendus illi, qui in eo populis prodeſſe non valet. ſupr. c. prox. Et grauitas criminis grauem exigit pœnitentiam. c. diſciplina. diſt. 45. Ideo ad conſulendum populo, & dignitati, & ad puniendum Epiſcopum grauiter delinquentem, fuit ſtatutum per Concilium Conſtantinopolitanum, vt talis nequaquam vlterius ad pontificatum reſurgat, ſed vt in monachali vita, & pœnitentiæ loco, ad quem deſcendit, permaneat. vt in tex. & c. hoc nequaquam. 7. q. 1. Et quia illud Concilium eſt vnum ex quatuor principalibus, quæ ſicut quatuor Euãgelia Eccleſia Catholica veneratur, vt in tex. Reliqua enim tria ſunt, Nicenum, Epheſinum primum, & Calcedonenſe. c. ſicut. diſt. 15. Ideo eſſet nimis durum contra tam ſolemne Conciliũ, cum huiuſmodi Epiſcopo per Summũ Pontificem diſpenſari. vt in tex. licet ipſe poſſet diſpenſare, ſi vellet. gloſ. fin. hic. & c. ſunt quidã. 25. q. 1. cũ Papa ſit ſupra Cõciliũ. Turrecr. in Sum. de eccl. lib. 3. c. 44.

SECVS ſi renuntiauit propter perſecutionem, infirmitatem, defectum ſcientiæ, vel aliam ſimilem cauſam.

QVIA in his caſibus Epiſcopus non commiſit aliquod graue crimen, propter quod eſſet ei talis pœnitentia imponenda, vt perpetuo cenſeretur epiſcopatu indignus. vt in tex. & ſupr. c. prox. Sed eius renuntiatio fuit admiſſa, & ei conceſſum, vt ad monaſticam vitam deſcenderet; quia in regimine paſtorali proficere nequibat. vt in text. Et quoniam ceſſante cauſa, ceſſat effectus. c. cum ceſſante. de appellat. Ideo ſi talis Epiſcopus peruenerit ad ea requiſita, per quæ poſſit ſuum epiſcopale officium exercere melius, quam antea poſſet, conceditur, vt valeat ad epiſcopalem reſurgere dignitatem. vt in text. & gloſ. in d. cap. hoc nequaquam.

VEL propter ſimoniam, ipſo ignorante, commiſſam.

Quia

QVIA licet in tali casu ad eundem episcopatum redire non possit, ne ex proximitate vitij videretur simoniacè assumptus. vt in tex. & arg.c.penult.de elect. Tamen quoniam illud crimen non fuit ab eo commissum; & ipse, illo comperto, episcopatum de superioris licentia dimisit, & in crimine non consentiens, obseruantiam regularem elegit. vt in tex. Ideo cum non fuerit in culpa, nec sit causa, cur debeat ab alijs episcopatibus prohiberi, non impeditur, quin ad illos possit promoueri. vt in tex. & c. satis peruersum. dist. 56.

Cap. 12. Quidam.

QVI petit cedendi licentiam, ex quo illam obtinuit, cedere compellitur.

QVIA in petitione huiusmodi cessionis, quam superior admisit, aut ecclesiæ commodum, aut propriam salutem, ille petens attendisse videtur. vt in tex. & supr. c. nisi. Et quoniam neutrum istorum bonorum debet impediri. vt in tex. Ideo talis compellitur ad cedendum, vt sic nec suasionibus aliorum quærentium, quæ sua sunt, nec propria leuitate, & inconstantia immutatus, possit à rationali cessione admissa retrocedere. vt in tex. Præterea, si talis posset post obtentam licentiam cedendi pœnitere, videretur illudi superior, qui illam concessit. glos. 2. hic. Et quoniam non est ferendum, vt superior illudatur. c. bonæ. de postul. præl. Ideo à tali cessione admissa, non potest iste pœnitere, & retrogrediendo, quod voluit, & fuit concessum, prætermittere. vt in tex. & glos. fin. in d. c. nisi.

Cap. 13. Veniens.

NON renuntiat iuri suo, qui gratiæ aduersarij se submittit.

QVIA submittere se gratiæ, & voluntati alicuius, habet quandã tacitam protestationem, quod gratiam expectat, & quod illius voluntas debeat reduci ad arbitrium boni viri. c. quintauallis. de iureiur. Et quoniam non debet damnum quis inde sustinere, vnde per confidentiam suam in aliquem, meruit misericordiam impetrare. supr. c. sanè. Ideo, etiam gratia non secuta, ius pristinum per illum, qui se taliter submisit, retinetur. vt in tex. & l. siue apud. C. de transact.

Cap. 14 Lectæ.

SI prælatus ab obedientia subditos absoluit, non propter hoc prælaturæ renuntiat.

QVIA ad exclusionem alicuius consecutiui, non sequitur exclusio principalis, præsertim, quando principale est aliter excludendum,

quam

quam fuerit factum de illo consecutiuo. Butr. num. 12. Et quoniam prælatura est principalis,& obedientia prælato,est illius consecutiua.c. si quis.de maior.& obed.Et renuntiatio non debet fieri in manibus subditorum,sed in manibus superioris.supr.c. admonet. Ideo ex tali absolutione ab obedientia, non infertur, quod fuerit renuntiatum prælaturæ.vt in tex. Et quoniam,durante principali, non potest quis renuntiare ei,quod necessario dependet ab illo.l.legatus. ff.de offic. præsid. & l. abdicatio,C.de patr.potest. Ideo, prælato durante, non potest ab eius obedientia suos absoluere subditos; vnde isti fuerunt absoluti de facto, non de iure. Bald.hic. Renuntiatio enim in manibus superioris, debet præcedere absolutionem subditorum ab obedientia.Butr.nu.9.

Cap. 15. Dilecti.

ABBAS exemptus, sine licentia Papæ renuntiare non potest.

QVIA solum ille superior potest renuntiationem admittere, qui potest beneficium renuntiandum conferre.c.abbas.18.q.2. & c.1. infr.de reg.iur.Et quoniam Abbas exemptus, est immediate Sedi Apostolicæ subiectus, & per solum Papam, vel eius Legatum de latere potest ad illam abbatiam institui,& confirmari.c.si abbatem.de elect.in 6. Ideo eius abbatiæ renuntiatio per inferiorem admitti non potest. vt in tex.& d.c.si abbatem. In præiudicium tamen ipsius renuntiantis, vt nō possit illam repetere,in eius pœnam tenet renuntiatio facta,etiam in manibus laici,& aliorum. vt supr.in cap.quod in dubijs. Sed non tenet quo ad præiudicium superioris, & ecclesiæ, vt in tex.Vt si velint,non possint illum repetere.c.non oportet.7.q.1. Et ex quo non tenuit renūtiatio, non tenet etiam electio alterius facta in locum illius.gl.fin. hic. nam vbi non tenet principale, nec id tenet, quod ex illo est secutum.c. inter.de fid.instrum.

In Sexto. Cap. 1. Quoniam.

ROMANVS Pontifex potest libere Papatui renuntiare.



VIA non minorem libertatem debet habere Papa in his,quæ pertinent ad salutem,& per quæ potest euitare detrimentum animæ suæ, & aliorum,quam habeant cæteri Episcopi; immo illam debet habere maiorem, cum à regimine suo dependeant cæteri omnes.c.vbi. de elect.in 6. Et quoniam cæteris Episcopis conceditur propter suam,& subditorum salutem, vt in casibus quibusdam renuntiare possint.ext.c.nisi. Ideo cum Romanus Pontifex se insufficientem agnoscit ad re-

ad regendam vniuersalem ecclesiam, & summi pontificatus onera supportanda, & in cæteris casibus, in quibus ipse, & populi paterentur in spirituali regimine detrimentum, debet posse papatui, eiusq. oneri, & honori renuntiare. vt in tex. & Ioan. And. hic; vbi respōdet ad obiectiones, quæ in contrarium facere videbantur. Vnde Celestinus Quintus, cui successit Bonifatius Octauus, renunciauit, & de Cardinalium consilio, & assensu statuit, & decreuit, Romanum Pontificem posse libere resignare; Et ne huiusmodi statutum per temporis cursum obliuioni dari contingeret, aut dubitationi locus vlterius in hoc relinqueretur, illud inter alias constitutiones ad perpetuā rei memoriam Bonifatius Octauus hic duxit redigendum. vt in tex.

Cap. 2. *Si te*.

SI in fraudem expectantis primam vacaturam, cum in proximo crederetur pinguis vacare, renuntiet aliquis tenuem, quam habebat, non tenetur expectans illam recipere.

QVIA fraudibus est obuiandum. c. ex tenore. de rescript. Et est cauendum, ne aliquis alterius odio prægrauetur. c. non debet. infr. de reg. iur. Et quoniam talis renuntiauit fraudulenter tenuem, vt illa primò sic vacante, præcluderetur per consequens via expectanti, ad obtinendum aliam pinguiorem, quę verisimiliter credebatur in proximo vacatura. vt in tex. Ideo statuitur, vt nullum obstaculum per talem renuntiationem interponatur expectanti, quo minus, omissa præbenda tenui sic renuntiata, possit pinguiorem, vel aliam, quæ proxime post istam vacabit, veluti sibi debitam, libere petere, & habere. vt in tex. Licet enim ista non sit primò vacans, sed secunda, tamen ratione fraudis, primo vacans fingitur. glos. ver. debitam. Et in hoc præfertur æquitas rigori propter fraudem, ad idem, c. vnic. infr. de rer. permut. & l. placuit. C. de iudic. Et sic est casus, in quo, licet scribatur de prima, debetur tamen secunda; & alij casus ad idem habentur in c. 2. c. quia sæpe. c. cum in ecclesijs, & c. & cui. infr. de præb.

IMMO, illa dimissa, expectabit aliam sine fraude vacantem.

QVIA ratione fraudis commissæ in prima sic renuntiata, non illa fingitur primo vacare, sed secunda, vt dictum est superius. Ideo licet non possit habere secundam ille, qui habet litteras expectationis ad primam, quando ipse fuit negligens in petenda prima. c. si clericus. infr. de præb. Secus est, quando ipse non est negligens, & alter est in culpa. vt in tex. & Gemin. nu. 7.

ET si illi renuntianti, illa pinguis postea conferatur, hoc ipso, dicta fraus intelligitur esse probata.

QVIA dolus,& fraus, cum consistant in animo, quæ realiter non videntur,probantur ex verisimilibus coniecturis. l. dolum. C. de dol. Et quoniam præter alias coniecturas, quæ esse possent de fraude istius renuntiantis, assecutio istius pinguioris est coniectura satis vehemens.vt in tex.Nam ex vicinitate temporis aliquid præsumitur, vt not. in l.post contractum.ff.de donat.& Bald.in l.1.C.de seru.fug. Et ex vtilitate,& interesse, præsumptio augetur.c.2. de præsumpt. Ideo si tali sic renuntianti,fuerit pinguior immediate collata,sua fraus intelligitur esse probata.vt in tex.& Francus nu.2.

ET carebit vtraque.

QVIA renuntianti actiones suas, non est dandus regressus ad eas. c.quam periculosum.7.q.1. Et beneficium, quod expectanti debetur,si ille non est negligens in petendo, alteri conferri non potest.d.c.si clericus. Et quoniam iste renuntiauit primum,quod habebat, & habuit secundum, quod est alteri debitum, vt dictum est superius. Ideo nec primum,nec secundum debet sibi remanere. vt in tex. & glos. fin.hic. Præterea,in eius pœnam cõueniens est,vt nec illi beneficio præsideat,quod per superbiam spreuit, nec illud obtineat, quod per auaritiam cõcupiuit.c.si quis Episcopus.7.q.1. Ideo statuitur,vt habito omnino careat,& ambito.vt in tex.& c.quanto.de transl.episc.

In Clement. Cap.vnic. Cum illusio.

RENVNTIATIO dignitatis,vel beneficij, facta per procuratorem ad hoc constitutum,tenet.



VIA contrariorum est eadem disciplina. c. hospitiolũ. dist. 32. Et quoniam per procuratorem quis potest beneficium acceptare.c.accedens.extr.de præb. Ideo per procuratorem debet posse etiam illud dimittere. vt in tex. Debet tamen procurator habere speciale mandatum, vt renuntiatio teneat. vt in tex.& extr.c.veniens. nam renuntiatio,siue cessio,se habet ad instar donationis. Zabar.nu.7. Et quoniam ad donandum requiritur speciale mandatum.l.non figura. ff.de act.& oblig. Ideo similiter requiritur ad renuntiandum, & cedendum.fac.l.fin.C.qui bon.ced.poss. De similibus enim idem est iudicium. l.fin.C.ad leg.Falc. De alijs casibus requirentibus speciale mandatum, vide glos.penult.in c.qui ad agendum.de procur.in 6.

LICET prius procurator fuerit reuocatus, ipso tamen, & superiore,cui fiebat cessio,ignorante.

Quia

QVIA illusio, & variatio in personis ecclesiasticis maximè sunt vitandæ. vt in tex.& c.dilectissimi. 8.q. 2. Et quoniam si principalis posset renuntiationem impedire, ignorantibus procuratore,& superiore, postquam ipse constituit procuratorem ad renuntiãdum,sæpe illusiones,& indebitæ variationes committerentur. vt in tex. Ideo ad obuiandum huiusmodi fraudibus, & leuitatibus, statuitur, vt teneat cessio facta per procuratorem ad hoc constitutum,quamuis postea reuocatum,antequam ad ipsius, vel illius (in cuius manibus cessio fuerit facienda) notitiam,reuocatio mandati sit deducta. vt in tex. & simile habetur in Clement. Constitutionem.§.penult. de elect. Sufficeret autem, quod reuocatio mandati peruenisset ad notitiam procuratoris.vt in tex.nam talis procurator censetur constitutus ad negotium. glos. vers. ignorantem. in quo sufficit, quod reuocatio ad ipsum peruenerit.c.ex parte.il 3.extr.de rescript.& l.si mandassem.ff.mand. Secus est in procuratore constituto ad iudicia,nam ad eius reuocationem requiritur, quod reuocatio veniat ad notitiã ipsius procuratoris,iudicis, & aduersarij.c. mandato. extr. de procur.& l.si pro tutore.in fin.ff.eod. ne aliter iudex,& aduersarius illuderentur.vt not.gl.fi.in d.c.mandato.

NISI per malitiam ipsorum, vel aliorum, reuocatio ipsius fuerit occultata.

QVIA non debet aliquis alterius odio prægrauari.c.non debet.de reg.iur.in 6. sed culpa suos debet tenere auctores.c.constitutus. extr.de pœnis. Ideo cum in tali casu,beneficiatus ille fuerit in tempore ad procuratorem reuocandum; & cum per ipsum non steterit, quin reuocatio ad procuratoris, vel superioris requisitã notitiam perueniret, sibi non est imputandum. vt in tex. & c. imputari. de reg.iur.in 6. Sed perinde est habendum, ac si eis debita intimatio facta fuisset. Anchar. nu.5. Sicut in citatione,quam si ille,qui citari debuit, impediuerit, debet haberi perinde, ac si citatus fuisset. c.quoniam.§.porrò.extr. vt lit. non contest.& l.1.§.sed & si quis.ff.quod vi,aut clam.

Liber Primus. Titulus Decimus.

DE SVPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORVM.

In Decretal. Cap. 1. Statuimus.

SI diœcesanus requisitus benedicere nolit Cisterciensem Abbatem, ipse monachos suos benedicere poterit.



VIA licet regulariter Abbas ante benedictionem sibi datam, non recipiat spiritualem potestatem monachos benedicendi. Butr. nu. 6. Tamen ex quo ipse est electus, & confirmatus, & per eum non stat, quin benedictionẽ ab Episcopo diœcesano recipiat; ne interim monasteria patiantur detrimentum, conceditur in fauorem religionis, & in odium Episcoporum benedictionem illam protrahentiũ, vt abbates Cistercienses, ex quo humiliter, & deuotè Episcopum pro debita eorum benedictione requisiuerunt, & ille propter suam duritiã recusauit, possint proprios monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiusmodi pertinent, exercere. vt in tex. & glos. 1. & fin. Et similis indulgentia in fauorem religionis habetur in c. nihil. §. fin. de elect. Conceditur autem hæc facultas facilius ipsis Cisterciensibus, quàm alijs Abbatibus; quia sicut ipsi sine solemnitate aliqua installantur, & destituũtur. c. ne Dei. de simon. Ita eisdem facilius permittitur, vt sine magna solemnitate administrent. Abb. antiquus hic. Benedictio autem in personam Abbatis operatur illud, quod consecratio in Episcopum. Butr. nu. 6. Et de tali benedictione, quod non sit ordinis, nec sit simplex; sed mixta inter simplicem, & ordinariam, tractat glos. in Clement. fin. ver. benedici. de statu monach.

Cap. 2. Sicut.

REGVLARES in suos vsus conuertere non possunt ecclesias, in quibus ius obtinent patronatus.

QVIA status ecclesiæ debitus, & antiquus, per insolentiã alicuius subuerti non debet. vt in tex. Et ad priuatum commodum non sunt trahenda, quæ ad communem vtilitatem sunt præfixa. cap. quæ ad perpetuam. 25. q. 1. Et quoniam in ecclesijs iurispatronatus, monachi solum habent ius præsentandi, & de temporalibus rationem petendi, non autem habent potestatem ibi instituendi, & destituendi, vel alia ad eorum libitum disponendi. c. in Lateranensi. de præb. & c. cum & plantare. §. in ecclesijs. de priuil. Ideo vltra id, quod eis de iure competit, monachi in huiusmodi ecclesijs non debent præsumere attentare. vt in tex. & Clement. vnic. eod.

ET si intra tempus Lateranensis Concilij, quando vacant, non præsentent rectores ad eas, superior ordinabit easdem.

QVIA non debent ecclesiæ propter negligentiam patroni ecclesiastici, vel laici, diu manere in suspenso, ne in spiritualibus, & tẽporalibus patiantur detrimentum. c. nulla. de concess. præb. Sed patronus ecclesiasticus debet intra sex menses; laicus verò intra quatuor præsentare. c. vnic. §. 2. de iurepatr. in 6. Et quoniam ad superiorem

rem regulariter spectat in prouisione beneficiorum, supplere negligentiam inferioris.d.c.nulla. Et de iure communi ordinarius superior in tota diœcesi est Episcopus.c.1.de offic.ordin. Ideo vbi monachi patroni intra debitum tempus non præsentant,debet ipse Episcopus (appellatione remota) in illis ecclesijs Rectores ordinare. vt in tex.& c.si verò.de iurepatr. Quod in Regularibus non exemptis, Episcopi sua, in exemptis verò Apostolica,supplent auctoritate.d. Clemen. vnic. & per istam Episcopi ordinationem,non fit præiudicium ipsis patronis in alia proxima futura præsentatione,sed præiudicatur pro illa vice tantum. arg.c. cum in cunctis. de elect. Et nulla admonitio est tunc necessariò ad ipsos patronos per Episcopum facienda.glos.fin. hic. quia tempus ipsos admonet.c.fin.de locat.& cond.

Cap.3. Licet.

SVPPLET superior inferioris negligentiam in beneficijs conferendis.

QVIA ne beneficia patiantur detrimentum,prouidendum est, ne diu maneant vacantia,& in suspenso.vt not.sup.in c.prox.Et quoniam ista prouisio in defectum inferioris, facilius, & conuenientius potest fieri per proximũ superiorem gradatim,quam per alium. c. ne pro defectu.de elect.Ideo si inferior non prouidet intra tempus sibi à iure præfixum,proximus superior prouidebit, vt in tex. & cap. nulla de concess.præb.

SI tempus Lateranensis concilij lapsum sit.

QVIA indultum à iure beneficium, nemini est auferendum. c. indultum.de reg.iur.in 6. Et quoniam Lateranense Concilium concedit cuilibet collatori sex menses ad beneficium conferendum.d.c.nulla. Ideo antequam dictum tempus sit elapsum, non est per alium collatorem,quam per illum, cui tale tempus indulgetur, beneficium conferendum.vt in tex.& supr. c. prox. Et tempus illud sex mensium computatur, non à die vacationis, sed à die habitæ notitiæ. vt in tex.& c.quia diuersitatem.de concess. præb.

ET collatio per inferiorem postea facta,non valet.

QVIA per lapsum præfixi temporis ad conferendum, potestas aufertur ipso iure ab eo,cui competebat,& deuoluitur ad alium. d. c.nulla.Et quoniam pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de iure donare.c. quod autem. de iurepatr. Ideo si collatio fuerit facta in tempore, quo quis non habet potestatem conferendi, non valet.vt in tex.& c. ne pro defectu. de elect. Et ex quo per lapsum temporis,dicitur fieri executio à iure contra negligentem collatorem,non admitti-

mittitur purgatio moræ. Butr.nu. 6. Mora enim sua cuilibet est nociua. c.mora.de reg.iur.in 6.& c.1. de appell.

Cap.4. Literas.

SI is, ad quem spectat beneficij collatio, lapso tempore Lateranensis concilij conferat, non valet collatio.

QVIA talis non habet ius conferendi, nisi intra illud tempus à dicto Concilio præfixum.vt supr.c prox. Ideo si postea conferat, cum talis collatio fit à non habente tunc potestatem, nullius est effectus. vt in tex.& infr.c.prox. Defectus enim requisitæ potestatis vitiat actum ipso facto.c.quanto.de consuet.& c.Daibertum.1.q.7.

NISI de misericordia toleretur.

QVIA multa per patientiam tolerantur, quæ si in iudicium venirent, cassarentur.c. cum iam. de præb. Et quoniam vbi Papa ex certa scientia mandat, aliqua patienter tolerari, talis patientia habetur pro dispensatione; Butr.& Abb.hic. Ideo sola patientia ex scientia Papæ, dat ius illis post debitum tempus institutis, vt valeat, non ex tunc per illam institutionem, sed ex nunc per misericordiam, & patientiam Papæ scientis, & tolerantis.glos.& Butr. hic.

Cap.5. Dilecto.

IS, ad quem primo loco spectat collatio beneficij, lapso tempore lateranensis concilij, conferre non potest.

QVIA in collatione beneficiorum, ne diu remaneant vacantia, assignatur cuilibet collatori determinatum tempus, ita, vt vno negligente, deuoluatur ipso iure potestas conferendi ad alium vsque ad Papam. c. nulla.de conces. præb. Et quoniam nemo debet mittere manum in messem alienam. c.1.de sepultur. Ideo ex quo vnus collator non habet amplius potestatem conferendi, si, post tempus sibi assignatum à iure, de facto conferat, collatio non tenet, vt in tex.& supr.c. prox.

In sexto. Cap.1. Romana.

IVRISDICTIO suffraganei excommunicati, ad metropolitanum non deuoluitur.



VIA metropolitanus nullam habet iurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum, nisi in casibus quibusdam in iure expressis, vel in quibus id sibi reperitur per antiquã consuetudi nem

dinē acquisitū. c. duo simul.de off.ordin.& c.conquestus.9.q.3. Et quoniam non reperitur Archiepiscopo concessum,vt, excommunicato Episcopo, deuoluatur ad eum iurisdictio ipsius excommunicati, in illius subditos exercenda.vt in tex.Ideo de iure in tali casu non debet in illos se ingerere, sed ad Papam omnium ordinarium est recurrendum. Archid.ver.reuocamus.Non conceditur autem in tali casu iurisdictio Archiepiscopo, quia ei daretur occasio excommunicandi suffraganeum, vt illius iurisdictio ad ipsum perueniret; quod esset ad iniuriam sæpè Episcopis,& ad incommodum semper subditis.Gemin.hic.nu.5.Et contra iniurias,quæ faciliter possent euenire,cautè est prouidendum. §. sed ne dum.Institut.de vi bon. rapt.Casus autem,in quibus conceditur Archiepiscopo iurisdictio in subditos sui suffraganei, notantur per glos. in c.pastoralis.de offic.ordin.& Ioan. Monach. hic.

Cap.2.Grandi.

SI ille,qui praeest,est negligens,& remissus, debet superior illi dare idoneum coadiutorem.

QVIA ad superiorem spectat prouidere, ne prælati defectu ecclesia in spiritualibus,& temporalibus patiatur detrimentum.c. ne pro defectu.extr. de elect. Et quoniam prælatus iam institutus non pro qualibet negligentia, & remissione, est dignus depositione. c. quicquid.1.q.1. Nam si quæritur, an propter negligentiam possit clericus à beneficio remoueri, distinguitur, Aut enim vna cum negligentia concurrunt alia delicta, & tunc remouetur à dignitate sua. vt in c. si quis abbas.18. q.2. Aut non concurrit aliud delictum, sed cum negligentia concurrit timiditas, & remissio in non exercendo sibi iniuncta, & tunc non deponitur,sed datur ei coadiutor.vt in tex.& c.ea, quæ. §. quod si. de stat.monach.Aut non concurrit timiditas; & tunc, aut transit in aliam speciem delicti,vt quia negligit res ecclesiæ, sinit dilabi domus, & possessiones illius;& ista,cum non stent in vi negligentiæ, inducunt depositionem.vt in c.dictum.dist.81.& c.cum ad monasterium.de stat.monach.Aut est negligentia magna, quæ potest aliter appellari neglectus: & dicitur neglectus,quando post negligentiam monitus est, & non desistit.arg.c.placuit.11.q.3.Et tunc etiam potest deponi pro tali negligentia.glos.in d.c.cum ad monasterium. ver. negligens. & de offic. custod. c.1,Aut negligentia est mediocris,& tunc requiritur monitio.vt in d. c. quicquid.& not Gemin.hic. Ideo quando prælatus est negligens, & remissus,sed sine alio delicto,vt in casu huius tex.debet ei dari coadiutor, qui alatur de reditibus prælaturæ.glos. hic ver. alioqui. Vt sic illius negligentia aliquo pacto puniatur,ecclesiæ de idoneo ministro prouideatur, prælatus pro mediocri causa à sua ecclesia non remoueatur, & coadiutor proprijs stipendijs militare non cogatur; sed vbi est socius passio-

pasionum,ibi etiam consolationum constituatur.d.c.ea, quæ. & de cleric.ægrot.c.de rectoribus.

Cap. 3. Si episcopus.

EPISCOPO à paganis, vel à schismaticis capto, non administrat Archiepiscopus.

QVIA Archiepiscopus non succedit in iurisdictionem sui suffraganei deficientis,nisi in casibus in iure expresis.supr.c.1.& extr. de offic.ordin.c.duo simul.Et quoniam non reperitur in iure expressum, vt ad Archiepiscopum deuoluatur iurisdictio Episcopi ab hostibus capti. glos.2.hic.Ideo in tali casu ipse in locum illius administrare non debet. vt in tex.& supr.eod.d.c. 1.

SED administrat Capitulum.

QVIA ecclesia cathedrali vacante, iurisdictio Episcopi regulariter deuoluitur ad capitulum.c.cum olim.& ibi.glos.extr. de maior. & obed. Et quoniam per huiusmodi capturam Episcopi, ecclesia quasi vacare censetur. glos. hic ver. sed capitulum. Nam qui sic detinetur, mortuus reputatur,quia seruus factus est. Instit.de iure person.§.penul. & ff.de capt.& postlim.reuers.l. post liminij. Ideo capitulum debet in spiritualibus,& temporalibus administrare, ac si sedes per mortẽ illius Episcopi vacaret; donec Episcopum libertati restitui, vel per Sedem Apostolicam (cuius interest ecclesiarum prouidere necessitatibus) super hoc per ipsum capitulum, quam citò commodè poterit, consulendam,aliud contigerit ordinari.vt in tex.& infr.c. prox.

Cap. 4. Ecclesiæ.

ECCLESIAE cathedrali vacanti solus Papa visitatorem deputat.

QVIA talis visitator solet dari pro administratione ecclesiæ in spiritualibus,& temporalibus,Sede vacante,vbi videtur deficere capitulum.c.is,cui. supra de elect.& c.constitutum, & ibi glos.7. q.1.Sicut coadiutor datur,Sede non vacante,vbi deficit prælatus. c. pastoralis.infr.de cler. ægrot. Et quoniam isti visitatori conceditur de illa iurisdictione,quæ de iure communi competebat capitulo. supr. c. prox. Ideo solus Papa de plenitudine potestatis potest hoc facere, inaudito capitulo.glos.hic.ver.non potest.& d.c.is,cui. Ipse enim solus potest supra id,quod de iure communi constitutum est,disponere, & immutare. c.proposuit.extr.de conceß.præb.

NISI Archiepiscopus propter negligentiam, vel dolosam Capituli administrationem,cum causæ cognitione deputaret.

Quia

QVIA sicut Archiepiscopus non debet se intromittere in iurisdictionem sui suffraganei defuncti, nisi in casibus in iure expressis, vt supr. in c. prox. Ita in casibus sibi à iure concessis ius suum negligere non debet. extr. c. licet. Et quoniam in iure reperitur expressum, quod vbi in ecclesia non sunt clerici idonei, tunc potest, & debet Archiepiscopus bona vacantis ecclesiæ illibata seruare, & illa Episcopo, qui ibi ordinabitur, reddere. c. non liceat. 12. q. 2. Ideo in tali casu potest visitatorem deputare, qui bona ecclesiæ futuro Episcopo conseruet. vt in tex. & d. c. non liceat. Nam qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. c. vt famæ. extr. de sent. excom. Debet tamen illum deputare, vocato capitulo, causæq. super hoc cognitione præmissa. vt in tex. quia per talem deputationem aufertur de iure, quod in administratione competebat capitulo, sede vacante, vt dictum est superius. Et Archiepiscopus non potest tollere capitulo ius suum, illo inaudito, & sine causa. glos. hic. ver. non potest. & c. inter. de maior. & obed.

§. Huiusmodi.

VISITATOR ecclesiæ vacantis ab inferiore à Papa deputatus, spiritualia, & temporalia administrat, excepta beneficiorum collatione ad episcopum pertinente.

QVIA visitator solum illa potest, quæ sibi per canones conceduntur. glos. in c. obitum. dist. 61. Et quoniam solum visitatori deputato à Papa conceditur beneficiorum ad Episcopum pertinentium collatio, propter ampliorem dantis prærogatiuam. c. is, cui. supr. de elect. cæteris verò datis ab inferioribus datur tantummodo administratio, sed non beneficiorum collatio, vt in tex. & glos. ver. non potest. Ideo visitator inferiorum beneficia conferre non debet. c. hoc tantum. 18. q. 2. & glos. in d. c. obitum.

In Clement. Cap. vnic. Quia.

SI prælati regulares non conferunt intra sex menses, prioratus, administrationes, & ecclesias vacantes, quæ non sunt de mensa, sed solent speciales, licet obedientiarios, rectores habere; diœcesani auctoritate sua, vel Apostolica, si sint exempta, conferant illa personis, quibus per prælatos fuerant conferenda.

VIA prouidendum est per superiorem, ne, ex inferioris defectu, ecclesiæ vacantes diu maneant in suspenso. c. nulla. extr. de concess. præb. Et quoniam de iure communi Episcopus est ordina-

dinarius superior in tota sua diœcesi. c. 1. extr. de offic. ordin. Ideo vbi beneficia per priuilegium, vel aliud ius speciale, non sunt exempta, inferioris defectus per Episcopum in illorum prouisione est supplendus. c. 2. eod. in 6. Non autem suppletur per conuentum illius ecclesiæ, vt in tex. sicut defectus Episcopi in collatione suppletur per capitulũ. d. cap. nulla. quia non est tanta coniunctio inter cæteros prælatos, & eorum conuentus, quanta est inter Episcopum, & suum capitulum. c. requisisti. de testam. Et regulariter inferior non debet supplere negligentiam alterius, sed superior. c. non putamus. de consuet. in 6. Vbi verò propter priuilegium exemptionis, tales ecclesiæ vacantes Episcopo non subessent, datur ei per hunc canonem facultas, vt auctoritate Apostolica conferat. vt in tex. quia res facile redit ad naturam suam. c. si de terra. extr. de priuil. & l. & si contra. C. de nupt. Ideo ex quo isti prælati inferiores conferunt ex iure speciali, Episcopi vero de iure communi, facile conceditur, vt ab ipsis reuertatur collatio ad Episcopum. vt in tex. Et hæc intellige de exemptis, qui nõ habent supra se, nisi Papã; nam si alios prælatos superiores haberent, fieret deuolutio ad illos. Abb. hic. Super ecclesijs verò exemptis, quæ sunt de mensa talium prælatorum exemptorum, non datur Episcopis hæc facultas conferendi. vt in tex. quia ecclesiæ illæ non dicuntur vacare. Clem. vnic. ver. quidam. de excess. præl. Nam non habent specialem administratorem alium à superiore prælato, de cuius mensa sunt, licet in eis ponantur simplices ministri, seu fructuum collectores. glos. in d. Clem. ver. ad mensam. & sic in illis non habet locum, quod statuitur de negligentia in collatione ecclesiæ vacantis supplenda. glos. hic. ver. de mensa. Debet autem Episcopus conferre clericis sæcularibus, vel regularibus, sicut debebat ipse prælatus regularis. vt in tex. quia potestas superioris in conferendis beneficijs deuolutis, modificatur, & regulatur secundum potestatem ipsius inferioris, cui superior in tali casu subrogatur, vt quibus ille conferre non potuisset, nec similiter possit ipse superior. Anchar. nu. 6. Translationes enim de persona in personam fiunt cum sua causa, & suis qualitatibus, modis, & conditionibus. l. Caio, & Seio. ff. de alim. & cib. leg. & l. legatum sub conditione. ff. de adim. leg.

NEC permittant illa applicari mensis prælatorum.

QVIA huiusmodi applicatio esset quædam vnio facta ad propriã vtilitatem. Ioan. Vanquel. hic. Et quoniam nemo debet in proprio facto auctorizare. c. fin. de institut. Et nullus prælatus, quãuis exemptus, inferior Episcopo potest ecclesias vnire. c. sicut. de excess. præl. Ideo tales prælati proprijs mensis ecclesias, seu prioratus applicare non possunt. vt in tex. & Clement. ne in agro. §. ad hæc. de stat. regular. Sed vbi esset casus vniendi, per ordinarium Episcopum cum assensu prælati regularis vnio esset facienda. d. §. ad hæc.

VEL

VEL pensionibus grauari.

QVIA status ecclesiæ debitus, & antiquus per alicuius insolentiã subuerti non debet.supr.c. sicut. Et quoniam si ecclesiæ per tales prælatos pensionibus grauarentur, illarum status diceretur indebitè mutari. Anchar.nu.10. Ideo nouas pensiones imponere, vel veteres augere, huiusmodi prælatis prohibetur.vt in tex. & c. significauit. extr. de censib. Per Episcopum tamen possent ex causa istæ pensiones imponi, & immutari. glos. hic.ver.imponant. & c.prohibemus. & ibi glos.2.extr.de censib. & ad huius cap. materiam vide Concil.Trid. sess. 14.de reform.cap.10.

Liber Primus. Titulus Vndecimus.

DE TEMPORIBVS ordinationum, & qualitate ordinandorum.

In Decretal. Cap.1. Subdiaconus.

DIEBVS Dominicis, vel sabbato Pentecostes, sacri ordines ab alio, quam à Papa, conferri non debent.



VIA ea, quæ in signum singularis præeminentiæ Summus Pontifex sibi reseruauit, alius sine eius speciali mandato attentare nõ potest.c. quod translationẽ. de off.leg. Et quoniam cæteris Episcopis assignantur dies aliqui ieiuniorum, in quibus sacros ordines possunt conferre.infr. c.de eo. Dies verò Dominicos, & sabbatum Pentecostes, ad illos conferendos Summus Pontifex in signum prærogatiuæ sibi reseruauit. glos.1.hic, & glos.in d.c.quod translationem. Ideo in his diebus Episcopi illos conferre non debent.vt in tex. & c. ordinationes il 2. dist.75. quamuis consecrandi dicatas virgines, & minores ordines his diebus habeant licentiam celebrandi.vt in tex.& d.c.de eo.

Cap.2. Sanè,

NON valet consuetudo, quod extra statuta tempora sacri ordines conferantur.

QVIA consuetudo, quæ tendit contra ecclesiasticam disciplinam, non est seruanda.c.cum inter.& c.fin.de consuet. Et quoniam si

ſacri ordines darentur ab Epiſcopis extra tempora, eſſet cõtra id, quod per Summos Pontifices reperitur rationabiliter ſtatutum. vt ſupr. c. 1. & infr. c. prox. Ideo talis conſuetudo, tanquam inſtitutioni eccleſiaſticæ inimica, eſt penitus improbanda. vt in tex. & ſupr. c. prox. Taliter tamen ordinati reciperent characterem, ſed eſſent ab ordinum executione ſuſpenſi, & ordinantes venirent ordinandi poteſtate priuandi. vt in tex. & gloſ. fin.

Cap. 3. De eo.

MINORES ordines conferri poſſunt diebus feſtiuis.

QVIA determinatio temporis circa ordinum collationem, eſt inducta à lege poſitiua. Burr. num. 2. Et quoniam minores ordines non ſunt tantæ dignitatis, ſicut maiores, qui dicuntur ſacri, eo quod habent aliquem actum immediatum circa rem aliquam conſecratam, quem non habent minores. S. Thom. part. 3. q. 37. art. 3. in addit. Ideo non fuit ſtatutum, vt eorum collatio fieret tempore ieiuniorum, ſicut fit in ſacris; ſed ſatis fuit ad eorum reuerentiam, vt diebus feſtiuis conferri deberent. vt in tex. & c. ordinationes diſt. 75.

SACRI verò conferri debent in quatuor temporibus, vel ſabbato ſancto, vel ſabbato de paſſione.

QVIA ſacri ordines propter eorum maiorem excellentiam, exigunt maiorem reuerentiam, quam ordines minores. vt dictum eſt ſuperius. Et quoniam inter cætera requiſita, eſt, vt conferantur ieiunis, & à ieiunis, & vt non conferantur paſſim. c. quod à patribus. diſt. 75. Ideo ad illorum collationem ſtatuuntur iſta præcipua tempora ieiuniorum, quę ad illos conferendos, nec nimium ſępe, nec nimis rarò veniunt in anno. vt in tex. & cap. ieiunium. diſt. 76. & Concil. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 8.

Cap. 4. Ex tenore.

CRIMINOSVS occultus moneri poteſt, ne promoueatur ad or dines.

QVIA in quolibet ordine quis conſtituitur dux alijs in rebus diuinis. c. qualis. 8. q. 1. Et quoniam qui præponitur, vt ſit alijs exemplo, debet illos excedere meritis. c. nullus. de elect. in 6. Qualis enim erit ædificatio diſcipuli, ſi intelligat magiſtro ſe eſſe maiorem? d. cap. qualis. Ideo non ſolum Epiſcopi, Presbiteri, Diaconi, & Subdiaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui præſident, ſermone, & conuerſatione præcedant; verum etiam & inferiores gradus, exorciſtæ, lectores, cuſtodes ædium, acolythi, & omnes omnino, qui domui

mui

mui Dei deseruiunt;cum ecclesiam Dei vehementer destruat, meliores esse laicos,quàm clericos.d.c. qualis; Vnde qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accedit, quasi præsumptuosus mortaliter peccat; & ob id sanctitas vitæ requiritur ad ordinem de necessitate præcepti;licet non de necessitate Sacramenti; nam si malus ordinatur, ordinem recipit,sed cum peccato.S.Thô.par.3.q.36.art.1. in addit. Et quoniam ad pastorem, & prælatum pertinet inuigilare pro salute ouium, & subditorum.c.irrefragabili.de offic. ordin. Et melius est ante tempus occurrere, quàm post causam vulneratam remedium quærere. l. fin. C. in quib.caus.in integr.restit. non est necess. Ideo prælatus ordinator debet monere,vt nullus criminosus ad ordines accedat. vt in tex. & Concil.Trid.sess.23.cap. 7. Quæ vero crimina impediant promouendum, & quæ deijciant ab ordinum executione promotum, tractat glos. 1. hic. Non enim omnia,quæ ordinandum impediunt,ab ordinum executione deijciunt.15.q.1.§. fin.

SED prohiberi non debet.

QVIA ecclesia non iudicat de occultis.c.erubescant.dist.32. Et ob id occulta peccata solum Deum habent vltorem.c.Christiana.32. q.5. Et quoniam vbi deficit criminis probatio, cessat illius punitio;cum iudex debeat iudicare secundum allegata,& probata, non autem secundum conscientiam.glos.in c.iudicet.3.q.7. Ideo, probatione cessante quo ad ecclesiam, & criminis præsumptione non apparente, non debet quis ab ordinum promotione,si adsint alia requisita, prohiberi.vt in tex.Sed satis est vnumquemque admonere.glos.1. hic.

Cap. 5. Ad aures.

RELIGIOSVS contra prohibitionem prælati sui ordinari non debet.

QVIA honestius,& tutius est subiectis, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deseruire, quam cum præpositorum scandalo, graduum appetere dignitatem; nam potest esse,quod prælati eorum commissa secreta nouerint, ex quibus constat eis,quod,salua conscientia,nequeunt sublimari; cum non in sublimitate graduum,sed in amplitudine charitatis,regnum Dei acquiratur.vt in tex.& c.non loca. dist. 40. Et quoniam religiosus non habet nolle,neque velle.c.non dicatis. 12.q. 1. Et vbi prælatus non præcipit aliquid malum,ei obedire tenetur.c.quid.23. q.1. Ideo in hac parte subiectorum desiderium non est confouendum; sed superioris prohibitio est attendenda.vt in tex:& glos.1.quæ latè distinguit, quando sit obediendum prælato,vel non,& c.2.de maior.& obed.

Cap.

Cap. 6. Si Archiepiſcopus.

METROPOLITANVS ab omnibus ſuffraganeis conſecratur.

QVIA actio, quæ omnes tangit, ab omnibus debet comprobari. c. licet. 8. q. 1. & l. in concedendo. ff. de aqua pluu. arcend. Et quoniam metropolitanus præeſt omnibus Epiſcopis ſuæ prouinciæ. c. Archiepiſcopus. diſt. 66. Ideo ad eius conſecrationem omnes iſti Epiſcopi ſunt vocandi. vt in tex. & c. quia. diſt. 64. Sed ſi eorum aliqui venire, vel conſentire noluerint, vel ſi contradicant, & nihil rationabile opponant, poterit conſecrari à maiori parte illorum. Abb. hic. nu. 3. Quia cum nihil rationabile opponant, pro conſentientibus habentur, gloſ. in cap. ſane. diſt. 65.

SVFFRAGANEI verò à tribus.

QVIA de forma conſecrationis epiſcopalis eſt, vt illa fiat ad minus à tribus Epiſcopis; cum talis numerus in ea fuerit ab Apoſtolis conſtitutus. c. porrò. diſt. 66. Et quoniam non ſunt Epiſcopi extra prouinciales vocandi ad conſecrationem Epiſcopi, niſi in defectum comprouincialium. c. ſi fortè. diſt. 65. Ideo à tribus Epiſcopis de ipſa prouincia, poteſt Epiſcopus ſuffraganeus conſecrari. vt in tex. & c. comprouinciales. diſt. 64.

METROPOLITANO iubente.

QVIA cum ipſi ſuffraganei ſint ſub iuriſdictione Archiepiſcopi. c. ſuffraganeis. de elect. eius iuſſu illorum conſecratio eſt facienda, vt vnicuique prælato, & eccleſiæ, proprius honor, & iuriſdictio ſeruetur. c. mos antiquus. diſt. 55. Sed quoniam in conſecratione ſuffraganei, neceſſario Archiepiſcopus non adeſt vt conſecrans, ſed vt iubens, vt conſecratio fiat, & eius actus eſt potius iuriſdictionalis, quam ordinis. d. c. ſuffraganeis. Ideo ſufficit, vt ipſe committat alteri Epiſcopo vices ſuas, qui in ſuffraganei conſecratione interſit. gloſ. 1. infr. c. prox. & gloſ. penult. in c. 1. de tranſl. epiſc.

Cap. 7. Nec Epiſcopi.

EPISCOPI comprouinciales ſunt admonendi, vt accedant ad conſecrationem alterius Epiſcopi.

QVIA licet ad formam conſecrationis Epiſcopi, ſufficiant tres Epiſcopi ad illum conſecrandum. vt in tex. & ſupr. c. prox. De neceſſitate tamen præcepti, ſunt omnes Epiſcopi comprouinciales ad illum actum requirendi. cap. epiſcopi. diſt. 64. Et Innocent. hic. Et

quoniam

quoniam in talibus plus obest contemptus vnius, quam multorum contradictio in præsenti.c. bonæ memoriæ. de elect. Ideo si aliquis eorum non fuerit vocatus, poterit agere de contemptu, & instare, vt ille priuetur executione officij.Innoc. hic. Sicut in electione agitur, vt ob id illa cassetur.c.quod sicut.de elect.Sed si illi accedere non possunt, sufficit, vt id significent per epistolas. vt in tex. & d. c. Episcopi. Quia in tali casu sufficit eorum habere consensum.vt in tex.& supr.c.prox.Et actus, qui solo consensu perficitur per epistolam perfici potest. l. 1. ff. de contrahen. empt.

Cap.8. Cum quidam.

ORDINANS extra tempora debita punitur.

QVIA Episcopus, qui confert ordines extra debita tempora, transgressor est canonum.supr.c.sanè.Et per consequens peccat. c. 1. de constitut. Et quoniam quis puniendus est in eo, in quo deliquit. infr.c. literas. Ideo talis ordinans est canonica disciplina corrigendus. vt in tex.scilicet, vt priuetur potestate conferendi ordines, quos illicitè contulit.d,c.sanè.& glos.1.hic.

ET ordinatus sine Papæ dispensatione ordines non exequitur.

QVIA, licet quocunque tempore ordines ab Episcopo conferantur, character imprimatur; cum tempus non sit de substantia ordinis, sed de solemnitate. infr. c. consultationi. Tamen quoniam ille, qui sic recipit contra canonum dispositionem, peccat.glos.1.in d.c.consultationi.Ideo in eius pœnam statuitur, vt sine Papæ dispensatione ipse nô possit in susceptis ordinibus ministrare, vt in text.& infr.c. literas.

Cap.9. Cum secundum.

GRAECI à Latinis ordinari non debent, nec econtra, si in ritu ordinandi sunt diuersi.

QVIA vtrique populo sua rationabilis cõsuetudo, & laudabilis ritus est seruandus.c.quoniã.de offic.ordin.Et quoniam si Græcus ordinaretur à Latino, vel Latinus à Græco, diuersi ritus, necessario fieret aut contra ritũ ordinati, aut contra ritum ordinantis; & vtrunque esset malum.Butr.nu.4.& Abb.nu. 1. Ideo tam Latinus, quam Græcus secundum propriæ institutionis obseruantiam est ordinandus. vt in tex. & not.infr.in c.quod translationem. Ritus enim, vt inquit festus, est mos comprobatus in administrandis sacrificijs. Et respicit solemnitatem, non essentiam actus.Abb.hic.Sed circa rationabiles antiquos ritus Græcorum à sanctis patribus inductos, quæ hodie sint addita in eis, & immuta-

mutata per Græcos schismaticos, quæ, (cum sint errores, & maledicentiæ) sunt improbanda, & abolenda, adnotauit Reuerendissimus Gaspar Viuianus bo.me. patruus meus, Episcopus Anagninus, in expurgationibus, quas fecit ad Menologium, quo Græci huius temporis vtuntur, quod ipse sic adnotatum cum alijs libris græcis, Collegio Græcorum Vrbis, eius suasu à Gregorio XIII. Pont. Max. erecto, dono dedit anno Domini 1600. Ipse enim à Paulo Quarto vigilantissimo Pontifice Maximo, Episcopus Sythiensis in Creta constitutus, vbi & per multos annos extitit in spiritualibus Vicarius generalis totius Insulæ, erat in eorum lingua, & gubernatione, per scientiam, & experientiam versatissimus; Et religione, ac prudentia in pluribus elaborauit, per quæ possent Græca natio, & aliæ Orientales, ad cognitionem, & obedientiam ecclesiæ catholicæ, & Apostolicæ Romanæ, facilius reduci; Et ob id institit, & fuit operatus, vt Romæ Typographia externarum linguarum induceretur, Collegiumque Græcorum ibidem erigeretur. In quibus operibus Gregorius XIII. benignissimus pastor, paterno zelo liberalissimè expendebat. Post cuius obitum Serenis. Ferdinandus Medices, magnus Etruriæ Dux, nostris temporibus Turcarum flagellū & præclarūs Italiæ splendor, tunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ipso patruo meo hortante, dictæ Typographiæ munus, & expensas, religiosa magnanimitate est amplexus. Quo extincto, Paulus Quintus Summus Pontifex eidem operi summa pietate fauet, & constitutionem edidit, per quam præcipit, vt in generalibus studijs Regularium, lectores externarum linguarum adhibeantur; quæ constitutio incipit, Apostolicæ. Data pridie Kal. Augusti. 1610.

Cap. 10. Ex parte.

SI monachus vnius ordinis, in secundo ordine, ad quem transiuit, recipit sacerdotium, ad primum ordinem rediens, in eo liberè ministrabit.

QVIA si monasterium, ad quod transiuit, fuit maioris religionis, iste monachus per illius ingressum non peccauit, sed meruit. c. licet. de regular. Et quoniam sic intelligitur fuisse in casu huius text. glos. fin. hic. Ideo cum ei nihil obstet, potest de iure communi in suscepto ordine libere ministrare. vt in tex. Si vero fuit minoris religionis, tunc mortaliter peccauit. d. c. licet. & in tali casu esset cum eo dispensandum, aliter ministrare non posset. d. glos. hic. Quam dispensationem posset concedere abbas. Butr. nu. 5. Licet cum monacho apostata, qui redierit ad sæculum, & ex toto reliquerit habitum monachalem, si fuerit in tali apostasia ordinatus, dispenset solus Papa. c. fin. de apostat.

Cap. 11. Quod translationem.

SI Græcus, Episcopo Latino subiectus, ordinatur sine Latini licentia à Græco, interdicitur sibi executio.

QVIA diuersitas ritus inter superiorem, & inferiorem, dummodo sint sub vna fide, non impedit subiectionem spiritualem. Abb. nu. 1. Et quoniam subditus vnius Episcopi, si ab alio absque sui licentia ordinetur, est ab ordinis executione suspendendus. c. si quis. dist. 71. Ideo tali Græco est ordinis executio interdicenda, tanquam ab alieno Episcopo sine sui licentia ordinato. vt in tex. & c. Lugdunēsis, 9. q. 2.

SI verò de licentia, tunc toleratur.

QVIA vnicuique populo suus laudabilis ritus est seruandus. supr. c. cum secundum. & de offic. ordin. c. quoniam. Sed quoniam Episcopus latinus, vbi potest, & est necesse, debet habere vicarium Græcum, qui sit Episcopus, ad ordinandum suum subditum Græcum. d. c. quoniam. Ideo si illum non habeat, permittitur, vt possit illum facere per alium Episcopum eiusdem ritus ordinari. vt in tex. Clericos tamen latinos debet cauere, ne faciat ab antistite Græco ordinari. vt in tex. & d. c. cum secundum.

Cap. 12. Cum in distribuendis.

ORDINATVS à Papa, sine licentia Papæ ad superiores ordines non promouetur.

QVIA deferendum est excellentiæ Papæ aliquid exordientis, vt, vbi ipse manus imposuit, inferior illud inceptum perficere non audeat. glos. hic. & glos. fin. in c. per tuas. de maior. & obed. Sicut propter reuerentiam, presbyter eodem die missam celebrare non debet in altari, in quo celebrauit Episcopus, sine illius licentia, nisi necessitate vrgente. c. fin. & ibi glos. de consecr. dist. 2. Ideo ex quo Papa contulit alicui aliquem ordinem, debet ab eo obtineri licentia, vt alius Episcopus possit illum ad superiores ordinare. vt in tex. Qui ordinatus licet in hoc grauetur, quasi sibi impediatur libertas suscipiendi ordines ab alijs; honoratur tamen in pluribus, quia ei maior honor debetur, quam alijs eiusdem ordinis, licet non per hoc eximatur à iurisdictione proprij Episcopi. d. c. per tuas. Et non potest conuici, nisi pluribus testibus. c. præsul. & c. nullam. 2. q. 4. Et non potest cogi ab Episcopo recipere ordines. glos. hic.

Cap. 13. Literas.

DVO sacri ordines non possunt conferri eidem vno die.

QVIA sacri ordines propter eorum excellentiam, non sunt passim, sed statutis temporibus, conferendi.not.supr.in c.de eo.& dist.75. c.quod.Ideo solũ conferuntur quibusdam diebus de ieiunijs, qui non sunt, nec nimium sæpe, nec nimium raro, intra annũ.vt in d.c.de eo.

VEL duobus diebus, continuato ieiunio.

QVIA sicut vtrunque ordinem eodem die vni conferre non licet, pari ratione non licet vnum ordinem vna die, & alium altera die (ieiunio continuato) conferre; cum propter continuationem ieiunij, fictione canonica, siue mane diei dominicæ trahatur ad sabbatum, siue vespera sabbati ad diem dominicam referatur; profecto mane cum vespera, seu vespera cum mane ad eundem die pertinere dicetur; Nam si quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, mane ad vnum diem, & vespera referatur ad alium; cur esset continuatio ieiunij necessaria, cum, & sabbato ante cœnam, & dominica ante prandium, intelligantur esse ieiuni? vt in tex. Ideo cum propter continuationem ieiunij, dies Dominica, cum die sabbati ordinationis, fingatur vna dies, sicut eidem non licet duos sacros ordines conferre in vna die verè, ita non est licitum, eos conferre in eadem die interpretatiuè. vt in tex. Sed si alicui vnum ordinem sacrum die sabbati, & alteri alium, continuato ieiunio, manè diei Dominicæ quis Episcopus conferret; per ecclesiam talis collatio non improbaretur.d. c. quod. dist. 75. quia tunc dies Dominica propter ieiunium continnatum trahitur interpretatiuè ad sabbatum, & censetur vna dies, in qua licitum est diuersis, sed non vni, diuersos sacros ordines conferre. glos.1.& glos.ver.pertinere.hic.

Cap. 14. Vel non est.

ORDINANS puerum tredecim annorum in diaconum, suspenditur à collatione ordinum.

QVIA talis ordinans, vel non est compos sui, vel nimis videtur à se scientiam repulisse, qui in ludibrium ordinis clericalis, contra sacrorum canonum instituta, ita inordinatè puerum in sacris ordinare præsumpsit.vt in tex.Et quoniam quis puniendus est in eo, in quo deliquit.supr.c.prox. Ideo talis, qui peccauit in ordinibus conferendis, ab ordinum collatione suspenditur.vt in tex. & supr.c.sanè. Quæ suspensio non incurritur ipso iure, sed per sententiam est ferenda; cum tex.hic loquatur per verba significantia executionem futuram, non præsentem. Butr.nu.2.Et talis ordinans non solũ est suspendendus à collatione illius certi ordinis, in quo deliquit, vt fuit supr.in c. prox. Sed propter grauitatem excessus commissi in tali ordine sic inordinatè collato, est suspendendus etiam ab omnium aliorum ordinum collatione.glos. ver. suspendentes. Sed quando quis est suspensus à collatione certi ordinis, non intelli-

intelligitur suspensus à collatione ordinum inferiorum, nisi in pœna suspensionis id exprimatur. Abb.nu. 5. Quia in pœnis benignior interpretatio est facienda.c.in pœnis.de reg. iur. in 6. Et quod de vno negatur, de alio conceditur.c.non ne.& ibi glos.fin.de præsumpt. Sed bene intelligitur suspensus à collatione aliorum ordinum illo superiorum, quamuis id non exprimatur. Abb.hic, quia delinquendo in minori, fecit se indignum de conferendo maiorem. c. 1. de ordin.ab episc. qui renunt. Et pactum pænale, & odiosum, propter euitandam absurditatem, recipit interpretationem etiam extensiuam.l.cui pacto.ff.de seru. export.

ET ordinatus suspenditur ab ipsius ordinis executione, vsque ad ætatem legitimam.

QVIA videretur in ludibrium illius ordinis sacri, si per puerum exerceretur, vt in tex. Ideo tam in reuerentiam ordinis, quàm in iniuriam ordinantis, & in pœnam proprij defectus sic ordinati, quamuis ipse receperit characterem, decet, vt non habeat ante ætatem legitimam, illius ordinis executionem.vt in tex.& c.decernimus. 16. q. 7. Illam tamen recepit, nisi suspendatur, cum non sit suspensus ipso iure, sed est per sententiam suspendendus, vt dictum est superius de ordinante, & Butr.nu.4.

Cap. 15. Dilectus.

EPISCOPVS conferens eidem vno die plures sacros ordines ab ordinandi potestate suspenditur.

QVIA propter sacrorum ordinum excellentiam, fuit in iure canonico statutum, & per vniuersalem ecclesiam fuit obseruatum, vt eidem non posset vna die, nisi vnus ordo sacer conferri; & ille non qualibet die, sed in diebus ieiunij à iure statutis. supr.c.sanè.& c.literas. Et quoniam qui contrauenit dispositioni canonum, & ecclesiæ institutis, grauiter peccat.c.nam concupiscentiam.de constitut. & c. cum consuetudinis.de consuet. Et quis puniendus est in eo, in quo deliquit.d.c. literas. Ideo per delictum, quod talis Episcopus in ordinum collatione cõmisit, ab ordinandi potestate suspenditur.vt in tex.& supr.c. prox.

ETIAM si de mandato metropolitani hoc fecerit.

QVIA superiori in his, quæ sunt contra iura, vbi ipse dispensare non valet, non est parendum, & si pareatur, quis non excusatur, c. si dominus. 11. q. 3. Et quoniam Archiepiscopo huiusmodi dispensatio à canone non est permissa. vt in tex. Et inferior à Papa non dispensat, nisi in casibus à iure expressis, & sibi permissis.glos. ver. permissa. Ideo Episcopus non excusatur à delicto per mandatum Archiepiscopi, cum ei obtemperare non debuisset in hac parte. vt in tex. & c. de

rebus. 12. q. 2. In quibus autem casibus concedatur Episcopis, vt possint dispensare, tractant hic Innoc. & Abb.

Cap. 16. Consultationis.

ORDINATVS ad sacros ordines extra tempora statuta, ordinem recipit.

QVIA tempus ordinis conferendi, non est de substantia ordinis, sed fuit statutum, vt esset de præcepto ad bene esse, propter reuerentiam in collatione adhibendam. glos. 1. hic. & supr. c. vel non est. Et quoniam defectus solemnitatis extrinsecæ non impedit habitum actus, sed solum exercitium. Butr. n. 3. Ideo taliter ordinatus recipit characterem, sed non recipit illius ordinis executionem, vt in text. & supr. c. cum quidam.

ET post pœnitentiam, cum eo dispensat Episcopus.

QVIA Episcopus potest dispensare in casibus sibi à iure permissis. vt not. supr. in c. prox. Et quoniam hic exprimitur ista facultas dispensandi cum ordinatis extra debita tempora, Episcopis concessa. vt in tex. Ideo Episcopus potest concedere, vt tales ordinati in sic susceptis ordinibus administrent, vt in tex. & glos. fin. hic. Debet tamen taliter ordinatis competens pœnitentia imponi. vt in text. cum fuerint transgressores canonum, & grauiter deliquerint, vt supr. in d. c. cum quidam. Ideo in pœnam taliter ordinati, vltra suspensionem ei imponendam per aliquod tempus ab executione ordinis. vt in d. c. cum quidam. & c. vel non est. poterit imponi alia pœna ad arbitrium Episcopi dispensantis. glos. 2. hic. Intellige tamen, Episcopis esse concessam facultatem dispensandi cum istis, quando ex ignorantia fuerunt extra statuta tempora ordinati, vel si fuerunt ordinati scienter, quando necessitas, vel vtilitas ecclesiæ suadent ad dispensandum cum eis. Hostiens. hic. nam in cæteris casibus Papa sibi retinuit facultatem cum talibus dispensandi. vt in d. c. cum quidam. & c. litteras. supr. eod.

Cap. 17 Quæsitum.

OCCVLTVS criminosus, post pænitentiam in susceptis ordinibus ministrat, & ad superiores ascendit.

QVIA ecclesia non iudicat de occultis. c. erubescant. dist. 32. & latentia peccata, quo ad forum contentiosum ecclesiæ, non habent vindictam. c. Christiana. 32. q. 5. Ideo si per pœnitentiam, talis criminosus sit Deo reconciliatus, regulariter ab ordinibus per ecclesiam non prohibetur. vt in tex. & supr. c. ex tenore.

PRAE-

PRAETER homicidium.

QVIA omnes ordines referuntur ad Eucharistiæ sacramentum, quod est sacramentum pacis nobis factæ per effusionem sanguinis Christi. Et quoniam homicidium maximè contrariatur paci; & homicida magis conformatur occidentibus, quam ipsi Christo occiso, cui omnes habentes ordines debent conformari. Ideo de necessitate præcepti est, quòd non sit homicida, qui ad ordines promouetur, quamuis non sit de necessitate sacramenti. S.Thom.par.3.q.39. art. 4. in addit. Cum itaque effundere humanum sanguinem, & occidere, sit contrarium conformitati Christi, eiusq. effectui, id est paci, quam debent habere eius ministri.c.clericum.dist.50. Ideo fuit sancitum, vt homicida, quantumcunque occultus, etiam post peractam pœnitentiam, in ordinibus susceptis ministrare, & ad alios promoueri non possit. vt in tex.& c.inquisitionis.§.1. de accusat. Vnde Dominus dixit Dauid Prophetæ, post pœnitentiam: Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinis es. 1. Paralipom.cap.22. & de consecrat.dist.1.c.1. Et quoniam irregularitas est inhabilitas ad ordines recipiendos, vel ad iam susceptorum administrationem; ita quod non potest irregularis non dum ordinatus, sine dispensatione promoueri ad illos, nec iam ordinatus potest sine dispensatione exequi officia ordinum suorum; quæ inhabilitas trahitur formaliter ex effusione sanguinis, siue illa effusio sit iusta, & consequenter actus virtutis, siue iniusta, & consequenter actus vitij; vnde irregularitas est pœna, quæ nō semper incurritur propter culpā, licet semper incurratur iuste, & cū causa. Porrecta in d.art.S.Tho. Ideo etiam iudex, & omnes, qui in causa sanguinis ei participāt, sunt irregulares, propter hoc, quod effusio sanguinis non decet ministros sacramēti ordinis. S.Thom.d.art.4. Et omnes isti irregulares egent dispensatione Papæ ad hoc, vt possint ad ordines promoueri, vel in susceptis ministrare. Butr.nu.7. Sed quoniā irregularitas est impedimentum proueniens ex constitutione canonica. Archid, infr.eod.inc.1.in 6. Ideo non extenditur, nisi quatenus inuenitur à iure inflicta.c.is, qui.de sent.exc.in 6.

ET ante pœnitentiam monetur, vt etiam in susceptis non ministret.

QVIA ille, qui Deo ministrat, mortalis peccati maculam in se habere non debet.c.habuisse, dist.33. Ideo vnumquodque mortale peccatum suspendit peccantem quo ad se (licet, si sit occultum, non suspendat quo ad alios) vt, durante peccato, in ordinibus ille administrare non possit. Abb. nu.4. Sed quoniam in his occultis nulla est pœna contentiosa, sed pœnitentialis. Abb.d.nu.4. Ideo in tali casu criminis occulti, superior debet procedere admonendo, vt ante pœnitentiam ille non ministret in ordine suscepto, non autem debet procedere contentiose, eum ad hoc præcisè compellendo. vt in tex.& Butr.nu.6.

In

In Sexto. Cap. 1. Sæpe.

EPISCOPVS Italiæ, Vltramontanum non ordinet, nisi de speciali licentia Papæ, vel per patentes litteras Episcopi sui, continentes iustam causam, quare nolit, vel non possit illum ordinare.



VIA sæpe contingebat, quod nonnulli clerici, vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his habebatur notitia, fugiẽtes, se in remotis partibus faciebant ad huiusmodi ordines promoueri. vt in tex. Et quoniam fraudibus est obuiandum.c.super.extr. de rescript. Et animarum saluti est per superiorem inuigilandum.c.quamuis.extr.de reg.iur. Ideo Summus Pontifex Clemens Quartus, volens animarum ipsorum periculis obuiare, per hanc decretalem statuit, vt nullus Episcoporum Italiæ de cætero audeat aliquem Vltramontanum clericum ordinare, nisi à Summo Pontifice specialem licentiam habeat, vel ab Episcopo, de cuius diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cuius diœcesi beneficiatus existit; per eius patentes litteras, causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare. vt in tex. & vide Concil.Trid.sess.23.de refor.c.7.& 10.& sess.6.c.5.

SI secus factum fuerit, ordinans punietur pœna condigna, & ordinatus manebit suspensus.

QVIA pœna debet esse commensurabilis delicto.c.disciplina.dist. 45. Et quis puniendus est in eo, in quo peccauit.cap.litteras.ext. eod. Et quoniam tam ordinans, quàm ordinatus, deliquerunt in ordinibus, dando, vel recipiendo eos contra dispositionem huius decretalis. vt in tex.& extr.c.vel non est. Ideo vterque eorum punitur per suspensionem ab ordinibus.vt in tex.& infr.c.prox. nisi quo ad ordinantem alia pœna aliquanto grauior superiori visa fuerit imponenda; cum in casu huius tex.non sit contra illum determinatè assignata. arg. cap.de causis.§.2.extr.de offic. deleg. Et sicut contra talem Vltromontanum ordinatum contra dispositionem huius tex. imponitur maior pœna, quàm imponatur infr.in c.prox. contra clericum simpliciter alienum ordinatum à non suo Episcopo, vt in tex. ita grauior pœna est imponenda contra taliter ordinantem, quàm imponatur contra ordinantem simpliciter alienum. Gemin.hic.§.eos.

ITA quòd etiam à pœnitentiarijs Papæ, sine ipsius speciali licentia absolui non poterit.

Quia

QVIA pœnitentiarij Papæ non habent facultatem absoluendi in casibus ipsi Papæ reseruatis, sine ipsius speciali cōmissione. Francus hic nu.4.& Ioan.Andr.in c.ex multa,ext.de voto. Et quoniam in casu huius tex. Papa sibi reseruat facultatem absoluendi taliter ordinatos; & omnibus suis pœnitentiarijs districtè inhibet, ne absque sua speciali licentia cum istis ordinatis dispensent,vel suas eis tradant litteras, per quas cum ipsis debeat dispensari. vt in tex. Ideo per generalem commissionem,& facultatem datam à Papa pœnitentiarijs, non censetur data super isto casu, nisi per Papam in tali commissione aliter exprimatur. arg.c.cum in generali.infr. de offic.vicar. & Gemin. hic in fin. nam si fuerit eis data facultas super aliquo casu specialiter Papæ reseruato, & fuerit adiecta clausula generalis, & super omnibus alijs,quæ per nos possumus,etiam si mandatum exigant speciale, tunc poterunt absoluere etiam ab alijs casibus reseruatis,qui non sint maiores expressis,sed similes,vel minores.glos. fin. & ibi Gemin. infr.in c.2. de offic. vicar.

Cap.2. Eos,qui.

QVI scienter ordinauerint clericum alienum, per annum à collatione ordinum sunt suspensi.

QVIA quilibet est ordinandus à proprio prælato, vel ab alio de eius licentia.c.nullus.extr.de iurepatr.& c. nullum. 9.q.2. cum nemo debeat ponere falcem in messem alienam, nec alterius iurisdictionem sibi assumere.c.venerabilem. de elect. & cum non possit ordinare, qui non potest illum iudicare.Archid.hic nu.1. Et quoniam quis est puniendus in eo,in quo deliquit.extr.c.litteras. Ideo qui delinquunt in collatione ordinum, conferendo illos scienter clericis alienis absque superioris ordinandorum licentia,per annum à collatione ordinum suspenduntur,vt in tex. & Concil. Trid.sess.23. cap.8. Sed ex quo tex.hic indefinitè loquitur,dicendo à collatione ordinum, & non addendo vniuersalem omnium; cum simus in pœnalibus, ista indefinita non æquipollet vniuersali, vt à collatione omnium ordinum talis ordinans suspendatur. Archid.hic nu.3. & Gemin.col. fin. Sed ex quo delinquens in ordine minori, fecit se indignum de conferendo maiorem. c. 1.extr. de episc.qui renunt. episc. Ideo talis pœna suspensionis intelligitur se extendere ad illum ordinem, in quo talis deliquit, & ad alios ordines superiores, non autem ad inferiores ordine per huiusmodi ordinantem collato. vt not.extr.in c.vel non est. & glos.hic.ver. ordinum. Et quoniam Episcopus tenetur scrutari quemlibet ordinandum.c. qui Episcopus.dist.23. Et vbi tenetur quis aliquid scire,propter præsumptionem, quam habet contra se,debet probare ignorantiam verisimilem.c. innotuit.& ibi glos.ver.ignorantiam.de elect. Ideo talis Episcopus præsumitur

tur ſcienter ordinaſſe, niſi ignorantiam probet. gloſ.hic.ver.ſcien ter. Ad illam tamen probandam ſufficit ſuum iuramentum. c.vt circa. & c. nulli.ſupr.de elect. Et licet per alios examinet, ſi ipſe fuerit negligens ad ſcrutandum ea, ad quæ tenebatur, illorum culpa ſibi imputabitur.d. gloſ.hic.& de ſimon.c.in tantum.

ET poſtquam ſuſpenſio fuerit manifeſta, poterunt ſubditi ſine ipſorum licentia, à vicinis Epiſcopis ordinari.

QVIA æquum eſt, in pœnam iſtorum ordinantium clericum alienum, & ad prouidendum, ne eorum ſubditi ab ipſis impediantur, quin ordinentur ab alijs Epiſcopis, cum non poſsint ordinari ab eorum ſuſpenſis, vt ſicut ipſi Epiſcopi ordinauerunt alienos ſine licentia, ita ſui ſine ipſorum licentia ordinentur ab alijs, gloſ.ver. taliter. vt ſic puniantur, in quo peccarunt. extr.c.literas. Et iuxta illud, Patere legem, quam tu ipſe tuleris.l.1.& toto tit.ff.quod quiſque iur. Et quoniã in ordinatione eſt examinandum de qualitatibus ordinandi, ne forte promouerentur indigni.c.quando.diſt.24. Et vicini melius poſſunt ſcire, & ſe informare de vita, & moribus alicuius, quam poſſint remoti. c. quanto.de præſumpt. Vnde infames conſueuerunt fugere loca ſuæ vicinitatis.c.duæ.19.q.2. Ideo datur hæc facultas clericis iſtorum epiſcoporum, vt ſine ipſorum licentia poſsint ordinari ab alijs Epiſcopis vicinis, non autem à remotis, ne forte promouerentur incogniti, & indigni, vt in tex.& ſupr.c.prox.

Cap. 3. Cum nullus.

EPISCOPVS originis, domicilij, vel eccleſiaſtici beneficij, commendatitias ad ordines dare poteſt.

QVIA Epiſcopus ſuperior, ad quem ſpectat aliquid faciendum, poteſt illud alteri demandare, ſiue id ſit ordinis, ſiue ſit iuriſdictionis; dummodo id, quod eſt ordinis, alteri Epiſcopo demandet. gloſ. in c.aqua.extr.de conſecr. eccl. Et quoniam Epiſcopus ſuperior in caſu ordinationis, non ſolum intelligitur ille, de cuius diœceſi eſt is, qui ad ordines promoueri deſiderat, oriundus; ſed etiam ille, in cuius diœceſi, talis obtinet beneficium eccleſiaſticum, ſeu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium. vt in tex.& ſupr.gloſ.in c.ſtatutum. in §.cum verò. de reſcript. Ideo cum nullus clericum alienæ diœceſis præter ſuperioris licentiam debeat ordinare. vt in tex. vt poſsint alij Epiſcopi hoc facere, debent ab vno de iſtis Epiſcopis ſuperioribus literas commendatitias, ſeu dimiſſoriales habere; quod ſufficit quo ad licentiam, cum iſti ſint Epiſcopi habentes in hoc ſuperioritatem; vt in tex.& c.tuæ.extr.de cleric.peregr.& vide Concil.Trid.ſeſſ.7.de refor.c.10.& ſeſſ.23.c.10.

INFERIORES prælati non.

QVIA collatio ordinis,& eius demandatio,est de iure episcopali. glos.in d.c.aqua. Et quoniam inferior non debet sibi attribuere ius superioris.c. scriptum. 6. q.3. Ideo inferiores prælati non possunt talem ordinandi licentiam impertiri. vt in tex. & c. 2. infr. de offic. vicar.

NISI ex priuilegio.

QVIA Papa est ordinarius omnium.c.cuncta.9.q.3. Et potest alicui concedere ex priuilegio ea,quæ non competunt ex propria dignitate.c.vt Apostolicę.infr.de priuil. Ideo si ipse indulserit inferioribus pręlatis,vt possint has litteras ad ordines concedere,de illorũ auctoritate non erit ambigendum.vt in tex.& c.peruenit.dist.95. Sed & consuetudo præscripta posset facultatem dandi has litteras præbere. glos. hic.ver.indultum. quia talis demandatio est quid iurisdictionis. vt not. extr.eod.in c.dilectus. & consuetudo præscripta dat,& tollit iurisdictionem.c.dilecti.extr.de arbitr.

NEC officiales Episcoporum.

QVIA officiales Episcoporum non debent prætendere maiorem facultatem,quam eis fuerit concessa.c. 2. infr. de offic. vicar. Et quoniam ipsorum officium ad hanc facultatem dandi istas litteras ad ordines,non se extendit. vt in tex. Nisi habeant ad hoc speciale mandatum.glos.ver. non. Ideo per commissionem officij generaliter sibi factam, non debent officiales Episcoporum litteras dimissoriales ad ordines concedere.d.c.2.& 3.de offic.vicar.

SED ij, qui habent administrationem spiritualium, illas bene concedunt.

QVIA subrogatum sapit naturam eius,in cuius locum subrogatur. c.ecclesia.extr.vt lite pend. Et quoniam dare talem licentiam ad ordines, est quid spirituale. Gemin.hic.in §. Episcopo. Ideo illi, qui succedunt Episcopo in potestatem exercendi spiritualia,possunt has litteras dimissoriales concedere. vt in tex. Tales autem sunt in hoc casu,Vicarius generalis Episcopi in spiritualibus, ipso Episcopo in remotis agente; vel (sede vacante) capitulum,seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere. vt in tex. & sup.tit. prox.c.fin. Quo ad capitulum verò hodie est restrictum,vt intra annum à die vacationis ecclesiæ cathedralis, non possit tales litteras dimissoriales concedere,nisi ei,qui beneficij ecclesiastici recepti, siue recipiendi,occasione arctatus fuerit.Concil.Trid.sess.7.cap.10. Et eadem restri-

ctio fuit postea facta etiam quo ad alios, qui succedunt iurisdictioni episcopali, sede vacante. idem Concil. sess. 23. cap. 10.

§. Religiosi.

POSSVNT Episcopi ordinare priores prioratuum non exemptorum, & ipsorum socios, quamdiu morantur in illis, licet inde non fuerint oriundi.

QVIA religiosi sortiuntur domicilium in loco, vbi moram trahũt, licet ibi non debeant perpetuò morari, Bart. in l. 1. ff. ad municip. & Francus hic in fin. Et quoniam omnes, qui non habent exemptionis priuilegium, subsunt Episcopo loci. cap. cum Episcopus. infr. de offic. ordin. Et religiosi deputati in prioratibus non exemptis subsunt Episcopo, sicut cæteri non exempti. Gemin. hic in §. fin. Ideo sicut cæteri, qui subsunt Episcopo ratione domicilij, possunt ab eo ordinari, vt dictum est superius; ita possunt ordinari isti religiosi. vt in tex. Exempti verò permanentes in prioratibus exemptis, non subsunt Episcopo diœcesano, nisi in casibus expressis in iure. infr. de priuil. c. 1. & Clemen. 2. eod. tit. sed eorum Episcopus est solus Papa. glos. in c. nulla. dist. 93. Et eorum abbates, & prælati possunt dare commendatitias ad ordines. Gemin. in d. §. fin. Inter casus autem expressos est, vt quantumcunque abbas sit exemptus, debeat episcopalia petere ab Episcopo loci, nisi ille deneget ea malitiose, c. interdicimus. 16. q. 1. vnde etiã exempti debent ab Episcopo loci recipere ordines, chrisma, & consecrationes altarium, & ecclesiarum. c. veniens. extr. de præscript. & c. presbyteri. dist. 95. Et peccant abbates, qui volunt hæc potius accipere ab alijs, quàm à suis, nisi fortè priuilegiati sint, vt ea posint petere à quibuscunque velint. glos. 2. in d. c. presbyteri.

Cap. 4. Nullus.

EPISCOPVS, seu alius superior, primam tonsuram infanti non confert.

QVIA infans, scilicet, minor septennio, quid agat, ignorat. S. Tho. par. 3. q. 43. art. 2. in addit. Et quoniam per primam tonsuram clericalis ordo confertur. c. cum contingat. extr. de ætat. & qualit. ordin. Et illis est danda, qui vt Deo fidelem cultum præstent, clericalem vitam eligunt. Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. Ideo in ista ætate, in qua pueri ex defectu iudicij, nesciunt quid talis tonsura importet, & non habent cognitionem ad illam eligendam, non est eis talis ordo conferendus. vt in tex. & c. de his. distin. 28. Dicitur autem, quod illam non debent istis conferre Episcopus, seu alius inferior. vt in tex. quia etiam abbates illam conferre possunt. cap. abbates. infr. de priuileg. sicut etiam possunt ex pri-

ex priuilegio conferre cæteros ordines minores. glos. in cap. quoniam. distinct. 69.

NISI religionem intret.

QVIA parentes possunt filios infantes monasterijs offerre, & tradere, non vt per illã oblationẽ præcisè obligentur ad votum religionis emittendum, sed vt ad illam magis inclinentur. c. 1. & ibi in sum. 20. q. 1. Sicut similiter est in sponsalibus infantium, contractis per parentes ponentes spem ad illorum validitatem, in ratificatione filiorum, cum ad ætatem legitimam peruenerint. c. 1. extr. de desponf. impub. Et quoniã sũma est ratio, quę pro religione facit. l. sunt. ff. de relig. & sump. Ideo, licet regulariter non posit infanti prima tonsura conferri, vt dictum est superius, in fauorem religionis conceditur, vt in illo statu à sæcularibus negotijs remoto, posit infanti illam ingresso, iste clericalis ordo conferri. vt in tex.

NEC homini illiterato.

QVIA litteris carens, sacris officijs aptus esse non potest. c. illiteratos. dist. 36. Et quoniam ordines clericales ijs sunt conferendi, qui in illis proprium posint adimplere officium. c. penult. ext. de ætat. & qual. ord. Ideo litteras ignoranti, etiam prima tonsura conferri non debet. vt in tex. & c. præcipimus. dist. 34. Et hoc intellige de penitus illiterato. glos. in d. c. illiteratos; Et de illo, qui fidei erudimenta non fuerit edoctus, quique ad minus legere, & scribere nesciat. Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. Sed parum scientes, si est spes, quod posint addiscere, ordinari possunt in minoribus; si autem non sit spes, quod ediscere posint, non debent ordinari, nisi fortè in tali ecclesia, quæ nunquam indigeat eorum promotione ad ordines maiores. Archid. hic. nu. 2.

NEC homini alterius diœcesis, absque sui prælati licentia.

QVIA nemo debet ponere falcem in messem alienam; nec alterius iurisdictionem sibi attribuere. c. venerabilem. ext. de elect. Et quoniam collatio ordinum spectat solum ad prælatum, qui superior sit ordinãdo, vel ratione originis, vel beneficij, vel domicilij. supr. c. prox. Ideo alij prælati aliquem, sine licentia alicuius de istis prælatis superioribus, ordinare non debent. vt in tex. & supr. d. c. prox.

NEC etiam coniugato.

QVIA coniugatus tenetur reddere debitum vxori, cum vir nõ habeat potestatem sui corporis, sed vxor, & econuerso. Apost. 1. ad Corinth. c. 7. Et quoniam clerici debent à voluptatibus, & carnalibus desiderijs vacare; & munditiam corporis custodiendo, diuinis, & ecclesiasticis obsequijs incumbere. c. quod à te. extr. de cler. coniug.

Ideo coniugato, qui non poteſt munditiam caſtitatis ſeruare, prima tonſura conferri non debet. vt in tex. & c. Epiſcopus. & ibi gloſ. 1. diſt. 77. Poteſt tamen ille, qui erat clericus in minoribus, ducendo vxorem, ſi fuerit deputatus ſeruitio alicuius eccleſiæ, & in habitu clericali, & tonſura inceſſerit, quo ad aliqua gaudere priuilegio clericali. infr. c. vnic. de cleric. coniug. & Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. Multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent. c. ad Apoſtolicam. extr. de regul. Et turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes. c. quemadmodum. extr. de iureiur.

NISI religionem intret, aut ad ſacros promoueatur legitimè.

QVIA in tali caſu etiam eius vxor debet promittere, & obſeruare caſtitatem. c. cum ſis. extr. de cleric. coniug. Et quoniam etiam ipſe coniugatus ordinandus illam ſeruare, in receptione primæ tonſuræ promittere deberet, propter præſumptionem, quæ eſt contra eum, ne ad vxorem rediret, licet in cæteris non coniugatis talis promiſſio non exigatur. d. gloſ. in d. c. Epiſcopus. & c. ſanè. §. cum autem. 15. q. 3. Ideo cum talis poſſit tunc habere corporis munditiam, ad ordines promoueri non prohibetur. vt in tex. & d. c. cum ſis.

ALIAS contrafaciens punitur.

QVIA pœna imponitur delinquenti, in vindictã eius culpæ, & vt ſit cautior in futurum, ac vt alij perterriti à ſimilibus abſtineant, vt not. infr. in c. 2. de offic. ordin. Et quoniam quis puniendus eſt in eo, in quo peccauit. vt in tex. & c. quæſiuit. extr. de his, quæ fi. à mai. par. cap. Ideo talis, qui deliquit in collatione primæ tonſuræ, per annum à tali collatione ſuſpenditur. vt in tex. & extr c. litteras, & vide circa hæc quid hodie ſit ſeruandum per Conc. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 10.

Liber Primus. Titulus Duodecimus.

DE SCRVTINIO IN ORDINE FACIENDO.

In Decretal. Cap. 1. Ex parte.

EPISCOPVS interrogatus in ſcrutinio Epiſcopi ordinandi, poteſt reſpondere illum dignum, ſi non nouit illum indignum.



VIA de quolibet præſumendum eſt bonum, niſi probetur cõtrarium. c. dudum. de præſumpt. Quod intellige de bonitate naturali, & intrinſeca, cum qua homo naſcitur, puta, quod aliquis ſit ca-

sit castus, pacificus, sobrius, & similia glos. in c, si forte. ver. scientiæ. de elect. in 6. Homo enim naturaliter creatur bonus, & in illa bonitate præsumitur perdurare. Butr. hic nu. 12. Nec obstat peccati originalis destructio, quia contra illud datur sacramenti baptismi reparatio. c. firmiter. §. 2. de sum. Trinit. Ideo cum constet semel reparatus, adhuc præsumitur reparatus, donec constet contrarium. l. siue possidetis. C. de probat. Si verò constet post baptismum, aliquem semel malum, & non idoneum fuisse, præsumitur semper malus, & non idoneus in illa specie, donec contrarium probetur, siue non idoneitas surgat ex malitia animæ, siue corporis defectu. c. cum R. de elect. & c. semel. de reg. iur. in 6. Aliqua verò est bonitas, & idoneitas accidentalis extrinsecus adueniens, vt litteratura, & talis qualitas non præsumitur, nisi probetur; & ideo super ea fit examinatio. d. glos. in d. c. si forte. & glos. fin. in d. c. dudum. Ideo vbi ordinandus non apparet non idoneus de idoneitate naturali, presertim quādo est facta inquisitio generalis, & examinatio particularis super eius vita, & moribus, secundum, quod aliquod dubium poterat esse contra eum per mores postea accidentaliter acquisitos. Abb. hic. nu. 7. Potest Episcopus interrogatus in ordinatione alterius Episcopi, & Archidiaconus, vel alius presbyter interrogatus in ordinatione aliorum inferiorum, sine peccato respondere (dummodo contra conscientiam non loquatur) quod in quantum humana fragilitas nosse sinit, æstimat illum esse dignum. vt in tex. & de offic. archid. c. penult. Sed si loqueretur contra conscientiam, etiam si diceret veritatem, ex quo intendit dicere falsum, peccaret. Abb. nu. 4. nam qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. c. omnes. §. ex his. 28. q. 1. De se autem potius quisque debet præsumere malum, & se non esse idoneum, quam præsumere merita, & idoneitatem. glos. 1. in c. cum in iure. de elect. quia tunc quo ad animæ salutem eligit tutiorem partem, & neminem offendit, cui credat se esse anteponendum. c. illud. de cleric. excom.

Liber Primus. Titulus XIII.

DE ORDINATIS AB Episcopo, qui renuntiauit episcopatui.

In Decretal. Cap. 1. Requisiuit.

EPISCOPVS, qui renuntiauit loco tantum ciuitatis, conferre potest ordines, sicut prius.

QVIA duo iura concurrunt in Episcopo, primo, ius dignitatis episcopalis, cohærens personæ, quod habetur per consecrationem; secun-

secundo, ius administrationis cohærens loco, cui præsidet, quod habetur per confirmationem. c. transmissam. de elect. Et quoniam potestas in his, quæ sunt in habitu ordinis, residet in dignitate cohærente personæ; quo ad exercitium verò residet in loco, cui præest, & in quo habet administrationem; & hæc iura non sunt inseparabiliter connexa, vel indiuidua; vnde vni potest renuntiari sine altero, si inchoetur à loco. Butr. hic nu. 1. Ideo Episcopus, qui renuntiauit administrationi, sed non dignitati, potest illa, quæ sunt ordinis quo ad habitum, sed non quo ad exercitiũ, quia caret obiectis. Butr. d. nu. 1. Vnde si in obiectis integretur per inuitationem alterius Episcopi, qui habeat exercitium, poterit etiam ipse ordines illis conferre. vt in tex. & c. cũ nullus. de tempor. ordin. in 6.

SI verò & dignitati, eum ordinato per eum ad minores, vel ignoranter ad sacros, dispensat episcopus suus.

QVIA renuntians dignitati episcopali, non propterea perdit potentiam ordinandi, quin ordinando characterem imprimat. glos. ver. executionem; cum potentia illa cohæreat indelebili ordini episcopali. Butr. nu. 3. Sed quoniam nemo dat, quod non habet. c. Daibertum. 1. q. 7. Ideo ordinator ille, qui non habebat executionem sui officij. vt in tex. illam alteri conferre non potuit. c. statuimus. §. sicut 1. q. 1. Recepit ergo talis ordinatus characterem, sed non executionem. vt in tex. Sed quoniam minores ordines à non episcopis quandoq. conferuntur. vt in tex. Et quoniam ignorantia facti excusat. c. ignorantia. de reg. iur. in 6. Ideo datur facultas episcopo ordinario, vt si tales fuerint ordinati ad minores, etiam scienter, vel ad sacros ignoranter, possit cum ipsis dispensare, tam ad ordinum sic susceptorum administrationem, quàm ad aliorum ordinum promotionem. vt in tex. & glos. fin. hic.

CVM ordinato verò scienter ad sacros, non dispensat.

QVIA talis ordinatus grauius deliquit, quàm in superiori casu, tum quia circa maiora, tùm quia scienter fecit, quod facere non debebat. Abb. nu. 6. Et quoniam propter huiusmodi maiorem grauitatem delicti, indignum se fecit, vt faciliter per episcopum posset cum eo dispensari. vt in tex. Ideo non conceditur episcopis, vt cum tali possint dispensare, sed talem dispensationem sibi Papa reseruauit. vt in tex. & Butr. nu. 3. Vbi enim maius periculum vertitur, ibi cautius est agendum. c. vbi periculum. de elect. in 6. Et vbi est maior culpa, ibi grauior pœna est iniungenda. c. disciplina. dist. 45.

Cap. 2. Cum clericis.

CVM clericis, qui ab excommunicato episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poterit episcopos dispensari.

QVIA

QVIA licet episcopus excommunicatus sit extra ecclesiam. c. audiuimus. 24.q.1. nihilominus retinet characterem ordinis episcopalis, à quo pendet potestas ordinandi. c. ab excommunicatis. 9. q.1. Ideo confert ordinem, si in eius collatione ecclesiæ formam seruauerit. glos.1. hic. Sed quoniam ipse non habet ordinum exercitium. c. ordinationes. d.q.1. Ideo illud alijs dare non potest. c.quod autem. de iurepatr. Et quoniam ignorantia facti excusat. c. ignorantia. de reg. iur. in 6. Ideo conceditur, vt cum clericis, qui ignorantes episcopum illum esse excommunicatum, receperunt ordines ab eo, si in eorum ordinatione fuerit ecclesiæ forma seruata, possit quo ad ordinum receptorum exercitiũ, per proprios episcopos dispensari. vt in tex. & d.glos.hic.

Liber Primus. Titulus Decimusquartus.

DE AETATE, ET Qualitate, & ordine præficiendorum.

In Decretal. Cap. 1. Vt abbates.

PER priuationem beneficij, arctantur beneficiati ad sumendos ordines, quos beneficia requirunt.



VIA de annexis idem est iudicium, vt qui vult vnum de eis, debeat velle & reliquum. c.translato. de constitut. Ideo vbi quis beneficium acceptauit, cui sit aliquis ordo annexus, si ille vult legitime retinere beneficium, debet assumere ordinem, per quem possit tali beneficio inseruire. vt in tex. & c.significatum. de præb. Alias debet beneficio priuari. vt in tex. quia qui non vult onus, nec debet sentire commodum illi oneri annexum. c.qui sentit. de reg. iur. in 6. Quæ priuatio est per superioris sententiam facienda, cum tex. hic loquatur per verbum amittant, quod non fert executionem ipso iure, sed respicit executionem futuram faciendam ab homine. vt not. Innoc. in c.accepta. de restitut. spoliat.

Cap. 2. Ex ratione.

ECCLESIA dispensatiuè minori concessa, non per laicos; sed per clericos regi debet, donec ille peruenerit ad ætatem.

QVIA laicis quantumcunq. religiosis, super ecclesijs, & personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas; cum eos in spiritualibus

maneat

maneat necessitas obsequendi, non auctoritas imperandi. cap. ecclesia.de constitut. Et quoniam si laicus deputaretur ad habendam administrationem, & custodiam ecclesiæ,loco titularis inhabilis, videretur sibi commissa ecclesiæ dispositio. vt in tex. Ideo, licet laicis possit specialis procuratio aliquarum rerum temporalium ecclesiæ committi. c indicatum. dist. 89. & Innoc. hic. Generalis tamen administratio ecclesiarum, ita quod super omnes dominentur, eis committi non potest. vt in tex. & c.in nona. 16.q.7.

Cap. 3. Indecorum.

REGIMEN ecclesiæ minori quatuordecim annis, committi non debet.

QVIA indecorum est, vt hi debeant ecclesias regere, qui non nouerunt gubernare seipsos;cum ad ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretione præmineant, & morum fulgeant honestate. vt in tex. Et quoniam ista discretio non potest ante decimum quartum ætatis annum sufficienter haberi. S.Tho. par.3.q. 43. art.2. in addit. Et qui sint futuri mores adolescentum propter eorum instabilitatem, est de difficilibus cognitu; Vnde Salomon inquit, Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adolescentia. prouerb. cap.30. Ideo ante ætatem decimi quarti anni, non est alicui ecclesiasticum beneficium conferendum. vt in tex. & Concil.Trid. sess.23. cap.6. Ex studijs tamen, & moribus adolescentiæ præsumitur,qualis sit quis futurus in reliqua ætate. prouerb.cap.20. & de præsumpt. c.ex studijs.

Cap.4. Eam te decet.

AD regimen ecclesiarum non debet institui indignus scientia.

QVIA ignorantia mater cunctorum errorum, maximè sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. c.1.dist.38. Tu enim, inquit Dominus, scientiam repulisti, & ego te repellam, ne mihi fungaris sacerdotio. Oseæ. cap. 4. Ideo qui non habet sufficientem scientiam ad suum officium adimplendum, ad illud in ecclesijs assumi non debet. vt in tex.& Concil.Trid. sess.21. c.6. Scire enim quisq. tenetur,quæ ad suum pertinent statum. Sapient.c.6.

VEL moribus.

QVIA qui ad curam aliorum ponitur, in seipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conuersari. c.cum in cunctis. §.1. de elect. aliter,propter vitæ turpitudinem,potius destruit,

ſtruit, quàm ædificet. Concil. Trid. d.cap.6. Ideo eccleſiarum regimen dandum eſt tali, qui ædificet cunctos tàm fidei ſcientia, quàm operum diſciplina. c.ignorantia. diſt. 38. Si enim bene vixerit, & bene docuerit, populum inſtruit. Si bene docuerit, & male vixerit, ſui condemnator erit; nam bene viuendo, & bene docendo, populum inſtruit, quomodo viuere debeat; bene autem docendo, & male viuendo, Deum inſtruit, quomodo debeat eum condemnare. S.Io.Chriſoſt. tomo 7. homil.43. in caput 23. Matthei.

V E L ætate.

QVIA indecorum eſt, vt hi debeant eccleſias regere, qui non nouerunt gubernare ſeipſos. ſupr. c. prox. Ideo debet prius per ætatem quis diſcere, quàm aliorum curam aſſumere. c. qui eccleſiaſticis. diſt.36. Hinc Salomon ait, prius tempus tacendi,& poſtea loquendi. eccleſiaſt. cap.3. nam veritas prius tacendo diſcitur, & poſtea loquendo prædicatur. d.c. qui eccleſiaſticis. Non eſt ergo aliquis ad eccleſiarum regimen aſſumendus, in quo ætatis maturitas, morum grauitas, & litterarum ſcientia non reperiantur. d.c. cum in cunctis. Ne ſi cęcus cęco ducatum præſtet, ambo in foueam cadant. Matth.cap.15.

E T qui habet duas eccleſias, alteram dimittere cogitur.

QVIA cum vix vnum officium quis implere ſufficiat, incongruum eſt, vt ſibi vendicet ſtipendia plurium. c.quia. de cleric. non reſid. & cap.presbyteros. 16.q.1. Ideo quando eccleſia, vel eccleſiaſticum miniſterium eſt aſſignandum, talis ad id perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam beneficij valeat per ſeipſam exercere. d. c. quia. Et ſingula eccleſiaſtici iuris officia ſingulis quibuſq. perſonis ſigillatim committantur; nec quantumlibet exercitatę vni perſonæ vno tempore duarum rerum officia aſſignẽtur; quia ſi totum corpus eſt oculus, vbi auditus? c.ſingula. diſt.89.

N I S I cauſa ſubſit.

QVIA ex cauſa receditur à generalis regulæ diſpoſitione, & quod ipſa ſpecialis cauſa, & ratio dictat, ſtatuitur. c. de multa. de præb. Ideo licet generaliter vni non ſint plures eccleſiæ committendæ. vt in tex. quia tamen aliquando ſpecialis ratio ſuadet, vt aliter ſtatuatur, ab illa generali diſpoſitione receditur, & vni plures eccleſiæ conferuntur. d.c.de multa,& gloſ. in ſum.21. q.1. quæ ad hoc enumerat ſex caſus, in quibus vni dantur plures eccleſiæ. Primus, ſcilicet, quando eccleſiæ ſunt tenues. vt in c.vnic.10. q.3. Secundus, ſi vna pendet ex altera. vt in hoc tex. Tertius, ſi habet vnam intitulatã,& aliam commendatam. vt in cap.qui plures. 21.q.1. & de elect. c. dudum il 2. Quartus, ſi epiſcopus diſpenſat cum aliquo. vt 70. diſt. c. ſanctorum.

Quintus, vbi est paucitas hominum, scilicet extra ciuitatem. vt in c. clericus. 21. q. 1. Sextus, si ecclesia adhæret præbendæ. vt in c. extirpandæ. de præb. Vnde versus:

Paupertas, pendens, defectus, gratia, seruans,
Ecclesias retinere duas, dat quodlibet horum. glos. fin. hic. Et nouissimè per Concil. Trid. statuitur, vt vnum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam, non sufficiat; liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumq. personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcq. non modo ad cathedrales ecclesias; sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia, quàm regularia quæcunque, etiam commendata, pertineant, cuiuscunq. tituli, ac qualitatis existant. sess. 24. cap. 17.

Cap. 5. Præterea.

I S, qui nondum est in sacris, si aliàs est idoneus, ad regimen parochialis ecclesiæ dispensatiuè potest assumi.

QVIA vbi ecclesiæ necessitas, vel vtilitas suadet, iuris rigor est relaxandus. c. nemo. de elect. in 6. & cap. dispensationes. 1. q. 7. Et quoniam parum interest, an aliquid fiat in præsenti, an in breui tempore. l. lecta. ff. si cert. pet. Ideo, licet ad regimen parochialis ecclesiæ non debeat aliquis, nisi subdiaconus sit ad minus, assumi; dispensatiuè tamen in minoribus ordinibus constituti possunt admitti; si sint tales, qui intra breue tempus possint in presbyteros ordinari, vt in tex. & c. cum in cunctis. §. inferiora. de elect. Et dispensatio ista potest per Episcopum concedi. glos. 2. & Butr. hic. Breue autem tempus hic appellatur annus. d. glos. Cum intra annum à die commissi sibi regiminis adnumerandum, debeat curatus se facere ad sacerdotium promoueri. c. licet. de elect. in 6. Et intra annum bene potest ad omnes sacros quis promoueri; immo in vna quadragesima, cū in ea sint tres dies sabbati ordinationū. Abb. hic nu. 3. Sed ex Cōcilij Trid. decreto hodie debet quis per annum esse versatus in vno ordine sacro, antequam ad alium promoueatur, nisi ob ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud episcopo videatur. sess. 23. cap. 13. & 14.

Cap. 6. Quæris.

PROPTER necessitatem, & vtilitatem ecclesiæ, compelluntur clerici ipsius recipere ordines suis beneficijs non annexos.

QVIA propter ecclesiæ necessitatem, & vtilitatem, receditur nonnunquam à solita iuris regula, vt maius aliquid lucrifiat. c. dispensationes. 1. q. 7. Ideo licet regulariter quis non sit adstringendus, nisi

nisi ad ordinem suo beneficio annexum. supr. c. 1. ex quo tamen clericus se adstrinxit ad seruitium alicuius ecclesiæ, si illius vtilitas requirat, debet exequi non solum particulare seruitium, ad quod iure ordinario tenetur, sed etiam aliquid amplius propter insurgentem necessitatem, vel vtilitatem. vt in tex. & c. consuluit. dist. 74. Maius enim bonum minori bono, & communis vtilitas particulari vtilitati est præferenda. c. licet. de regular. Compulsio autem ista fit, vel alios clericos eis præferẽdo, vel fructus beneficiorum ad tempus eis subtrahendo, vel eos beneficijs priuando, secundum quod eorum contumacia in non parendo, vel qualitas eorum beneficiorum, & necessitas ecclesiæ requirunt. vt in text. & Abb. hic.

Cap. 7. Ad aures.

EVENTVS mortalitatis infirmi, non impedit promoueri eius medicum peritum, solicitum, & traditiones artis obseruantem.

QVIA homicidium casuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa. c. dilectus. de homicid. Et quoniam medicina est res licita, dicente Salomone: Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creauit altissimus. Ecclesiast. cap. 38. Et non est in medico, semper releuetur vt æger. l. illicitas. §. sicuti. ff. de offic. præsid. Ideo sicut imperitia medico imputatur; ita peritia, & diligentia reddunt eum innoxium. d. §. sicuti. & l. idem iuris. ff. ad leg. Aquil. Et sic casus mortis, in quo ipse non fuit in culpa, non reddit eum irregularem, & inhabilem ad ordines. vt in tex. & cap. tua. de homicid. Religiosus tamen, & alij in sacris constituti prohibentur medicinã exercere, vel audire. c. fin. ne cleric. vel monach. Et tales illam exercentes, sunt arbitrio superioris puniendi, tanquam vsurpãtes officium alienum contra præceptum canonis. d. c. tua. & glos. 1. in c. sententiam. d. tit. ne cleric. vel monach. Religiosus verò chirurgiam exercens, si ex ea mors sequatur, fit irregularis, etiam si sit peritus, & diligens, & hoc fecerit causa pietatis; sed cum eo post satisfactionem, potest misericorditer dispensari. d. c. tua. An autem peritè, vel imperitè medicus dederit medicinam infirmo, si aliud non apparet, hoc relinquitur conscientiæ eius. vt in tex: Et quando dubitat, quod medicina possit nocere infirmo, non debet illam dare; sed potius debet sine medicina relinquere infirmum in manu Creatoris. l. item si. ff. ad leg. Aquil.

Cap. 8. Cum bonæ.

QVI stetit per annum in suspensione, priuatur beneficio, quod prius habebat.

QVIA sicut excommunicatus, qui sustinet excommunicationem per annum, priuatur beneficijs, quæ habet. c. rursus. 11. q. 3. Quod

nitellige, quando propter crimen citatus, comparere recusauit; & ideo fuit excommunicatus. glos. in d.c. rursus. ita, & qui stat in suspensione per annum, est beneficio priuandus, si propter contumaciam in criminali contractam, fuerit suspensus. Abb. antiquus hic. Nisi enim contumaces, & contemptores isti punirentur, neruus ecclesiasticæ disciplinæ disrumperetur. c. cum inter. de consuet. Quando verò fertur suspensio propter causam ciuilem, tunc, vt deueniatur propter illam ad priuationem beneficij, requiritur lapsus triennij. vt in tex. quia eo casu non ita grauiter offenditur auctoritas superioris, sicut fit in causa criminali. Abb. hic num. 7.

ET quod interim acquisiuit.

QVIA suspensi sunt inhabiles, & indigni ad beneficia acquirenda. c. cum dilectus. & ibi glos. de consuet. & c. per inquisitionem. de elect. Et quoniam in talibus principium est considerandum. c. dudum. il 1. de elect. & c. sacerdotes. 16. q. 3. Ideo suspensi non possunt retinere beneficia, quæ acquisiuerunt durante suspensione, etiam si postea fuerint absoluti. glos. penult. hic.

Cap. 9. A multis.

SVBDIACONVS in Episcopum eligi potest.

QVIA licet in primitiua ecclesia subdiaconatus non esset ordo sacer. c. nullus in Episcopum. dist. 60. Et quoniam, qui non est in sacris, nō potest eligi in Episcopum. d. c. nullus. Sed si sit in Episcopū promouendus ille, qui non est in sacris, debet postulari. c. Osius. dist. 61. Ideo nō poterat in primitiua ecclesia subdiaconus promoueri in Episcopum, nisi dispensatiue. d. c. nullus. Sed quoniam hodie subdiaconatus inter sacros ordines computatur. c. erubescant. dist. 32. Et ad similitudinem diaconi, & presbyteri, debet subdiaconus continentiam obseruare. c. si quis. dist. 32. Et beatus Gregorius legitur statuisse, vt nullum facere subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se castè victurum promiserit. c. nullum. dist. 28. Ideo ex quo hodie subdiaconi onerantur ad obseruandam castitatem, sicut diaconi, & presbyteri; dignum est etiam, vt honorentur per facilitatem ad altiorem gradum ascendendi, sicut honorantur illi. glos. hic. ver. obseruare. & c. de lapsis. 16. q. 6. Si autem quæris, quomodo ecclesia imponat alicui necessitatem continendi, cum cōtinentia sit res voti, non præcepti? vt 32. q. 1. c. integritas. Respondetur, quod ecclesia neminem cogit continere, sed in ordine, quem dat, potest imponere legem, quam vult, sicut quilibet alius in traditione rei suæ. vt ff. de pact. l. in traditionibus. glos. in d. cap. nullum. Sed ecclesia potest etiam in aliquo gradu inhabilitare personas ad simul contrahendum. c. non debet. de consang. & affinit. Nam personæ illegitimæ ad matrimoniū contrahendum, dicuntur ex eo, quod sunt cōtra legē, qua matrimonium statuitur. Matrimonium autem, in quantum est in officium naturæ, sta-

ræ,statuitur lege naturali; in quantum est sacramentum, statuitur iure diuino; in quantum est in officium cõmunitatis,statuitur lege positiua. S.Tho par.3.q.50.art.1.ad 4.in addit. Ideo ordo sacer impedit matrimonium; nam ibi intelligitur tacita continentia facta cum solemnitate, & ex constitutione ecclesiæ.glos.in sum.27.q.1.

Cap. 10. Tuam.

IRREGVLARIS, & in minoribus ordinibus constitutus, dispensatiue potest in abbatem institui.

QVIA dispensatio est communis iuris relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo,qui potestatem habet dispensandi. Abb.in c.dilectus.nu.5.de tempor.ordin. Et debet fieri principaliter propter bonum publicum.Abb.in c.de multa.nu.7. de præben. Et quoniam ius commune, vbi causa rationabilis, & commune bonum suadent, potest relaxari. cap. sciendum.dist. 29. Ideo, licet de iure communi abbas debeat esse sacerdos, aliàs remouetur. supr. cap.1.& glos.2.hic. Tamen si necessitas, & publicum bonum aliter exposcant, potest ab illa regula iuris communis recedi; & ob talem causam,etiam irregularis, & in minoribus ordinibus constitutus, in abbatem assumi. vt in tex. Nomen enim abbatis,licet sit honoris,& dignitatis.c.vt Apostolicæ.de priuil.in 6. est tamen plus oneris,quam honoris.c.hoc tantum. 18.q.2. & glos.2. hic. Curia tamen Romana ex eius speciali prærogatiua instituit ordinarie in abbatem,etiam non presbyterum; sed ab inferioribus hoc fieri non debet,ex quo in iure statuitur, quod abbas debet esse presbyter. Abb. hic in fin.

Cap.11. Cum contingat.

ABBAS, si est presbyter,& est benedictus, conferre potest ordinem clericalem.

QVIA cum prima tonsura, & quatuor ordines minores non habeant annexum votum castitatis,nec sint tantæ excellentiæ, sicut sunt ordines sacri,non ita pertinet eorum collatio ad Episcopũ, quin etiam per abbates in eorum monasterijs illorum conuersis,& alijs, qui ad illa conuolauerint, & in quos ecclesiasticam, & quasi episcopalem iurisdictionem obtinent, possint ordines isti conferri.c. abbates de priuileg.in 6. Ideo vnicuique abbati conceditur, vt possit primam tonsuram in proprio monasterio suis subiectis personis conferre. vt in tex. cum illa sit minus excellens inter ordines, ita vt etiam cæteris presbyteris habentibus iurisdictionẽ,eius collatio concedatur.c.psalmista.dist. 23. Est tamen illa secundum canonistas, ordo clericalis. vt in tex. cum per eam recipiat ordinatus officium cantandi in ecclesia, dicento ei ordinante: Vide,vt quod ore cantas,corde credas; & quod corde credideris, operibus compleas.d.c. psalmista. Et ob id ille gaudet priuile-

gio canonis, si quis suadēte. gl. fin. hic. Sed secundū Theologos nō adnumeratur inter ordines, ex eo, quod in collatione cuiuslibet ordinis fit mentio de aliqua potestate data; quæ mentio non fit in collatione primæ tonsuræ; ideo per eos illa existimatur solùm præambulum ad ordines. S. Tho. par. 3. q. 40. art. 2. in addit. sed canonistæ tenent, quod illa potestas cantandi in ecclesia, sit officium tonsurato assignatum, quanquam illud officium non sit proprium tonsurati, sed commune ad omnes ecclesiæ ministros. Butr. hic nu. 6. Collatio verò aliorum quatuor ordinum minorum, cum illi sint aliquantulum excellentiores, non conceditur cuilibet abbati; sed solùm illi abbates possunt eos conferre, qui hoc habent ex priuilegio. glos. 2. in c. quoniam. dist. 69. debet autem talis abbas ordinans esse prius benedictus ab episcopo. vt in tex. quia per illam benedictionem recipit abbas suam dignitatem. d. c. quoniam. Et debet esse presbyter. vt in tex. quia de iure cōmuni est remouendus ab honore abbatiæ ille, qui nō ordinatur in sacerdotem. supr. c. 1. Si tamen per abbatem non steterit, quin benediceretur, sed per episcopi duritiam; tunc conceditur abbati electo, vt possit suum officium exercere, ac si esset benedictus. c. 1. de suppl. negl. præl. licet tex. ille loquatur de Cisterciensibus, & ideo solet tantum ad Cistercienses hoc priuilegium extendi, & etiam in ipsis dubitatur, an illa concessio exercendi officium ante benedictionem, extendatur ad manum ordinatoriam. Butr. hic nu. 4. vt plurimum tamen tenetur, quod se extendat etiam ad illam. glos. 2. hic. Hodie verò per Concil. Trid. statuitur, vt abbatibus, ac alijs quibuscunq., quantumuis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre; nec ipsi abbates, & alij exempti, aut collegia, vel capitula quæcunq., etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant; sed horum omnium ordinatio, seruatis omnibus, quæ in ipsius sanctæ Synodi decretis continentur, ad episcopos, intra quorum diœcesis fines existant, pertineant; non obstantibus quibusuis priuilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiā immemorabilibus. sess. 23. c. 10.

Cap. 12. Intelleximus.

SI canonicus regularis factus monachus, iusta de causa ad canoniam reuersus, ibi postea præficiatur, licitè tenere poterit prælaturam.

QVIA licet in canone cautum sit, ne quis canonicus regularis, nisi publice lapsus sit, monachus efficiatur, & si factus fuerit, ad canonicatus ordinem reuertatur, vltimus in choro manendo, cucullam ad memoriam delaturus, vt in tex. & c. mandamus. 19. q. 3. Tamen

men quia illud intelligitur, quando leuitatis causa transiuit, & non petita licentia à superiore. glos. 2. in d. mandamus, & ideo in eius leuitatis pœnam, & ne quis ex temeritate transeat in iniuriam suis ordinis; fuit taliter statutum. glos. 2. in c. sanè. de regular. Sed quoniam secus est, quando zelo sanctioris vitæ transiuit, petita prius à suo prælato licentia, licet non obtenta. c. licet. de regular. Ideo si licitè transiuit, & licitè rediit, puta, quia non inuenit religionem, quæ ab eo credebatur. Innoc. hic in fin. & quia canonici ipsum repetant. Butr. hic in fin. si ibi postea præficiatur, licitè poterit tenere prælaturam. vt in tex. Vnde quo ad transitum de vna religione in aliam, est distinguendum, quod, quandoq. quis transit ad strictiorem, & est in habitu probationis tantum; & tunc potest ad primam reuerti; quia transiuisse ad aliam religionem non dicitur, nisi facta professione in ea. Zabar. in Clemen. 1. in primo opposito, de regular. Quandoq. ibidem professus est, & tunc; aut transiuit, licentia nullo modo petita, & cogitur reuerti. vt not. Abb. in d. c. licet. aut transiuit, licentia petita; & tunc, si locus est latioris religionis, reuerti compellitur; aut est strictioris, & tunc, aut transiuit leuitatis causa; id est, non petita licentia, & tunc reuerti compellitur; aut transiuit bono zelo, petita licentia, & tunc ad priorem reuerti non potest. glos. & Abb. hic.

Cap. 13. Accepimus.

ORDINATVS ad sacros sine titulo, ab ordinatore iustè petit beneficium.

QVIA non decet eos, qui diuino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere. c. diaconi. dist. 93. Et quoniam ille, qui ordinatur in sacris, ita diuino cultui adscribitur; quod non potest amplius ad sæculum reuerti. supr. c. à multis. Ideo statuitur, vt nullus clericus sæcularis, quamnis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promoueatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacifice possidere; vel sufficientem pensionem, aut patrimonium similiter habere. vt in tex. & Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. Et quoniam de connexis idem est iudicium, vt qui vult vnum, debeat velle & reliquum. c. translato. de constitut. Ideo Episcopus, qui talem ordinauit, tenetur etiam illi prouidere de titulo, vnde sustentetur. c. cum secundum. de præb. cum talis ordo, & titulus sint connexi. c. 1. & 2. dist. 70. Et licet in alienationibus, & delictis, culpa prædecessoris non obliget successorem. c. Episcopi. de reb. eccl. non alien. & cap. cum venerabilis. de except. Ex tali tamen facto, & ordinatione, obligatur etiam successor ad prouidendum illi ordinato in sacris sine titulo. d. c. cum secundum. nam talis obligatio non solum est contra-

ordi-

ordinantem, ſed etiam contra ſuam eccleſiam, quæ non reſiſtit Epiſcopo in tali promotione. gloſ.in d.c. cum ſecundum. ver.ſucceſſores. Et datur ordinato actio ad petendum beneficium, vel victum ab Epiſcopo, & eccleſia, ex quadam æquitate, ne in opprobrium ordinis mendicet. Abb. hic num. 6. Si verò poſt ordinationem ille ſe reddiderit indignum beneficio, non eſt ei prouidendum vt in tex. Cum beneficia non ſint conferenda indignis.c.nihil.de elect. qui, conueniens eſt, vt egeſtate laborent.l.bona fides.ff.depoſit. Si verò contra ordinatum detegatur defectus præcedens ordinationem, ſi eſt talis, qui potuerit per diligentem Epiſcopum præuideri, debet ordinanti imputari. S.Thom.par.3.q. 36.art.4.in addit. Et ordinato eſt de beneficio prouidendum.c. vel non eſt compoſ de tempor.ordin. quæ prouiſio ei non fit propter ſuum particulare commodum, cum etiam ipſe ſit de propria culpa imputandus. vt infr.c prox. Sed fit propter commune bonum, ne in opprobrium clericatus ille mendicet; & hoc eſt verum, dummodo non ſit graue crimen, pro quo conueniens eſſet, vt egeſtate laboraret, vt dictum eſt ſuperius, & Abb.d.nu.6. vbi late tractat, & diſtinguit, in quibus caſibus examinatus ad vnum beneficium, ſit examinandus ad aliud, ne poſsit collator de negligentia imputari. Quæ noua examinatio eſt regulariter facienda, vbi propter aliquam cauſam ille non poſſet eſſe idoneus ad iſtud aliud beneficium, ſicut erat ad prius obtentum. Abb. ibidem, & gloſ. hic. ver. examinari.

Cap. 14. Cum ſit.

MINVS idoneus in ſacerdotem promoueri non debet.

QVIA tales ſunt ad ſacerdotium promouendi, qui digne poſſint dominica ſacramenta tractare. c.tales.diſt.23. Et quoniam melius eſt, domini ſacerdotium paucos habere miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant. d.c.tales. Et nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt; Cum enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tanquam in ſpeculum, reliqui oculos conijciunt, ex ijſq. ſumunt, quod imitentur. Concil.Trid. ſeſſ. 22. cap.1. Ideo minus idoneus ad ſacerdotium non eſt promouendus, ne fiat per ipſum iniuria Deo in miniſterijs ſacerdotalis dignitatis, & ne præponatur populo pro exemplo, & duce ille, qui ei præſtet ducatum ad dilabendum in foueam, quaſi cęcus cęcum ducens. vt in tex. & Concil.Trid. ſeſſ.23. cap.14. Sacerdotes enim ſunt mediatores inter Deum, & peccatores. Leuitic. c.14. Vnde ad ſacerdotium oportet eos deligi, quos à Deo conſtat audiri. Oſeæ.c.9. Et qui ob reuerentiam ſacramentorum, quæ tractant, ſint cætero populo mundiores. 1.ad Timoth. c.3.

NEC

NEC ad regimen animarum aſſumi.

QVIA regimen animarum eſt ars artium. vt in tex. cum animæ ſint pretioſiores omnibus alijs rebus. c. præcipimus. 12. q. 1. Et quoniam vbi maius periculum vertitur, ibi cautiùs eſt agendum. c. vbi periculum. de elect. in 6. Et integritas præſidentium, eſt ſalus ſubditorum. Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. de reform. Et nihil eſt, quod eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur prælati ad regimen animarum. c. nihil. de elect. Ideo cura animarum non eſt committenda alicui, qui non ſit idoneus ætate, moribus, & ſcientia. c. cum in cunctis. de elect. & Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 6.

Cap. 15. Quamuis.

DEFECTVS ſcientiæ deijcit iam promotum.

QVIA ſcientia eſt circa ſpiritualium adminiſtrationem potiſſimũ neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna. c. niſi. de renunt. Et quoniam qui promouetur ad curam aliorum, & ad aliquod munus exercendum, ſi non eſt aptus ad illud, eſt remouendus, etiam ſi ſit iam promotus. c. vel non eſt. de tempor. ordin. Tu enim, inquit Dominus, ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi. Oſeæ cap. 4. Ideo ſi in promoto ad curam animarum non ſit ſufficiens ſcientia ad illam exercendam, eſt à tali officio amouendus. vt in tex. & d. c. niſi. Si tamen ſit alias honeſtæ vitæ, poterit in officio tolerari, dando ei coadiutorem, ſeu vicarium pro tempore, aſsignando eis partem fructuum pro ſufficienti victu. Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 6.

In Sexto: Cap. vnic. Permittimus.

EPISCOPVS diſpenſat cum maiore viginti annis, in dignitatibus, & perſonatibus non curatis, ſi aliud non obſtet.



QVIA licet de iure communi non ſit promouendus ad dignitatem, & perſonatum eccleſiaſticum ille, qui vigeſimumquintum ſuæ ætatis annum non attigerit. c. cum in cunctis. §. inferiora. extr. de elect. Tamen, quia illud ius commune habet locum tam in dignitatibus, & perſonatibus habentibus curam animarum annexam, quàm in illam non habentibus. d. §. inferiora. Et quoniam maior idoneitas requiritur in exercentibus curam animarum, quàm in alijs. extr. eod. c. cũ ſit. Ideo ſi propter aliquem alium reſpectum talis fuerit vtilis eccleſiæ, vel fuerit in reliquis multæ prærogatiuæ meritorum; conceditur Epiſcopis, vel propter eccleſiæ vtilitatem, vel propter prærogatiuam meri-

torum promouendi, vt posſint cum eo diſpenſare quo ad dignitates, & perſonatus non curatos. vt in tex. dummodo ille ſit maior viginti annis. vt in tex. quia licet talis ætas non ſit adhuc perfecta, ſicut eſt in vigeſimo quinto,& amplius in trigeſimo anno. d.c. cum in cunctis, accedit tamen ad perfectionem ita, vt ille non ſolum ſit aptus ad cognoſcendum ea,quæ ad eius perſonam pertinent; ſed etiam ad ea, quæ extra ipſum ſunt,intelligenda,& maturè conſideranda. S.Tho.par.3.q.43. art.2.in addit. Et etiam ſecundum leges ciuiles ob id,poſt vigeſimum annum datur facultas, & venia ætatis, patrimonium gubernandi, licet de iure communi vigeſimus quintus annus requiratur.l.2.C.de his, qui ven.ætat. impetr. Sed nunquid Epiſcopus illum promouendo, videtur diſpenſare cum eo? Dicendum, quod ſi promouens ſciat defectum promoti,& faciat hoc cum cauſæ cognitione,ſcilicet,examinando,an ex rationabili cauſa ſit talis diſpenſatio concedenda, tunc cenſetur diſpenſaſſe,etiam ſi non exprimat verbum,diſpenſamus,ad hoc extr. de appel. c.ad audientiam. Si verò,non præmiſſa dicta cauſæ cognitione,promouet,non videtur diſpenſare,gloſ.fin.hic. & Gemin.num. 6. immo taliter promouens eſſet puniendus.c.qui in aliquo,& ibi gloſ.diſt.51. & c.nihil eſt.extr. de elect. Hodie verò circa ætatem promouendorum ad dignitates, & alia eccleſiaſtica beneficia, eſt attendendum Concil. Trident. ſeſſ.24.cap.12.

In Clement. Cap.1.Cum eccleſiæ.

DIOECESANI ſeruare debent, & à ſubditis ſuis ſeruari facere iura loquentia de qualitate perſonarũ præficiendarũ eccleſijs.



QVIA eccleſiæ, quibus præficiuntur perſonæ minus idoneæ ſcientia,moribus,vel ætate,grauia propter hoc (vt experientia docet) perferunt in ſpiritualibus detrimenta. vt in tex. & ſæpe etiam in temporalibus,earum bona ob huiuſmodi defectum dilabuntur. extr. c. quamuis. Et quoniam Epiſcopis competit ratione officij,tam per ſeipſos,canones obſeruare, quàm illos facere ab ipſorum ſubditis obſeruari.vt in tex.& c.cum ſimus.9.q.3.Non enim ſufficit prælato,quod ſit bonus in ſe,niſi etiam ſit,quantum in ſe eſt, bonus in ſubditis.c.licet.extr.de ſent.excom. Ideo Summus Pontifex Clemens Quintus, volens ſuper hoc diligentius præcaueri, ad excitandum Epiſcoporum officium,per hanc conſtitutionem eis diſtrictè iniungit, vt ipſi ſtatuta canonica, quæ ſuper præficiendis perſonis in huiuſmodi eccleſijs, hactenus emanarunt,diligentius per ſeipſos obſeruent, & faciant à ſuis ſubditis inuiolabiliter obſeruari; ſi diuinam offenſam,& Sedis Apoſtolicæ

fica debitam vitare voluerint ultionem. vt in tex. & gl. ver. ratione.

Cap. 2. Vt ij.

IN capitulo cathedralis ecclesiæ, vel collegiatæ, vocem non habet, qui non est subdiaconus.

QVIA quando ecclesiæ vtilitas suadet, beneficiati illius ecclesiæ adstringuntur per aliquam pœnam ad suscipiendos ordines, etiã suis beneficijs non annexos.c. quæris.extr.eod. Et quoniam magis expedit ecclesijs, vt canonici, & beneficiati potius sint in sacris, quàm solum in ordinibus minoribus. glos. 1. hic. Quod ex eo præcipuè est æquum, quo ad vocem in capitulo, vt sicut minor subdiacono non eligitur in Episcopum.extr.c.à multis. ita nec ipse eligat alium, vt bene cõueniant electus, & eligentes. Host.in c.extirpandæ.§.qui verò.extr. de præb. Ideo licet canonici, & beneficiati non habeant de iure communi annexũ eorũ beneficijs ordinẽ sacrũ ita, vt si illũ ordinẽ nõ susceperint, talibus sint beneficijs priuandi.gl.hic.ver.in capitulo; sicut priuãtur illi beneficiati, qui habent eorum beneficijs talem ordinem annexum, extr. c.1. Tamen, vt hi, qui diuinis officijs in cathedralibus, vel collegiatis ecclesijs emancipantur, ad suscipiendos sacros ordines propensius inducantur, statuitur, vt nullus eorum habeat vocem in capitulo (etiam si hoc sibi ab alijs liberè concedatur) nisi saltem in ordine subdiaconatus fuerit constitutus. vt in tex. Hodie verò est attendendum Concil. Trid. per quod statuitur, vt in omnibus ecclesijs cathedralibus omnes canonicatus, ac portiones habeant annexum ordinem presbyterij, diaconatus, vel subdiaconatus; & Episcopus cum consilio capituli designet, ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterũ esse debeat; ita tamen, vt dimidia saltem pars presbyteri sint, cæteri verò diaconi, aut subdiaconi.sess.24.c.12.

HABENS beneficium, cui annexus est ordo, post annum, nisi prius (impedimento cessante) promoueatur ad illum, in capitulo vocem non habet, donec fuerit ordinatus; & interim perdit distributionem dimidiam.

QVIA talis, qui est negligens in suscipiendo ordinem suo beneficio annexum, non est priuatus beneficio, ipso facto, sed est per sententiam priuandus.extr.c.1. Et quoniam non est conueniens, vt ante talem sententiam priuationis, iste retineat beneficium sine aliqua pœna imposita à iure suæ negligentiæ, ob quam non præstat suo beneficio debitum seruitium.c.cum quidam.extr.de tempor. ordin. ne securitas negligentiam, & negligentia pariat offensam.c.prædixerat.de pœnit. dist. 1. Ideo statuitur, vt etiam talis, in eius pœnam, non habeat vocem in capitulo, donec non fuerit ordinatus, & quod dimidia pars distributionum, quæ dantur ijs, qui certis horis intersunt, ei subtrahatur. vt in tex.

Talis autem pœna incipit eum afficere post annum, à die habitæ pacificæ possessionis eius beneficij, vel à quo per eum stetit, quominus illam haberet. vt in tex. & glos. ver. intra. quia hæc est pœna negligentiæ. glos. ver. impedimento; & intra annum talis non dicitur negligens ad suscipiendum ordinem suo beneficio annexum, cum tale tempus ei concedatur à iure. de elect. in 6. cap. commissa. Sicut ob eandem causam non priuatur tali voce, & distributionibus ille, qui ex legitimo impedimento non se fecit intra annum, ad requisitum ordinem beneficij promoueri. vt in tex. cum nec talis posit dici negligens, dummodo impedimentum non prouenisset ex sua culpa. d. glos. impedimento. & d. c. commissa. Quando autem incurritur ista pœna, amittitur dimidia pars distributionum, etiã si alia dimidia non sufficiat ad talis beneficiati sustentationem; nam imputet sibi, cum per ordinis receptionem posit hanc pœnam vitare. glos. ver. pars. Et ista dimidia ei subtracta accrescit alijs diuino officio interessentibus. d. glos. hic. nisi per constitutiones ecclesiæ aliter disponeretur. Abb. hic; & Francus. c. fin. de rescript. in 6. Sed & aliæ pœnæ, quæ cõtra tales recusantes promoueri ad requisitos ordines statuuntur in iure, per hanc decretalem non reuocantur; cum nõ solũ per istã nõ tollantur, sed exprimitur, quod censeantur in suo robore permanere. vt in tex. aliæ autem pœnæ habentur. extr. eod. in c. quæris, & de elect. in 6. c. licet canon. & quo ad regulares habentur. infr. de stat. monach. c. ne in agro. §. cæterum. & vide Concil. Trid. sess. 7. de refor. c. 12. & sess. 24. de refor. c. 12.

Cap. 3. Generalem.

IN decimo octauo anno ad subdiaconatum; in vigesimo ad diaconatum; in vigesimo quinto ad presbyteratum potest quis libere promoueri.

QVIA licet per antiqua iura fuerit statutum, vt subdiaconus non minor viginti annorum ordinetur. c. subdiaconus. dist. 77. & diaconus non minor vigintiquinque annorum. c. placuit. d. dist. 77. & presbyter non minor triginta annorum. c. Episcopus. eadem dist. Tamen quoniam ecclesiæ necessitas sæpe exposcebat propter ministrorum penuriam, vt citius quis ordinaretur. c. si triginta. dist. 78. Ideo generalis ecclesiæ obseruantia induxit, vt dictum tempus, à prædictis iuribus ad hæc statutum, non obseruaretur. vt in tex. Quam ecclesiæ obseruantiam, volens Summus Pontifex Clemens Quintus, illis iuribus in hac parte præferri, decernit, vt (alio non obstante impedimento canonico) posit quis libere in decimo octauo ad subdiaconatus, in vigesimo ad diaconatus, & in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad presbyteratus, ordines promoueri. vt in tex. Sed hodie est attendendum Concilium Trident. quod est ius posterius, per quod statuitur, vt nullus in posterum ad sub-

diaconatus ordinem ante vigesimum secundum; ad diaconatus ante vigesimum tertium; & ad presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum, promoueatur. sess. 23. cap. 12. & cap. 24. sess. 22. de refor.

Liber Primus. Titulus Decimusquintus.

DE SACRA VNCTIONE.

In Decretal. Cap. vnic. Cum venisset.

ECCLESIA Græcorum in ordinationibus, & consecrationibus, seruare debet vnctiones, quas seruat ecclesia Romana.



QVIA huiusmodi vnctiones, vel sunt de iure diuino, vel de præcepto ecclesiæ; nam duæ sunt species vnctionis, vna exterior, quæ materialis est, & visibilis; altera interior, quæ est spiritualis, & inuisibilis; exteriori visibiliter inungitur corpus; interiori inuisibiliter inungitur cor. De prima Iacobus Apostolus ait: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum. epist. cap. 5. De secunda Ioannes Apostolus ait: Vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos; sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. epist. 1. cap. 2. Vnctio visibilis, & exterior, signum est interioris, & inuisibilis vnctionis. Vnctio verò inuisibilis, & interior, non solum est signum, sed etiam sacramentum; quia si digne sumitur, vel agit, vel auget absque dubio, quod designat. Ad exhibendum autem exteriorem, & visibilem vnctionem, benedicitur oleum, quod dicitur cathecumenorum, vel infirmorum, & cóficitur chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo, mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur; iuxta quod legitur: Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Matt. cap. 25. Per balsamum odor famæ exprimitur, propter quod dicitur: Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. Ecclesiast. cap. 24. Et quoniam ea, quæ sunt de iure diuino immutari non possunt. cap. 1. distin. 1. Et ea, quæ ab ecclesia Romana præcipiuntur, transgredi non licet. c. 1. de constitut. Ideo præter id, quod ius diuinum, & ecclesia catholica in ordinationibus, & consecrationibus, quo ad vnctiones exhibendas, disponunt, per alios attentari non debet. vt in tex. Et quoniam ea, quæ ad aliquem actum pro substantialibus requiruntur, si omittantur, vitiant actum. c. quanto. de consuet. vel si spectant ex præcepto ad solemnita-

nitatem, sunt supplenda, ne videantur contempta. c. 1. infr. tit. prox. Ideo ex quo tales vnctiones ab ecclesia Romana, Christi fideliũ omnium matre, & magistra, præcipiuntur obseruari, siue sint in actu substãtiali, siue sint in actu solemnitatis ex præcepto, semper sunt seruandæ. vt in tex. & infr. tit. prox. c. presbyter. & vide Cõcil. Trid. sess. 7. de confirm. can. 3.

EPISCOPVS autem, cum consecratur, inungitur chrismate in capite, & manibus.

QVIA huiusmodi vnctione significatur non solum vnctio in corpore, sed etiam vnctio in corde, vt & interius nitorem conscientiæ quantum ad Deum, & exterius habeat episcopus odorem famæ quo ad proximum. De nitore conscientiæ dicit Apostolus; Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. 2. ad Corinth. cap. 1. nam omnis gloria filiæ regis ab intus. psal. 44. De odore famæ idem Apostolus ait; Christi bonus odor sumus in omni loco, & alijs sumus odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. 2. Corinth. cap. 2. Debet enim episcopus bonum habere testimonium, & ab ijs, qui sunt intus, & ab ijs, qui sunt foris. 1. ad Timoth. cap. 3. vt cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat, veni. vt in tex. id est, vt fidelis trahat infidelem. glos. ver. vt cortina; Hoc vnguento caput, & manus episcopi consecrantur, nam per caput mens intelligitur, iuxta illud; Vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Matth. cap. 6. Per manus opera intelliguntur, iuxta illud; Manus meæ distillauerunt myrram. Cantic. cap. 5. Manus igitur inunguntur oleo pietatis, vt episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei; Caput autem vngitur balsamo charitatis, vt episcopus diligat Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente sua, & proximum suum, sicut seipsum; Caput inungitur propter auctoritatem, & dignitatem, & manus propter ministerium, & officium; Caput enim vngitur, vt ostendatur illius repræsentare personam, de quo dicitur per Prophetam; Sicut vnguentum in capite eius, & cætera. psal. 132. Caput enim viri Christus; caput Christi Deus. 1. ad Corinth. cap. 11. qui de se dicit; Spiritus domini super me, eo quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. Luc. cap. 4. Manus episcopi inunguntur, vt ostendatur accipere potestatem benedicendi, & consecrandi; vnde, cum eas consecrator inungit; Consecrare (inquit) & sanctificare digneris domine manus istas per istam sanctam vnctionem, & per benedictionem nostram; vt quæcunq. consecrauerint, consecrentur, & quæcunq. benedixerint, benedicantur in nomine domini. vt in tex. & c. placet. §. ecce. 16. q. 1.

QVOD si fuerit prætermissum, per tres episcopos est supplendum.

QVIA in consecratione episcopi, debent ad minus tres episcopi interuenire. c. si archiepiscopus. de tempor. ordin. Et quoniam talis

talis vnctio est de substantia in consecratione episcopi. Abb. hic in princ. Et vbi deficit aliquid de substantialibus, actus est nullus. c. quanto. de consuet. Ideo per vnum episcopum, assistentibus ei duobus alijs episcopis, talis vnctio est supplenda. vt in tex. vt actus, qui non valebat, vt ex tunc, incipiat valere, vt ex nunc. glos. in c. non firmatur. de reg. iur. in 6. Et talis vnctio est supplenda, etiam si non esset de substantia, sed de præcepto quo ad solemnitatem, ne videatur contempta. vt dictum est superius, & infr. tit. prox. c. 1.

§. Vnde.

IN veteri testamento Reges vngebantur in capite; sed post aduentum Christi Saluatoris inunguntur in brachio, siue humero, vel in armo.

QVIA talis vnctio in capite significat auctoritatem, & dignitatem inuncti. supr. §. prox. Et quoniam postquam Christus Dominus Noster (quem vnxit Deus spiritu Sancto, sicut habetur in Actibus Apostolorum cap. 10.) vnctus est oleo pietatis præ consortibus suis; qui secundum Apostolum, est caput ecclesiæ, quæ est corpus ipsius. ad ad Ephes. cap. 1. Et ipse est caput omnis principatus, & potestatis. ad Colossens. cap. 2. Ideo talis vnctio principis, à capite ad brachium est translata, vt princeps ex tempore aduentus Christi, non vngatur in capite, sed in brachio, siue humero, vel in armo, in quibus principatus congruè designatur, iuxta illud, quod legitur; Factus est principatus super humerum eius, &c. 1. Regum. cap. 9. vt in tex.

EPISCOPI verò vnctio est in capite conseruata.

QVIA episcopus in pontificali officio personam Christi, qui est caput ecclesiæ, repræsentat. vt in tex. Ideo eius caput inungitur, vt ostendatur Christi repræsentare personam. supr. §. prox.

ET episcopi caput chrismate consecratur, brachium verò principis oleo delinitur.

QVIA dignitas ecclesiastica est dignior sæculari. c. duo sunt. dist. 96. Ideo, vt ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem episcopi, & principis potestatem, episcopus inungitur chrismate, princeps verò sæcularis inungitur oleo. vt in tex. Cum vnctio chrismatis sit excellentior, & magis mysteriosa, quàm illa, quæ fit oleo tantum. vt supr. in §. prox.

§. Quia.

OMNES Christiani vnguntur, bis ante baptismum, & bis post baptismum.

QVIA

QVIA Christus fecit nos in sanguine suo Deo nostro regnum, & sacerdotes. Apocal. cap. 1. propter quod Petrus Apostolus ait; Vos estis genus electum, regale sacerdotium. epist. 1. cap. 2. Ideo in nouo testamento, non solùm reges, & sacerdotes vnguntur. vt supr. §. prox. sed etiam omnes Christiani, bis ante baptismum, scilicet oleo benedicto primùm in pectore, deinde inter scapulas; & bis post baptismum, scilicet chrismate sancto, primùm in vertice, demùm in fronte; In pectore namque baptizandus inungitur, vt per sancti Spiritus donum abijciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam. vt in tex. quia iustus ex fide viuit. Apost. ad Hebr. cap. 10. Inter scapulas vngitur, vt per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat. vt in tex. quia fides sine operibus mortua est. Iacob. Apost. in epist. c. 2. vt per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium, sit fortitudo laborum. In scapulis, quatenus fides per dilectionē (secundum Apostolū) operetur. ad Gal. c. 5. In vertice verò baptizatus inungitur, vt sit paratus omni petenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens. vt in tex. iuxta quod legitur, Oculi sapientis in capite eius. Ecclesiast. cap. 2. cuius superior pars est ratio, & inferior est sensualitas; vnde bene per verticem, quæ est superior pars capitis, intelligitur ratio, quæ est superior pars mentis. In fronte vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur, quod credit. vt in tex. quia Corde creditur ad iustitiam, ore verò fit confessio ad salutem. Apost. ad Roman. cap. 10. memor eius, quod Dominus ait. Qui me confessus fuerit coram hominibus, &c. Matth. cap. 10. & Marc. 8. Ante baptismum ergo vngitur oleo benedicto, & post baptismum chrismate sancto, quia chrisma soli competit christiano; Christus enim à chrismate dicitur, vel potius à Christo dicitur chrisma; non secundum nominis formam; sed secundum fidei rationem; A Christo verò Christiani dicuntur, tanquam vncti deriuentur ab vncto; vt omnes concurrant in odorem illius vnguenti, cuius nomine oleum est effusum. vt in tex. Et etiam ex eo, cum quis est baptizatus, à sacerdote inungitur, vt sacrum baptisma cum fide acceptum, custodiatur; vngitur tunc illius pectus oleo sanctificato, cum inuocatione sanctæ Trinitatis, vt nullæ reliquiæ latentis inimici in eo resideant; sed in fide sanctæ Trinitatis mens eius confortetur; Vngitur, & inter scapulas de eodem oleo, vt vndique muniatur, & ad bona opera facienda, per Dei gratiam roboretur. cap. deinde. de consecrat. dist. 4.

§. Per frontis.

PER frontis chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio.

QVIA

QVIA per hanc chrismationem datur Spiritus sanctus ad augmentum,& robur. vt in tex. vnde cum cæteras vnctiones simplex sacerdos,vel presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos,id est, Episcopus debet conferre.c. presbyteri. de consecr.dist.4. nam de solis Apostolis legitur (quorum vices gerunt Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: Cum audissent (inquit) Apostoli,qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum,& Ioannem, qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum; non dum enim in quenquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu Christi; tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctũ. Act.cap. 8. Cuius aduentus per vnctionis mynisterium designatur, vt in tex. quia columba, in qua Spiritus sanctus super Christum in baptisma descendit.Matth.cap.3. & Marc. 1. ad vesperum in catachismo reuertens,ramum retulit virentis oliuæ. Genes.cap.8. cuius vtique sacramentum Dauid propheta prænoscens, exhilarandam faciem in oleo, prædicauit.Psal.108.vt in tex. Et conuenienter in hoc sacramẽto chrismatis, signatur signo crucis in fronte, propter duo. Primo quidem, quia chrismatus insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis; quod quidem debet esse euidens,& manifestum; inter autem omnia loca corporis humani,maximè frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur; & ideo linitur chrismate in fronte, vt in manifesto demonstret se esse Christianum; sicut & Apostoli post acceptum Spiritum sanctum se manifestauerunt,qui prius in cœnaculo latebant. Secundo,quia aliquis impeditur à libera confessione nominis Christi,propter duo, scilicet,propter timorem,& propter verecundiam; vtriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte, propter duo, scilicet, propter propinquitatem imaginationis; & propter hoc, quod spiritus à corde directè ad frontem ascendunt; vnde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt, vt habetur 4.ethic.cap.9. Et ideo in fronte signatur chrismate,vt neque per timorem,neque propter erubescentiam, nomen Christi confiteri chrismatus prætermittat. S.Thom. par.3.q.72.art.9 in addit. Et conuenienter hoc sacramentum soli Apostoli dederunt; quia in quolibet opere vltima consummatio supremæ arti, aut virtuti reseruatur; sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam. Supremus autem est, ad quem pertinet vsus, qui est finis artificiatorum; vnde epistola,quæ à notario scribitur,à domino signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam diuinum opus, secundum illud ad Corinth.1.cap.3. Dei ædificatio estis. Sunt etiam quasi quædam epistola spiritu Dei scripta, sicut dicitur ad Corinth. 2. cap.3. Epistola estis Christi,ministrata à nobis, & scripta, non attramento, sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cor-

dis carnalibus. Et quoniam hoc confirmationis sacramentum est quasi vltima consummatio sacramenti baptismi, ita scilicet, quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & cōscribitur quasi quædam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus sancti, & quasi epistola conscripta, signatur signo crucis. Ideo collatio huius sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatem in ecclesia, sicut & in primitiua ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vices gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur. S. Thom. d. q. 72. art. 11.

§. Vngitur.

VNGITVR præterea secundum ecclesiasticum morem, cum consecratur altare, cum dedicatur templū, cum benedicitur calix.

QVIA in istis rebus, quæ diuino cultui deputantur, vnctio fit, non solum ex mandato legis diuinæ; verùm etiam exemplo beati Siluestri, qui cum consecrabat altare, illud chrismate perungebat. vt in tex. Præcepit enim Dominus Moysi, vt faceret oleum vnctionis, de quo vngeret testimonij tabernaculum, & arcam testamenti, mensamq. cum vasis. Exod. cap. 30. Verùm vnctionis sacramentum, aliud quidem efficit, & figurat, tam in nouo, quàm in veteri testamento; vnde non iudaizat ecclesia, cum vnctionis celebrat sacramentum. vt in tex. & c. altaria, & ibi glos. de consecr. dist. 1.

ROMANVS Pontifex non vtitur baculo pastorali, sicut cæteri Episcopi, tum propter historiā, tum propter mysticam rationem.

QVIA cum Petrus misisset Martialem, & collegam in Germaniā, mortuus est Martialis, & collega redijt ad Petrum; & Petrus dedit ei baculum, & præcepit ei, quòd tangeret mortuum, & diceret ei: Surge in nomine Domini, & vade ad prædicandum. Qui cum quadragesimo die à tempore mortis tetigerit eum, & resurrexit, & prædicauit: & quia Petrus postea non recuperauit baculum; ideo eius successores illo non vtuntur. glos. penult. & Innoc. hic. & hæc quo ad historiam. Quo autem ad mysticam rationem est, quia baculus in summitate habet recuruationem, quasi ad trahendum; quod Romano Pontifici non est necesse; quia nullus ab eo diuertere potest. Item per baculum designatur coërctio, siue castigatio. Ideo alij Pontifices recipiunt à suis superioribus baculos; quia ab homine potestatem recipiunt. Romanus verò Pontifex non vtitur baculo; quia potestatē à solo Deo recipit. gl. fin. & Innoc. hic. Designantur autē per huiusmodi baculum, ea, quæ his versibus comprehenduntur.

In baculi forma, præsuli datur hæc ibi norma,
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum,

Attrabe peccantes, rege iustos, punge vagantes,
Attrabe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.
glos.penult.hic.

Liber Primus. Titulus XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

In Decretal. Cap. 1. Pastoralis.

IN ordinato in subdiaconum sine manuum impositione, non fiet iteratio; sed supplebitur prætermissum.



VIA talis manuum impositio in ordinatione ad subdiaconatum, non est aliud, quàm quædam benedictio, & oratio Episcopi super ordinando. glos.2.hic. & c.manus. & ibi glos.1.q. 1. quæ benedictio non est de substantia talis ordinis, sed ex præcepto pertinet ad solemnitatem illius. Innoc.hic. Et quoniam ea, quæ spectant ex præcepto ad solemnitatem sacramenti, si omittantur, non efficiunt, quin sit verum sacramentum. S.Thom.p.3.q.50. art.1. in addit. Sed sunt postea supplenda, ne ex contemptu videantur omissa. c.spiritus.§.ecce.1.q.1. Ideo collatio ordinis sic facta, non est iteranda, sed cautè est supplendũ, quod incautè fuit in ea prætermissum. vt in tex. Collatio enim ordinis non iteratur, ne fieret iniuria illi sacramento, in quo imprimitur character. c.ostenditur.de consecrat.dist.4.

SIMILITER in confirmato non chrismatis, sed olei vnctione.

QVIA oleum est sufficiens materia confirmationis, de necessitate sacramenti, licet balsamum illi adijciatur ob mysticam rationem; ita, quod est de necessitate præcepti; & illud compositum ex oleo, & balsamo, dicitur chrisma. Caiet.in S.Thom.par.3.q.72.art.1. Et quoniã in sacramentis, quæ imprimunt characterem, si omittatur aliquid, quod non sit de necessitate sacramenti, sed sit de præcepto in spectantibus ad solemnitatem illius, non est iterandum sacramentum, sed est supplendum omissum, vt dictum est superius, & not.supr.in c.vnic.tit.prox. Ideo sine balsamo confirmatio tradita valet, sed vnctio cum balsamo est postea supplenda, propter mysticam rationem; & ne videatur ex contemptu omissa. vt in tex. & Butr.hic in fin.

Cap. 2. A nobis.

SEPULTUS à schismaticis, ob hoc duntaxat, exhumari non debet.

QVIA cum talis non elegerit ab illis sepeliri, nec eorum schismati consenserit, sed tantum fuerit ab illis sepultus, quando post mortem non poterat mereri, vel demereri, non potest dici in aliqua culpa, ob quam debeat ecclesiastica sepultura carere. glos. 1. & Innoc. hic. Et quoniam non debet aliquis alterius odio prægrauari. c. non debet. de reg. iur. in 6. Ideo schismaticorum culpa, tali sepulto non debet ad hoc imputari, vt ex eo, quod est sepultus ab eis, debeat exhumari. vt in tex. & c. sacris. de sepultur.

VESTIMENTA sacerdotalia, cum quibus degradati presbyteri celebrarunt, non sunt ob hoc iterum benedicenda.

QVIA licet tales presbyteri malefecerint celebrando, & vestimentis illis vtendo. c. vestimenta. de consecrat. dist. 1. non tamen propter hoc fuerunt vestiměta illa polluta. gl. 2. hic. Ideo ex quo durat prima benedictio, iterum benedici non debent, ne priori benedictioni fiat iniuria. c. ostenditur. & ibi gl. ver. iniuria. de consecr. dist. 4.

NEC altaria, ex eo, quod isti in illis celebrarunt, sunt iterum consecranda.

QVIA altaria semel consecrata, non sunt reconsecranda, nisi in casibus, in quibus fuerunt execrata. c. ecclesijs. de consecrat. dist. 1. Et quoniam inter illos casus, iste non adnumeratur. glos. fin. hic. & glos. in c. si motum. d. dist. 1. Ideo ex quo per huiusmodi celebrationem non sunt execrata, & durat prima consecratio, iterum consecrari non debent. vt in tex. & glos. in c. ecclesiæ. d. dist. 1.

Cap. 3. Presbyter.

SI in ordinatione presbyteri, vel diaconi, manus impositio fuerit prætermissa, statutis temporibus supplebitur.

QVIA licet manus impositio in ordinatione presbyteri, vel diaconi, non sit de necessitate ordinis; nam sine illa ordinis collatio tenet. Butr. hic nu. 4. & ob id ordo ille non est iterandus. supr. c. 1. Est tamen illa in huiusmodi ordinibus adhibenda, per ritum ab Apostolis introductum. vt in tex. Et quoniam ritus est vsus disponens circa solemnitatem actus gerendi. c. cum secundum. de tempor. ordin. Et solemnitas, quæ in aliquo actu debet fieri, si fuerit omissa, est postea supplenda. d. c. 1. Ideo manus impositio omissa in ordinatione presbyteri, vel diaconi, est postea caute supplenda. vt in tex. Et quoniam accesso-

cessorium sequitur naturam sui principalis.c.accessorium. de reg. iur.in 6. Ideo talis solemnitas est supplenda eo tempore, quo ordines, quibus illa accedit,solent conferri. vt in tex.& Butr.d.nu.4.

Liber Primus. Titulus XVII.

DE FILIIS PRESBYTErorum ordinandis, vel non.

In Decretal. Cap. 1. Vt filij.

ILLEGITIMVS non ordinatur.



QVIA illegitimitatis defectus, pluribus de causis impedit ordinum,& beneficiorum promotionem; Primo, ob ordinis prærogatiuam. c.penult.& fin.dist.36. & c. inter dilectos. de excess. præl. Secundo, ob detestationem paterni criminis, quod punitur in filio, vt per id puniatur pater. c. cum ergo.§. sed qui.24.q.3.& l.isti. §.fin.ff.de eo,qui met. caus. Tertiò,propter incontinentiam paternam, quæ timetur in filio, c.litteras. infr.eod.iuxta illud: Sæpe solet filius similis esse patri.c.sunt plurimi.§.verum.6.q.1. Ideo filij presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad ordines non promouentur. vt in text. Esse tamen illegitimum,est defectus,non culpa.c.nasci.dist.56.Et ad hoc vide Concil.Trid. sess.25.de refor.cap.15.

NISI, vt religiosus fiat.

QVIA summa est ratio, quæ pro religione facit.l. sunt personæ.ff. de relig.& sumpt. vnde eius fauore dispensatur in multis.c.fin.& ibi glos.de testam. Et quoniam dispensatur præsertim in his,quæ non proueniunt ex propria culpa,qualis est natalium defectus.c. ex litterarum.& ibi glos.ver.religionis.de apostat. Et in religione non est ita periculum,vt filius illegitimus sit paternæ incontinentiæ imitator, sicut esset in sæculari vita clericali; cum in religione magis intẽdatur morũ honestati,& ibi non habeatur illa commoditas vagandi, sicut est in sæculo.c.1.§.sed hoc.dist. 56. Ideo conceditur, vt illegitimus possit ordinari, si fiat religiosus, non autem si remaneat in sæculo. vt in text. & d. cap.1.distin.56.

NEC tunc præficitur,id est,ad prælaturam non habilitatur.

Quia

QVIA qui ad prælaturam assumuntur, debent, in quantum fieri potest, defectibus carere, & alios excellere meritis. cap. eam te. de ætat. & qualit. præfic. Et quoniam nimium prælaturæ deformaretur honestas, si illegitimi promouerentur ad eam. infr. cap. fin. Ideo, licet concedatur, vt illegitimus factus religiosus, possit ad ordines promoueri; non tamen ei conceditur, vt prælationem possit in religione habere. vt in tex. nisi cum Sedis Apost. dispensatione. infr. d. c. fin.

Cap. 2. Ad præsentiam.

ILLEGITIMVS filius sacerdotis, qui, hoc tacito, per rescriptum apostolicum paternam ecclesiam impetrauit, remouetur ab illa.

QVIA huiusmodi rescriptum fuit subreptitiè impetratum. glos. 1. hic. nam ex quo filius sacerdotis non potest paternæ ecclesię prę esse. infr. c. prox. si hanc veritatem expressisset, non ita facile tale rescriptum obtinuisset. glos. fin. hic. Et quoniam subreptio vitiat rescriptum, & reddit gratiam inualidam. c. super litteris. de rescript. Et sine canonica institutione non potest beneficium ecclesiasticum licite retineri. c. 1. de reg. iur. in 6. Ideo talis subreptitius precator debet carere impetratis, & ab illa ecclesia remoueri. vt in tex. & c. eā te. de ætat. & qual. præf. Si tamen ex certa scientia Papa mandasset illum recipi, gratia valeret, quia tunc intelligeretur cum eo dispensasse. glos. fin. hic.

Cap. 3. Præsentium.

NON potest filius sacerdotis, ecclesia paterna praeesse.

QVIA si filius sacerdotis immediatè ecclesiæ paternæ præesset, videretur hæreditaria successione illam obtinere. c. apostolica. 8. q. 1. Et quoniam in beneficijs hæreditariam successionē ecclesia Dei detestatur. infr. c. ex transmissa; Ideo quantumcunq; talis filius sit legitimus, ex matrimonio ante clericatum genitus, non potest ecclesiam, cui præfuit pater, immediatè habere. vt in tex. nisi per Sedem Apostolicam cum eo fuerit dispensatum. infr. c. ex tua. Mediatè verò posset illam ecclesiam habere; quia per mediam personam fuit remota hęreditarię successionis apparentia. d. c. ex transmissa. Si vero esset filius illegitimus, etiam ex alijs causis non posset ad ordines promoueri. supr. c. 1. nec ecclesiam curatam, vel ecclesiasticam dignitatem obtinere. infr. c. fin. & Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 15.

Cap. 4. Conquerente.

FILIVS immediate in ecclesia paterna institutus, per episcopum loci, est amouendus.

Quia

QVIA filius, etiam legitimus, non potest sine dispensatione apostolica, immediatè præesse ecclesiæ, cui præfuit pater. supr. c. prox. Et quoniam ecclesiastica beneficia sine canonica institutione, legitimè retineri non possunt. c. 1. de reg. iur. in 6. Ideo si de facto ibi fuerit per inferiorem prælatum, (cui competat ex iure speciali collatio) institutus; per episcopum loci, (qui debet inuigilare, ne sui subditi remaneant in peccatis) est inde amouendus. vt in tex. & infr. c. dilectus.

Cap. 5. Veniens.

EPISCOPVS, qui scienter contulit filio sacerdotis paternam ecclesiam, ex inde eum remouere non potest.

QVIA, licet filius sacerdotis non possit paternæ ecclesiæ præesse. supr. c. præsentium. Et si ibi fuerit institutus, debeat amoueri. vt in tex. Tamen quoniam episcopus male fecit; talem ecclesiam illi conferendo, & fraudulenter hoc fecisse videtur, ex quo sciens illum esse talem, nihilominus ei ecclesiam illam contulit. glos. hic ver. restituas. Ideo in odium ipsius episcopi statuitur, vt in hoc casu contra suum illicitum factum venire non possit. d glos. hic. licet alias possit episcopus suum malefactum reuocare. c. quod quis. 35. q. 8. & glos. fin. in c. nosti. de elect. Illud enim reuocare non potest, quando in pœnam ei interdicitur reuocatio, vt in casu huius tex. quæ pœna ei imponitur, ne detur via maleuolentibus reuocare liberalitates suas. glos. penult. in c. diuersis. de cleric. coniug. Et vt episcopus de cætero cautius caueat ab huiusmodi collationibus. glos. fin. hic. Ex gratia autem est quo ad beneficiatum, vt interim per episcopum inde non amoueatur, & quod ei, de alia ecclesia prouideatur, vnde valeat honeste sustentari, cum inde fuerit amotus, quãdo collatio ei fuit facta ab episcopo nesciente illum esse filium talis sacerdotis. vt in tex. & d. glos. fin. hic.

Cap. 6. Proposuit.

EX quo filius sacerdotis est ordinatus, non debet carere beneficio.

QVIA indignum esset ordini clericali, vt ad ordines promotus ecclesiastico beneficio careret. vt in tex. ne in illius opprobrium talis cogeretur mendicare. c. ad supplicationem. de renunt. Et quoniam qui altari seruit, de altari viuere debet. 1. ad Corinth. cap. 9. Ideo licet illegitimus non sit ad ordines promouendus. supr. c. 1. & quis non sit sine titulo ordinandus. c. sanctorum. dist. 70. si tamen fuerit promotus, est ei de aliquo honesto beneficio prouidendum. vt in tex. & c. vel non est compos. de tempor. ordin.

Cap. 7. Ex transmissa.

FILIVS præesse potest ecclesiæ, cui pater præfuit mediate.

Quia

QVIA causa prohibendi, ne filius in paterna ecclesia ministret, est, ne in ecclesiasticis beneficijs hæreditaria successio videatur. supr. c. præsentium. Et quoniam vbi fuit media persona beneficiata inter patrem & filium, apparet, quod ibi non habet locum hæreditaria successio. vt in tex. Ideo cessante causa prohibendi, non extenditur ad talem casum prohibitio de non administrando in ecclesia, cui præfuit pater. Innoc. hic. Et sic filius potest de iure communi illam ecclesiam obtinere, si est legitimus; vel cum eo tunc facilius dispensatur, quàm si immediate succederet, si est illegitimus. Abb. nu. 2.

Cap. 8. Constitutus.

FILIVS præesse potest ecclesiæ, in qua pater sine titulo ministrauit.

QVIA nemo potest plus iuris in alium transferre, quàm ipse habeat. c. nemo. de reg. iur. in 6. Et quoniam vbi aliquis ministrat in ecclesia sine titulo, non potest apparere, quod per eum transferatur aliquod ius in alium, cum nec ipse aliquod ibi habeat. glos. hic. ver. perpetuus. Ideo cum non possit tunc notari, quod filius succedat in tali ecclesia per ius patris, cessat causa prohibitionis de non administrando in ecclesia paterna. vt supr. c. prox.

Cap. 9. Ex tua.

SI is, cui concessum est à Papa, vt possit dispensare cum filijs sacerdotum circa ecclesias paternas immediatè tenendas, cum aliquo dispensat; ille per litteras iustitiæ postea contra eum impetratas, remoueri non poterit.

QVIA dispensatio semel facta, non est amplius reuocanda. glos. ver. irritari; sicut nec iniuriæ remissio est in posterum retractanda. c. si illic. 23. q. 4. nam decens est, beneficium esse mansurum. Authent. constit. quæ de dign. §. illud. coll. 6. Et quoniam huiusmodi secundæ litteræ impetratę, non facta mentione de tali dispensatione, sunt subreptitiæ. Abb. hic. Ideo non præiudicant primis. cap. cæterum. de rescript.

Cap. 10. Quoniam.

SI manifestum est, quòd filius in ecclesia immediatè successit patri, sine aliqua testium receptione, ab illa remouebitur.

QVIA in manifestis, & notorijs non est necessaria discussio iudicij, vel probatio testium. c. cum sit. de appell. & l. ea quidem. C. de accusat. Et quoniam non potest esse, quod non sit notorium, si ali-

si aliquis immediatè in ecclesia, cui præfuit pater, administrat. Innoc. hic. Ideò cùm sit prohibitum, quòd filius in tali ecclesia non administret, sicut pater, poterit talis absque formâ iudiciali, inde per episcopum amoueri. vt in tex. nisi per Sedem Apostolicam fuerit cum eo dispensatum. vt supr. in c. prox.

Cap. 11. Ad extirpandas.

FILIVS etiam legitimus remouetur ab ecclesia, in qua immediate successit patri vicario, vel rectori.

QVIA causa, propter quam filius prohibetur immediate intitulari in ecclesia paterna, est, ne in beneficijs hæreditaria successio notetur. supr. c. ex transmissa. & 8. q. 1. c. Apostolica. Et quoniam talis successio appareret siue filius sit legitimus, siue illegitimus. glos. 1. & fin. hic. Ideo si filius ibi fuerit immediate institutus, quantumcunque sit legitimus, est amouendus. vt in tex. nisi per Sedem Apostolicam fuerit cum eo dispensatum. vt supr. c. prox. Sed quod hic dicitur de patre, qui ibi fuerit vicarius, intelligitur de vicario perpetuo, qui dicitur intitulari. glos. hic ver. vicarij. Secus est de vicario temporali, qui non habuerit ecclesiam, & beneficium in titulum; nam tunc non potest notari successio, cum pater non habuerit ius in beneficio, quod dicatur fuisse translatum in filium. vt supr. c. constitutus. & c. ex tua. Et quod hic dicitur de filijs, similiter est intelligendum de nepotibus ex filijs, in quibus propter lineam rectam videretur esse successio; non sic autem prohibetur in nepotibus ex fratre, & cęteris collateralibus, cum non possit tunc notari directa naturalis successio, & indirecta non attenditur. glos. hic. & arg. c. cum voluntate. de sent. excom.

Cap. 12. Ad hæc.

FILIVS Episcopi legitime natus, promoueri potest ad ordines.

QVIA filij personarum ecclesiasticarum, solum ratione illegitimitatis prohibentur ordinari. supr. c. 1. Et quoniam qui oritur ex matrimonio est legitimus; licet eius pater post mortem vxoris fiat ecclesiasticus. c. debitum. de bigam. non ordin. Ideo qui natus est ex patre de legitimo matrimonio; si mortua vxore, ille promoueatur ad ordines, & efficiatur Episcopus, talis nō debet impediri ratione patris, quin & ipse possit ordinari. vt in tex. & supr. c. prox.

ET in paterna ecclesia beneficiari.

QVIA ab illo beneficio, vel penitus simili, filius immediate prohibetur, in quo pater fuit intitulatus. supr. c. prox. & infr. cap. cum decorem. Et quoniam qui est intitulatus de ecclesia, non est intitulatus de particularibus beneficijs, quæ sunt in ecclesia. c. pastoralis. de his, quæ fiūt prælat. Et ecclesia non est penitus simile beneficium cum illis, quæ

ſunt in ea.c.de multa.de præb. Ideo in eccleſia,cui pater præeſt,vel præfuit,vt Epiſcopus, filius poteſt aliquod inferius beneficium obtinere. vt in tex.& infr.c.ad abolendam.

Cap.13. Michael.

NON poteſt filius eſſe vicarius illius eccleſiæ, in qua pater proximus fuit rector.

QVIA vicarius perpetuus habet titulum illius eccleſiæ, cuius eſt vicarius ſupr.c.ad extirpandas.Et quoniam filius non poteſt immediatè intitulari in beneficio, quod habuit pater. ſupr.c.prox. etiam ſi titulus illius beneficij varietur,& alter titulus loco prioris ſubrogetur. Butr.hic. nu.1. Ideo filius non poteſt habere beneficium in titulum vicariæ perpetuæ, ſi eius pater immediate habuit illud in titulum rectoriæ. vt in tex.

Cap.14. Litteras.

ILLEGITIME genitus,etiam de vxore,ſine diſpenſatione ad ordines,vel beneficia promoueri non poteſt.

QVIA tunc dicitur quis illegitime naſci de vxore, quando vterque coniugum votum continentiæ, ante illius generationem eſt profeſſus. gl.1.hic. nam per huiuſmodi votum de carnali fit ſpirituale coniugiũ,ita,vt nõ permittatur poſtea ipſis ſimul carnaliter iungi, nec cuiquam alteri,etiam poſt mortem vnius eorum.c.ſeriatim.diſt.32. Et quoniam tales coniuges ſe carnaliter cognoſcendo,peccant contra votum emiſſum, & de incontinentia notantur.d.c.ſeriatim; nam licet non deficiat vinculum matrimonialis ſubſtantiæ, deficit tamen matrimonij executio. Abb.hic. Et incontinentia paterna eſt, quæ conſideratur in repellendo filium illegitimum ab ordinibus, & beneficijs,propter ſuſpicionem, quæ eſt, ne filius ſit imitator illius.ſupr.c.1. Ideo propter talem incontinentiam,filius ſic genitus prohibetur,ad ordines,vel beneficia promoueri. vt in tex. ſi tamen ex alijs cauſis fuerit dignus repertus,poterit cũ ipſo,quo ad iſtũ defectum,diſpenſari.vt in tex.& infr.c.fi.

Cap.15. Cum decorem.

ILLEGITIMVS, in eccleſia paterna præbendari non debet.

QVIA indecorum eſt, vt in altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret,in quo vnigenitus Dei filius æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur.vt in tex.Et quoniã domũ Dei decet ſanctitudo.Pſ.92.Et eſt cauendum,ne per miniſtrorum turpitudinem,eccleſiæ inquinetur honeſtas,c.cum decorem. de vit.& honeſt.cler. Ideo filius non legitimus non debet beneficiari in eccleſia, in qua eius patri

patri deberet ministrare. vt in tex. nec conuenit cũ eo in hoc dispensari. Butr. nu. 4. Et similiter filijs canonicorũ præbendę in eisdẽ ecclesijs conferri non debent, quarum sunt canonici patres eorum. vt in tex. quia propter omnimodam similitudinem, quæ est inter ipsos canonicos, censetur de talibus similibus beneficijs, sicut censetur de beneficio penitus eodem. Abb. hic. & not. supr. in c. ad hæc.

Cap. 16. Ad abolendam.

SI illegitimus, maxime filius spurius, instituatur in ecclesia, in qua institutus est pater, institutio non valet.

QVIA omnis illegitimus ab ordinibus, & beneficijs, (præsertim paternis) excluditur. vt supr. c. 1. & c. prox. Et quoniam inter illegitimos, spurius natus est ex coitu magis damnato, quam simplex illegitimus naturalis. glos. fin. in c. tanta. qui fil. sint leg. & l. vulgo. ff. de stat. homin. Ideo ad ecclesiæ decorem, & in paterni delicti detestationem, inter illegitimos, maxime spurius prohibetur institui in ecclesia, in qua eius pater fuit institutus. vt in tex. & glos. penult. hic.

ET instituens à suis beneficijs suspenditur.

QVIA licet Episcopus possit dispensare cum illegitimis in simplici beneficio in alijs ecclesijs, in illis tamen, in quibus illorum patres sunt instituti, dispensare non potest. glos. fin. hic. Et dispensando, vsurpat iurisdictionem alienam, & peccat, infr. c. fin. Et quoniam quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. litteras. de suppl. negl. præl. Ideo Episcopus, vel alius in tali beneficio collator delinquens, à proprijs beneficijs in sui pœnam suspenditur. vt in tex. & c. consuluit. infra tit. prox. & Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 15.

Cap. 17. Dilectus.

ALIVS, quam Papa, non dispensat, vt filius in ecclesia paterna immediate succedat.

QVIA si filius immediatè in ecclesia succederet patri, dehonestaretur status ecclesiæ, dum in illa hæreditaria successio esse videretur. supr. c. ex transmissa. Et quoniam non licet inferioribus Papa, dispensare in his, quæ generalem ecclesiæ statum concernunt. c. sanè. & glos. in c. dilectus. ver. permissa. de tempor. ordin. Ideo prohibetur, ne aliquis prælatus in hoc audeat dispẽsare. vt in tex. & gl. fi. sup. in c. prox.

Cap. 18. Nimis.

ILLEGITIMVS, absque dispensatione Papæ, ad dignitatem, vel personatum, vel beneficium curatum promoueri nõ potest.

QVIA de iure communi filij illegitimi repelluntur ab ordinibus, & beneficijs, propter incontinentiam paternam. supr. c. 1. Cóceditur tamen Episcopis, vt quo ad ordines minores, & beneficia simplicia, possint cum ipsis dispensare. glos. hic. & infr. c. 1. in 6. Sed quoniam nimis deformaretur ecclesiæ honestas, si faciliter cum illegitimis circa maiora beneficia dispensaretur. vt in tex. Ideo prohibetur, ne inferiores Papa cum talibus dispensent circa ista beneficia, quæ sunt de maioribus. vt in tex. & c. de multa. de præb.

In Sexto. Cap. 1. Is, qui.

CVM illegitime natis dispensant Episcopi, in minoribus ordinibus, & beneficio sine cura.



QVIA illegitime nasci, non est culpa eius, qui nascitur, sed illius, qui generat; licet talis illegitimitas in ipso nato dicat defectum. c. nasci. dist. 56. Et quoniam, qui alieno vitio laborat, misericordia est dignus. l. legem. C. de natur. liber. Ideo, licet propter incontinentiam paternam, non possint de iure communi, illegitimi ad aliquos ordines, & beneficia promoueri. extr. c. 1. Ex misericordia tamen conceditur, vt per Episcopos possit cum ipsis quo ad minores ordines, & simplicia beneficia dispensari. vt in tex. & extr. c. fin.

DVMMODO sit tale, in quo aliàs dispensare possint.

QVIA facultas concessa ad dispensandum, cum sit super re odiosa, & exorbitante à iure communi, est potius restrigenda, quàm dilatanda. infr. §. seq. Et quoniam vbi sunt duæ prohibitiones, sublata vna, remanet alia. c. pastoralis. & ibi glos. fin. extr. de priuil. & l. si domus. ff. de seruit. vrb. præd. Et ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo per concessionem factam Episcopis, ad dispensandum cum illegitimis super minoribus ordinibus, & simplicibus beneficijs, nó infertur, quod possint cum ipsis dispensare in alijs casibus, Episcopis à iure prohibitis. vt in tex. puta, quod tales illegitimi possint immediatè paternum beneficium obtinere. glos. hic. ver. tale. Cum in hoc non possint Episcopi dispensare etiam cum legitimis. extr. c. ex tua.

IN alijs dispensatio Papæ requiritur.

QVIA nimium ecclesiæ deformaretur honestas, si ad sacros ordines, & ad maiora beneficia faciliter cum illegitimis dispensaretur. extr. c. fin. Et quoniam vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum. c. vbi. de elect. in 6. Ideo quo ad sacros ordines, & maiora bene-

beneficia, Papa alijs non concesſit, ſed ſibi retinuit facultatem cum illegitimis diſpenſandi. vt in tex. & extr. d. c. fin. & vide Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform, cap. 15.

§. Ille.

S I diſpenſatum fuerit cum aliquo, quod, non obſtante vllo defectu, poſſit ad curatum beneficium promoueri; prætextu illius diſpenſationis non poterit duo beneficia inſimul obtinere.

QVIA diſpenſatio, cum exorbitet à iure communi, eſt odioſa. vt in tex. Et quoniam odioſa ſunt reſtringenda: c. odia. infr. de reg. iur. Et per vim verborum per adeptionem vnius beneficij, talis diſpenſatio eſt ſortita ſuum effectum. Archid. hic in fin. Singularis enim locutio permittens in materia prohibitiua, nõ extenditur ad pluralem. c. gaudemus. extr. de diuort. Ideo diſpenſatio ad vnum beneficium, non eſt dilatanda ad plura. vt in tex. & c. non poteſt. infr. de præb. & vide Concil. Trid. 24. de refor. cap. 17.

Cap 2. Si is.

S I ille, cum quo ſuper defectu originis in curato beneficio fuerit diſpenſatum, eo tacito, ſuper pluralitate diſpenſationem obtineat, non valet diſpenſatio.

QVIA taciturnitas alicuius qualitatis, qua expreſſa, Princeps veriſimiliter gratiam non conceſsiſſet, per vitium ſubreptionis inducit, ipſo iure, gratiæ nullitatem. c. ſuper litteris. & c. ad audientiam. il 2. extr. de reſcript. Et quoniam non eſt veriſimile, quod Papa diſpenſaſſet ſuper beneficiorum pluralitate cum eo, qui patitur defectũ nataliũ, ſi hoc ei fuiſſet expreſſum. vt in tex. Ideo talis diſpenſatio quo ad pluralitatem beneficiorum, veluti per ſubreptionem obtenta, nullius penitus eſt momenti. vt in tex. & c. non poteſt. infr. de præb. Diſpenſatio enim addita diſpenſationi, non valet, niſi in diſpenſatione ſecunda, fiat mentio de prima. gloſ. 1. hic. & Decius. in l. liberos. C. de collat.

Liber Primus. Titulus. XVIII.

DE SERVIS NON ordinandis, & eorum manumiſsione.

In Decretal. Cap. 1. Inſtruendi.

SERVVS ante plenam manumiſſionem ordinari non debet.

QVIA


VIA in susceptione ordinis mancipatur homo diuinis officijs. Et quoniam nemo potest dare, quod suum non est; Ideo seruus, qui non habet sui potestatem, non potest ad ordines promoueri; si tamen promouetur, ordinem suscipit; quia libertas non est de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti; cum non impediat potestatem, sed actum tantum; & similis ratio est de omnibus, qui sunt alijs obligati, vt ratiocinijs dediti, & huiusmodi personæ. S. Tho. par. 3. q. 39. art. 3. in addit. Et quoniam per manumissionem, seruus liberatur à domini potestate. Instit. de libertin. §. 1. Ideo post manumissionem ille, qui erat seruus, si aliud ei non obstat, potest libere ordinari. vt in tex. & c. quicunque. dist. 54. Et quoniam vbi seruus ordinatur contra domini voluntatem, est domini indemnitati consulendum. infr. c. prox. Ideo debet ordinator informari de manumissione eius, qui erat seruus, antequam ordinet. d. c. prox. nam quod infirmari, vel vituperari potest, debet præcaueri. vt in tex. Et melius est ante tempus occurrere, quam post causam vulneratam remedium quærere. cap. in nomine. dist. 23. & l. 1. C. quod lic. vnicuique.

Cap. 2. De seruorum.

SERVVS sine licentia domini ordinatus, deponitur, & domino restituitur.

QVIA secundum Apostolum, est cauendum, ne fides, & disciplina Domini blasphemetur, dũ serui suos dominos sub specie religionis contemnunt. 1. ad Timoth. cap. 6. Non enim, quia fidelis es, liberũ te esse putes; hoc enim libertatis documentum est, seruire magis. Quippe infidelis, si viderit fidei causa illos superbire, blasphemabit dogma nostrum, tanquam seditionis causam; cum verò obtemperantes attenderit, citius credet, ac facilius, quæ dicuntur, admittet; alioqui, & Deus, & prædicatio ipsa blasphemabitur. Chrysost. ibid. Et quoniam seruus est res domini. Institut. de his, qui sunt sui, vel alie. iur. Et nemo est iure suo sine culpa priuandus. c. discretionem. de eo, qui cogn. consang. Et eo ipso, quod seruus promouetur ad ordines, domino ignorante, peccat. glos. in c. ad hæc. de relig. dom. Ideo, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena iura peruadi, aut publica videatur disciplina subuerti. c. generalis. dist. 54. Et ne seruus reportet commodum de sua fraude, deponitur; & ne dominus sine culpa iure suo priuetur, recuperat illum. vt in tex. & c. frequens. dist. 54. Distinguitur tamen circa seruos promotos; nam si est promotus, sciente domino, & non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus; si autem, eo nesciente, Episcopus, & ille, qui eum præsentauit, tenentur domino in duplum, quàm sit pretium serui, si sciuerunt ipsum esse seruum; aliàs si seruus habeat peculium, debet seipsum

sum redimere; alioquin reduceretur in seruitutem domini sui, non obstante, quod ordinem exequi non potest. S. Tho. par.3. q.39. art.3. in addit. & glos. fin.hic, quæ adducit iura, ex quibus sumitur ista distinctio in huiusmodi restitutione facienda, & præcipuè sumitur ex cap. ex antiquis, & c. generalis. dist. 54.

Cap. 3. De famulis.

SERVVS ab ecclesia manumissus ordinari potest.

QVIA manumissus ab ecclesia non debet esse peioris conditionis circa ordines suscipiendos, quàm sit manumissus à laico. infr. c. eo libentius; immo debet esse melioris; cùm ordines conferantur ab ecclesiasticis. c.1. de tempor. ordin. Et prima charitas incipit gradatim à se, & à suis. cap.nisi. & ibi glos. ver. eligimus. de auct. & vsu pal. Et quoniam manumissus à laico potest ordinari. supr. c.1. Ideo multo magis debet posse manumissus ab ecclesia.vt in tex.& c.quicunque. dist.54.

ET quod acquirit, post suum obitum erit ecclesiæ manumittentis.

QVIA conditiones tacitè, vel expressè, alicui contractui inhærentes, sunt obseruandæ. c.2. de condit. apposit. Et quoniam talis intelligitur sub ea conditione ab ecclesia manumissus, vt si non habeat filios, bona per ipsum acquirenda ecclesiæ ipsi manumittenti relinquantur. Innoc. hic nu.1. Ideo talis manumissus, & ordinatus, si non habet filios, non potest in alios extraneos transmittere bona per ipsum acquisita, sed ipsi ecclesiæ illa debentur. vt in tex. & glos.1. hic. Ordo enim charitatis requirit, vt illis primo loco teneamur obnoxij, à quibus accepimus beneficium. c.cum in officijs.de testam.

QVAM si accusat, vel contra eam testificatur, libertate, & ordine priuatur.

QVIA libertatis donum est adeo pretiosum,vt propter leuem iniuriam factam à manumisso in patronum,ille censeatur ingratus, & libertate indignus. c. octaua. 12. q.2. & C. de libert.& eor. liber. l.2. Et quoniam iniuria fit patrono, si libertus eum accusat, vel contra eum testificatur, venia edicti prius non impetrata. l. 2. C. de in ius vocan. Ideo, vt quis puniatur, in quo deliquit, & vt cæteris ecclesiæ libertis accusandi, vel testificandi aduersus ecclesiam aditus præcludatur, statuitur, vt tales manumissi ingrati non solum libertatis beneficio careant, sed etiam honoris gradu,quem non dignitate naturæ,sed necessitate temporis promeruerunt. vt in tex. & c.liberti ecclesiæ. 12. q.2. Talium enim status, qui contra episcopum suum, vel patronam ecclesiam nituntur, decidi potius, quàm conseruari conuenit, vt quorum libertas perniciosa est, sit salutifera seruitus,& qui superbire voluerunt, adepta libertate, proditi discant obedire subiecti. d.c.octaua.12. q.2.

Cap.4.

Cap. 4. Nullus.

DOMINVS in seruo, quem manumittit, potest spirituales operas retinere.

QVIA spirituale cum spirituali potest commutari, & in conditione apponi; sicut potest temporale in re temporali. c. ad quæstiones. & ibi glos. 1. de rer. permut. Et quoniam libertas est res spiritualis. glos. fin. hic. Ideo in concessione libertatis potest dominus spirituales operas retinere, puta, vt horas canonicas sibi psallat, & similia. vt in tex. & infr. c. eo libentius. Operas verò temporales in seruo ad ordinandum manumisso dominus retinere non potest; ne videatur accipere ordines sub ea conditione temporali, & ne per illa opera à clericali seruitio retrahatur. c. quicunque. dist. 54.

Cap. 5. Consuluit.

SPVRII, vel serui ordinari non debent.

QVIA ob ordinis prærogatiuam, nec viles personæ sunt ad illum assumendæ. c. penult. dist. 26. nec illæ, de quibus est suspicio, quod per aliquod vitium inficerent ordinis existimationem. c. litteras. supr. tit. prox. nec illæ, quæ non habent sui potestatem, in ordine administrandi. supr. c. de seruorum. Et quoniam spurius est persona vilis. l. vulgo. ff. de stat. homin. Et similiter seruus. Instit. de his, qui sui, vel ali. iur. sunt. §. fin. Et in spurio est suspicio, ne imitet incontinentiam paternam. supr. tit. prox. c. 1. Et seruus non habet sui potestatem, vt possit contra domini voluntatem in ordine administrare. c. quicunque. dist. 54. Ideo neque spurios, neque seruos debet episcopus ordinare. vt in tex. & not. in d. c. de seruorum.

Cap. 6. Eo libentius.

MANVMISSVS ab ecclesia, vt fiat clericus, & ipsi ecclesiæ perpetuò seruiat in diuinis, ad aliam ecclesiam se transferre non potest.

QVIA cum libertas sit res spiritualis, potest venire in commutatione cum alio spirituali. glos. 1. hic. & not. supr. in c. nullus. Et quoniam conditiones honestæ, appositæ in contractibus, sunt seruandæ. c. 1. de pact. & c. ad quæstiones. de rer. permut. Ideo conditio apposita in concessione libertatis, vt manumissus famulatum impendat, dum vixerit, in obsequijs diuinorum ecclesiæ manumittenti, & per consequens, quòd ad aliam ecclesiam se transferre non possit, tanquam debita est attendenda. vt in tex. & supr. c. nullus.

SECVS

SECVS, si fuerit manumissus, vt seruiat.

QVIA indefinita regulariter æquipollet vniuersali. l.si pluribus. ff.de legat.2. & glos. in c.vt circa. ver. aliorum. de elect. in 6. Et quoniam vbi quis obligatur ad aliquid in genere, non magis adstringitur ad vnum, quàm ad aliud de contentis sub illo genere; sed vnum faciendo, adimplet debitum suum, & liberatur ab alio; vnde dicitur, Qui promittit dare animal, liberatur dando muscam. l.si quis à filio. §. si quis.ff.de legat.1. Ideo manumissus ab ecclesia sub ea cõditione indefinita, vt ordinatus diuinis seruiat, adimplet debitum suum, siue ecclesiæ manumittenti, siue alteri ecclesiæ in diuinis seruiendo. vt in tex.& c. quia circa. de priuil.

Cap. 7. Miramur.

IVS, quod est de seruo facto diacono, etiam de subdiacono debet intelligi.

QVIA iura, quę loquuntur de seruo facto diacono, dicentia, quod si seruus fuerit ordinatus in diaconũ sine domini voluntate, aut vicariũ præstet, aut si non habuerit, ipse domino reddatur, habent respectum ad illum, tanquam ad ordinatum in sacris. c.ex antiquis.dist. 54. Et quoniam ordo subdiaconatus, licet in primitiua ecclesia non fuerit sacer existimatus, cum de eo non fiat expressa mentio in patrum statutis; sed de ipso fit mentio generaliter, sicut de inferioribus ordinibus non sacris. d.c. ex antiquis, & glos.2. hic. Tamen quoniam à constitutione Gregorij, atque Vrbani secundum moderna tempora, sacer gradus esse minimè dubitatur. vt in tex. & c.ante triennium. dist.31.& c.nullum. dist.28. qui duo canones sunt constitutiones Gregorij, & c. erubescant. dist.32. quæ est constitutio Vrbani. Ideo idem ius, quod est de seruo facto diacono per respectum ad ordinem sacrum, debet etiam hodie esse de tali facto subdiacono; in quo est eadem ratio ordinis sacri. vt in tex. & sic debet esse idem ius. c. cum dilecta. de confirm. vtil. vel inutil.

Cap.8. Dilectus.

NATVS ex patre seruo, & libera matre, liber est, & licitè promouetur.

QVIA filius quo ad libertatem, propter maiorem certitudinem originis, sequitur conditionem matris. l.partum. C. de rei vendic. & Institut. de ingenu. §. 1. Et sufficit fauore libertatis, eum fuisse per momentum in libero ventre, vt liber nascatur. l. & seruorum. §. ingenui. ff.de stat.homin. licet in honoribus, & muneribus, & mancipijs,

propter maiorem viri prærogatiuam, partus sequatur patrem. l. libertas. ff.de stat.homin. & l.eos. & l.exemplo. C.de decur. lib.10. Et quoniam qui liber est, potest ad ordines promoueri, si ei non obsit aliud canonicum impedimentum, licet eius pater sit seruus. supr.c.1. Ideo ratione libertatis, natus de libera matre, & seruo patre, licite potest ordinari. vt in tex. & glos.2. in c.liberi. 32.q.4.

Liber Primus. Titulus XIX.

DE OBLIGATIS AD Ratiocinia, ordinandis, vel non.

In Decretal. Cap. Vnic. Magnus.

OBLIGATVS ratiocinijs, deposito onere, & reddita ratione, ordinari potest.



VIA causa, cur tales non debeant ordinari, antequam deposuerint illud onus, & reddiderint rationem, est, quia ecclesia infamaretur, si ipsi in administratione commisissent fraudem, & debitores remansissent. vt in tex. Et creditores grauarentur, dum vellent agere contra illos, qui per ordinum assumptionem mutauerunt forum. Innoc. nu.1. Et quoniam cessante causa, cessat effectus. c.cum cessante.de appellat. Ideo quando constat, quod illi recte administrarunt, & per illorum promotionem ad ordines nemo grauatur, non sunt ob factam administrationem ab ordinibus prohibendi. vt in tex. & c.legem. dist.53.

PRIVS verò non.

QVIA indigni, & infames non sunt promouendi ad ordines. c. vnic. de scrut. in ord.fac. nec illi sunt promouendi, per quorum ordinationem, aliorum iura fraudarentur. vt not. sup.tit. prox. cap.2. Et quoniam infamaretur ecclesia, si ordinarentur tales, qui non recte administrassent. vt in tex. Et ipsi essent ordinibus indigni.c. præterea.dist.51. Et eorum creditores grauarentur, vt dictum est superius. Ideo antequam deposuerint huiusmodi administrationem, & de ea reddiderint bonum ratiocinium, non sunt ad ordines assumendi. vt in tex. & c.designata. dist.51.

Liber

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

In Decretal. Cap. 1. De presbytero.

PRESBYTER, qui in duello digiti partem amisit, ex dispensatione sui Episcopi, potest in suo ordine ministrare.



VIA amisio partis digiti est modica deformitas. gloss. infr. in c. fin. Et quoniā vbi est modica deformitas, quæ non impediat in executione officij, & non generet scādalum, facile cum patiente talem defectum dispensatur, vt posit ad ordines promoueri. infr. cap. fin. Ideo multo magis dispensandum est cum iam ordinato, vt posit in suo ordine ministrare. vt in tex. Multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. c. ad Apostolicam. de regular. Et turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes. c. quemadmodum. de iureiur. Et ob id Papa non retinet sibi facultatem dispensandi cum tali, sed eam Episcopo loci concedit, qui tamen debet illi imponere pœnitentiam de graui excessu duelli. vt in tex. & infr. c. fin. Et quatenus ad duellum spectat, vide quæ nouisimè definiuit Concil. Trid. sess. 25. de refor. c. 19. & adde S. Tho. & ibi Caiet. 2. 2. q. 95. art. 8.

Cap. 2. Cum de tua.

HABENS in oculo maculam, quæ non inducit magnam deformitatem, etiam ad episcopatum poterit promoueri.

QVIA ille defectus in aliquo membro repellit ab ordine, qui vel impediret ordinatum in executione ordinis, vel propter deformitatem generaret scandalum. supr. in c. prox. & S. Tho. par. 3. q. 39. art. 6. in addit. Et quoniam macula in oculo, quæ non inducat multam deformitatem, non impedit executionem officij, nec generat scandalum. gloss. fin. hic. & l. qui clauum. ff. de ædilit. edict. Ideo per talem maculam non est quis ab aliquo ordine, etiam si sit episcopalis, prohibendus. vt in tex. Quæ autem macula dicatur inducere scandalosam deformitatem, relinquitur arbitrio ordinantis. Butr. nu. 3. Patiens autem notabilem defectum in oculis, etiam in lege veteri à ministerio Dei repellebatur, sicut & alij defectuosi, ne offerret panes propositionis. Leuit. cap. 21. Et quid per illos defectus significetur, exponitur in c. 2. dist. 49.

Cap. 3. Ex parte.

SECTVS in cunabulis, licite promouetur.

QVIA secundum statuta Concilij Niceni, illi secti ad clericatus ordinem prohibentur accedere, & etiam si in clero fuerint, debent cessare, qui seipsos sani absciderint, vel affectauerint, vt ab alijs abscindantur. vt in tex. & c. si quis pro ægritudine. dist. 55. Notatur enim in talibus nimium crudelis voluntas in seipsos. c. qui partem. d. dist. 55. Et quoniam, qui in cunabulis sectus est, non potest eo tempore abscissionem affectare, cum iudicium animi tunc non haberet. vt in tex. & sic non potest dici, quod fuerit in seipsum crudelis. l. 1. C. de fals. monet. Ideo talis non debet impediri, quominus posit per huiusmodi defectum ad ordines promoueri. vt in tex. Præsertim cum in canonibus Apostolorum sit manifeste sancitum, quòd eunuchus, si per insidias hominum factus, vel ita natus sit, aut etiam in persecutione sint ei amputata virilia, & dignus est, posit in Episcopum promoueri. vt in tex. Et similiter si ex aliqua iusta causa, puta timore lepræ, quis fecerit sibi virilia abscindi, ab ordinibus non prohibetur. infr. c. ex parte. & d. dist. 55. c. si quis à medicis. Nec tunc est necesse seruare illam carnem, vel puluerē, vt dicunt vulgares. gl. in c. eunuchus. d. dist. Sed qui sine iusta causa fecit sibi virilia abscindi, prohibetur ordinari. infr. c. prox. quia quasi sui homicida videtur, & Dei conditioni inimicus. c. si quis absciderit. d. dist. Videtur enim Deum redarguere, quod plus in eo creauerit, quàm fuerit necesse. c. ab exordio. dist. 35. Et præsumitur, quod omne turpe in alium faceret, qui hoc in seipso ausus est attentare. l. cum autem. §. excipitur. ff. de ædilit. edict. Nec potest quis sibi inijcere manus, cum nemo sit dominus membrorum suorum. l. liber. ff. ad leg. Aquil. Nec excusatur, quod hoc fecerit ad caste viuendum. infr. c. prox. quia religione, non ferro quærenda est castitas. cap. tunc saluabitur. 33. q. 5. & glos. hic. Nec obstat exemplum de Origene, qui se eunuchum fecit, vt liberius in occulto posset prædicare, tempore persecutionis ecclesiæ, mulieribus; & tamen postea apud Cæsaream factus est sacerdos. Nec exemplum Marci, qui præscidit sibi pollicem, vt sic fieret indignus sacerdotio, & tamen postea factus est sacerdos. glos. in d. c. si quis absciderit. quia hæc specialia non sunt trahenda ad consequentiam. d. glos. & cap. petisti. 7. q. 1. Marcus autem ille, non fuit Marcus Euangelista, vt quidam putant, sed alter Marcus anachoreta, vt notat Baronius tomo 1. Annalium sub anno Christi 45. in fine.

Cap. 4. Significauit.

SACERDOS, qui sine causa virilia sibi fecit abscindi, credens inde

inde mereri, de dispensatione Episcopi, suum officium (præter altaris ministerium) poterit exercere.

QVIA cum non liceat alicui in propria membra sæuire, talis grauiter deliquit. supr. c. prox. Et per huiusmodi abscissionem efficitur irregularis. Innoc. hic in fin. Et ob id de iure communi prohibetur, ne ad ordines promoueatur, & si est promotus, quod in illis nõ administret. c. si quis absciderit. dist. 55. & cap. maritum. distin. 33. Sed quoniam simplicitati, & ignorantiæ, faciliter venia tribuitur. c. cum vniuersorum. de rer. permut. Et bona intentio malum factum excusat. c. dixit. & ibi glos. fin. 32. q. 4. Ideo pia intentio illius, qui virilia fecit sibi abscindi, credens se obsequium Deo præstare, debet operari, vt facilius quo ad aliqua cum eo dispensetur, & sic Papa concedit, vt Episcopus possit quo ad eius sacerdotale officium in aliqua parte administrandum, cum tali sacerdote dispensare. vt in tex. Sed quoniam oblatio altaris omnia alia sacramenta præcellit. cap. nihil. de consecrat. distin. 2. Et in maioribus cautius est agendum. cap. vbi. de elect. in 6. Ideo quo ad illam Papa sibi facultatem cum tali dispensandi reseruat. vt in text. & glos. fin. hic.

Cap. 5. Ex parte. il 2.

SACERDOS, qui ex iusta causa facit sibi virilia abscindi, potest, vt prius, sacerdotale officium exercere.

QVIA canones non prohibent à sacri altaris administratione illos, qui ex iusta causa faciunt sibi virilia abscindi. vt in tex. & c. si quis pro ægritudine. distin. 55. Sed illos excludunt, in quibus propter talem abscissionem, crudelis voluntas in seipsos notatur. supr. c. ex parte. & dist. 55. c. qui partem. Et quoniam in materia irregularitatis, & ordinationis, regula procedit affirmatiuè, vt quilibet ad ordines censeatur idoneus, nisi in iure reperiatur prohibitus. Abb. hic. num. 2. Ideo cum quis sentiret sibi lepræ periculum imminere, de consilio medici virilia fecit sibi abscindi, vt posset ab illo infirmitatis vitio liberari, vel ex alia simili rationabili causa de suo consensu fuerint sibi abscissa, si aliàs est idoneus, non debet impediri, quin sui ordinis officium exequatur. vt in tex. & cap. si quis à medicis. dist. 55. Notat autem Burr. hic, quod incisio virilium proficit ad curam morbi lepræ; ex quo videtur, quod lepra aliquando procedat ex instinctu luxuriæ, & quod non solum in infirmitatibus animi minus malum est eligendum, vt 13. dist. per totum. sed etiam in infirmitatibus corporis, vt in casu huius tex. in quo pro sananda lepra abscinduntur virilia. Butr. & Abb. hic. Vnde est intelligẽdum de lepra, quæ sit maius malum, quàm talis abscissio. Sex enim illius enumerantur species. Leuit. cap. 13.

Cap.

Cap.6. Exposuisti.

MVTILATVS manu, si promotus fuerit in abbatem, ab abbatia deponitur.

QVIA mutilatio manus est enormis defectus, qui impedit exercitium sacerdotij, & generat scandalum, si de facto exerceatur. c. presbyterum. de cleric. ægrot. Vnde taliter impeditus non potest ad sacros ordines promoueri. vt in tex. Et quoniam abbas debet de iure communi esse sacerdos. cap. 1. de ætat. & qual. ordin. Et inhabilis ad vnum connexorum, est inhabilis ad reliquum. Abb. hic. Ideo si aliquis in promotione sua ad abbatiam, tacuit fraudulenter huiusmodi defectum, cum non possit promoueri ad ordinem requisitum, est ab officio abbatiæ etiam amouendus. vt in tex. & d. c. 1. de ætat. ordinan.

Cap.7. Thomas.

CARENS vngula pollicis, dummodo sit fortis in pollice, licite ad sacerdotium promouetur.

QVIA modica deformitas in membro non impedit exercitium ordinis, nec generat scandalum, propter quæ impedimenta quis prohibetur ab ordinibus. supr. c. cum de tua. Et quoniam carentia vngulæ est modicus defectus. supr. c. 1. Ideo si aliàs talis sit potens in pollice ad frangendum eucharistiam, & aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem, & defectũ vngulæ, non debet ab ordine sacerdotij prohiberi. vt in tex. & c. qui partem. dist. 55. Vnde ex prædictis in hoc tit. circa huiusmodi membrorum defectus, est distinguendum. Quod quidam sunt corpore vitiati sponte, quidam casu; si sponte, distingue, aut nulla iusta causa interueniente; & tunc ordinandus repellitur, & iam ordinatus deijcitur. c. qui partem. & c. si quis à medicis dist. 55. & c. maritum. dist. 33. aut iusta causa interueniente, & tunc non prohibetur ab ordine. supr. c. ex parte. il 2. nisi generet deformitatem, quia tunc in omni casu repellitur. c lator. & c. si euangelica. dist. 55. & supr. c. exposuisti. Si casu, & tunc si in magnis membris, & deformitatem generet, repellitur, & deijcitur. d. c. si euangelica. In paruis verò membris nõ impeditur, si deformitas modica sit, & sine culpa sua, vt in hoc cap. fin. Si verò culpa sua in talem modicam deformitatem incidit, de misericordia etiam toleratur. supr. c. 1.


Liber

Liber Primus. Titulus XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

In Decretal. Cap. 1. Vt bigami.

BIGAMI non sunt ad sacerdotium promouendi.



QVIA per sacramentum ordinis quis constituitur sacramentorum minister. Et quoniam ille, qui alijs debet sacramenta ministrare, nullum debet in sacramentis pati defectum. Defectus autem in sacramento est, quando sacramenti significatio integra non inuenitur. Et sacramentum matrimonij significat coniunctionem Christi ad ecclesiam, quæ est vnius ad vnam. Ideo requiritur ad perfectam significationem sacramenti, quòd vir sit tantum vnius vir, & vxor sit tantum vnius vxor; & ideo bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit, & impedit ordinari. S. Thom. pár. 3. q. 66. art. 1. in addit. Præterea, in in illis, qui accipiunt sacramentum ordinis, maxima spiritualitas debet apparere, tum quia spiritualia ministrant, scilicet sacramenta; tum quia spiritualia docent, & in spiritualibus occupari debent. Et quoniam concupiscentia, per quam totus homo caro efficitur, maxime spiritualitati repugnat. Ideo non debet aliquod signum concupiscentiæ permanentis in ordinandis apparere; quod quidem apparet in bigamis, qui vna vxore noluerunt esse contenti; & ideo etiam prohibentur ordinari. S. Th. d. art. 1. Et præcipuè prohibetur bigamus promoueri ad sacerdotium, & alios ordines sacros. vt in tex. cum in istis propter eorũ excellentiam maior continentia, & spiritualitas requiratur. glos. in sum. dist. 26. Sunt autem quatuor modi bigamiæ. Primus est, cum quis habet plures vxores de iure successiuè. Secundus, cum simul habet plures, vnam de iure, aliam de facto. Tertius, cum habet plures successiuè, vnam de iure, aliam de facto. Quartus, quando quis viduam ducit vxorem. Et omnibus his modis est irregularitas adiuncta. S. Thom. ibidem. & glos. infr. in cap. proxim. quæ addit quintum, scilicet, quando quis scienter cognouit vxorem adulteram. vt in cap. si cuius. & cap. si laici. dist. 34.

Cap. 2. Super eo.

CVM bigamo qui ordinatus est ad sacros, non dispensatur.

Quia

QVIA bigami prohibentur per Apostolum, ad sacros ordines promoueri. 1. ad Timoth. cap. 3. Et quoniam dispensatio est communis iuris relaxatio. glos. penult. in c. requiritis. 1. q. 7. Et inferior non potest tollere legem superioris. c. cum inferior. de maior. & obed. Ideo episcopis non licet contra dictum Apostoli dispensare, vt bigami ad sacros ordines promoueantur, vel, si promoti fuerint, vt in illis administrent. vt in tex. & infr. c. nuper. Papa autem, licet non dispenset contra dicta Apostoli in his, quæ pertinent ad articulos fidei, & fortè in his, quæ pertinent ad generalem statum ecclesiæ, in alijs tamen bene dispensat. Innoc. hic. Petrus enim, cuius Papa est successor, fuit maior, quam Paulus, in administratione; ideo constitutione Pauli non adstringitur. Abb. nu. 6. Vnde Papa non dispensat quantum ad ea, quæ sunt de iure naturali, & quantum ad ea, quæ sunt de necessitate sacramentorum, & fidei; sed in alijs, quæ sunt de institutione Apostolorum, cum ecclesia nunc habeat eandem potestatem statuendi, & destituendi, quam tunc habuerit, potest per eum, qui primatum tenet in ecclesia, dispensari. S. Tho. par. 3. q. 66. artic. 5. in addit. Et quoniam bigamiæ non est adiuncta irregularitas de iure naturali, sed de iure positiuo; nec est de essentialibus ordinis, quod ordinandus non sit bigamus; quod patet ex hoc, quòd si aliquis bigamus ad ordines accedit, characterem accipit. S. Tho. ibidem. & c. quicunque. dist. 50. Ideo Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter; sed episcopus, quantum ad minores ordines; Et quidam dicunt, quod etiam quantum ad maiores in illis, qui volunt Deo in religione seruire, propter vitandum religiosorum discursum. S. Tho. d. art. 5. & glos. hic ver. dispensare.

ET ordinator priuabitur potestate ordinandi.

QVIA conueniens est, vt quis puniatur, in quo peccauit. c. inter. de excess. præl. Ideo qui deliquit conferendo ordines, cui non debebat, ab illa ordinis collatione est in eius pęnā prohibendus. vt in tex. & c. litteras. de tempor. ordin.

NISI cum eo fuerit dispensatum.

QVIA legitima dispensatio reddit licitum, quod erat illicitum. glos. penult. in c. dudum. il 2. de elect. Et quoniam conuenit in tali casu facilius dispensare cum ordinatore, in quo est sola culpa; quàm cum ordinato, in quo est irregularitas, & culpa. Abb. nu. 8. Ideo si cum ordinatore fuerit dispensatum, vt pro tali errore, ordinandi potestate, & officio non priuetur, poterit sine pœna priuationis incurrenda, etiam in futurum tales ordines conferre. vt in tex. & glos. fin. Dispensatio autem ista est à Papa obtinenda. Abb. nu. 9. Cum eius sit soluere, cuius est ligare. d. c. cum inferior. Et ad id, quod dicitur, vbi non est dispensatio reseruata, videtur inferioribus concessa, Respondetur, illud

illud esse verum, nisi dispensetur, vbi pęna sit Papæ reseruata, nam tunc intelligitur reseruata etiam dispensatio. Butr. in fin. Vel dic potius, illud non esse verum. vt not. in Clemen. 2. de elect.

Cap. 3. De bigamis.

BIGAMVS, vxore viuente, vel mortua, non ordinatur.

QVIA non matrimonij vinculum, sed irregularitas contracta ex carnis diuisione in plures, verè, vel interpretatiue, est impedimento, vt bigamus ordinari non debeat. supr. c. 1. & 2. Et quoniam talis irregularitas non potest purgari per mortem vxoris, vel per pœnitentiam; nec etiam per baptismum subsecutum. c. acutius, & c. vna. dist. 26. Ideo non solùm viuente vxore; sed etiã defuncta, bigamus non est admittẽdus ad diuinorum celebrationem, maximè cum à doctrina sit Apostoli, & institutionibus ecclesiæ alienũ. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 4. Nuper.

QVI mortua vxore, promotus ad sacros, cum secunda de facto contraxit, & cognouit, bigamiæ pœnam incurrit.

QVIA in maleficijs magis voluntas, quàm exitus spectatur. dist. 99. c. fin. & l. diuus. ff. ad leg. Corn. de sicar. Et propter similitudinem facti, quis numeratur inter eos, de quorum numero ipse non est. c. quotquot. 27. q. 1. & l. fin. ff. mand. Et quoniam qui de facto cum secunda contraxit, quantum in eo fuit, suam carnem in plures diuisit. vt not. supr. in c. 1. Ideo licet defectus vnitatis sacramenti re vera in illo non sit, qui vnam habuit vxorem, & post susceptionem ordinis sacri aliam duxit de facto; nam realiter carnem suam non diuisit in plures vxores, ex quo ista secunda non est vxor. glos. penult. hic. & glos. fin. in c. sanè. de cleric. coniug. vnde in veritate talis bigamus non existit. vt in tex. bigamiæ tamen pœnam incurrit, & in susceptis ordinibus administrare non debet, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. vt in tex. & infr. c. fin. Et præter alias pœnas, hodie promotus in sacris, si de facto contrahat matrimonium, est ipso facto excommunicatus. Clem. 1. de affinit, & consang.

LICET non sit bigamus.

QVIA bigamus propriè dicitur, quasi binæ vxoris maritus. c. vnius. dist. 26. & c. aperiant. 31. q. 1. licet interpretatiuè sint, & alij modi bigamiæ, vt not. supr. c. 1. Et quoniam ordinatus in sacris non potest ducere vxorem, & si de facto ducat, de iure non tenet. d. c. sanè. & de ætat. & qual. ordin. c. à multis. Ideo licet talis propter affectum intentionis cùm opere subsecuto, bigamiæ pœnam incur-

rat. vt dictum est superius; verè tamen, & propriè bigamns non est. vt in tex. & gloss. ver. in bigamis. supr. in c. 1.

Cap. 5. Debitum.

QVI contraxit cum virgine, licet prius ab alio fuerit desponsata, bigamus non censetur.

QVIA cum duo sint in coniugio, videlicet, consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in Spiritu inter Deum, & iustam animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus; Qui adhæret Deo, vnus Spiritus est cum eo. 1 ad Corinth. cap. 6. Reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, & ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Euangelista testatur; Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioan. cap. 1. profecto coniugium illud, quod non est ex commixtione corporum consummatū, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & ecclesiam, per incarnationis mysterium est contractum. vt in tex. iuxta quod Paulus exponens illud, quod prædixerat protoplastus; Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Genes. cap. 2. Et propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna, statim subiungit; Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo, & ecclesia. ad Ephes. cap. 5. Et quoniam propter sacramenti defectum, inhibitum est, ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros ordines promoueri, quoniam nec illa est vnica vnici, nec iste vnus vnius. vt in tex. & supr. c. 1. Ideo vbi deficit inter huiusmodi coniuges commixtio corporum ex primis nuptijs, non deest in secundis significatio vnitatis, quæ inter Christum, & ecclesiam in matrimonio consideratur; Vnde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam, duxit in vxorem; quia nec illa, nec ipse carnem suam diuisit in plures; propter hoc impediri non debet, quin possit ad sacerdotium promoueri. vt in tex. & c. Valentino. dist. 24.

Cap. 6. Quia circa.

QVI plures habuit concubinas, ex eo bigamus non est.

QVIA in fornicatione non est sacramentum, & consequenter nec defectus talis sacramenti, qui bigamiam inducat; Et quamuis sit in fornicarijs maioris concupiscentiæ significatio, quàm sit in illis, qui plures vxores successiuè habuerunt, non tamen est concupiscentiæ ita adhærentis; nam per fornicationem vnus alteri non in perpetuo obligatur, & in eis non est defectus sacramenti, qui causat bigamiam. S. Tho. par. 3. q. 66. artic. 1. in addit. Ideo per fornicationem

cum

cum concubinis non inducitur irregularitas bigamiæ, sicut inducitur per matrimonium cum pluribus. vt in tex. & c. fraternitatis. dist. 34.

Cap. 7. A nobis.

SVBDIACONVS, qui cum vidua contraxit, & eam cognouit, bigamiæ pœnam incurrit.

QVIA licet subdiaconus non possit de iure contrahere matrimonium c. presbyterum. dist. 28. Et ideo si de facto cum vidua contraxit, carnem suam non diuisit in matrimonio cum illa. vt in tex. & sic propriè non dicitur bigamus. supr. c. nuper. Tamen quoniam in maleficijs magis voluntas, quàm exitus spectatur. l. diuus. ff. ad leg. cornel. de sicar. Ideo ex quo talis deliquit contrahendo de facto, & quantum in ipso fuit, deduxit opus ad effectum, bigamiæ pœnam incurrit, ac si verè contraxisset, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. vt in tex. & d. c. nuper.

LICET bigamus non sit.

QVIA bigamia incurritur in matrimonio cum vidua, propter carnis diuisionem interpretatiuè factam cum pluribus. vt not. supr. in c. 1. & glos. 3. in c. 2. Et quoniam inter subdiaconum, & viduam non est vere matrimonium, vt dictum est superius. Ideo ipse non potest dici viduæ maritus, & ob id bigamus vere non existit. vt in tex. & d. c. nuper.

In Sexto. Cap. vnic. Altercationis.

BIGAMVS nudatus est omni priuilegio clericali, & est adstrictus sæculari foro.

QVIA priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. c. tuarum. extr. de priuil. Et frustra inuocat legis auxilium, qui committit in legem. c. contingit. il 2. de sent. excom. Et quoniam prohibitum est, ne clerici sint bigami. extr. c. 1. & 3. Ideo licet clericus in minoribus, coniugatus, si non sit bigamus, possit gaudere quo ad aliqua priuilegio clericali. c. sane. extr. de cleric. coniug. ille tamen, qui est bigamus, tanquam exercens actum ordini clericali aduersum, omni clericali priuilegio, cui renunciare iam ex se videtur, à iure ipso facto priuatur. vt in tex. & c. quisquis. dist. 84.

NEC valet consuetudo in contrarium.

QVIA talis consuetudo est canonicis institutionibus inimica. extr. c. 1. Ideo est potius dicenda corruptela, & tanquam illicita

extirpanda.c.ad audientiam.extr.de consuet. & c.1.supr.eod.

ET probibetur ei sub anathemate,ne tonsuram deferat.

QVIA redundaret in ignominiam ordinis clericalis, si ille tonsuram deferret,qui sæculari foro subesset.c.Ioannes.extr. de cleric. coniug. Ideo ex quo talis non gaudet priuilegio fori clericalis, vt dictum est superius; prohibetur etiam,ne tonsuram, vel habitum clericalem deferat.vt in tex.& glos.fin.hic.

Liber Primus. Titulus XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS

In Decretal. Cap. 1. Tua.

VLTRAMONTANI, & valde remoti,ordinationē suam probare debent per quinque episcoporum sigilla.



VIA vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum.c.vbi.elect.in 6. Et quoniam posset sæpe contingere, vt propter distantiam loci, & personarum qualitates non cognitas,illi,qui sunt valde remoti,falsificarēt proprij Episcopi sigillū,& quòd nō bene essent,qui recognoscerēt illud.c.nullus.& c.transmarinos.dist.98.Ideo,licet ad probandā ordinationem vicinorum clericorum,sufficiāt litteræ proprij Episcopi cum suo sigillo obsignatæ. infr.c.tuæ.& dist.71.c.priuatus. quo ad clericos tamen valde remotos,quales sunt vltramarini,sunt obseruanda veterum Patrum instituta, vt ad minus quinque Episcoporum super ordinatione sua testimonio muniantur.vt in tex.& d.c.transmarinos. Et nihilominus sunt etiam per aliquod tempus in expectatione tenendi,antequam ordinentur,vt plenius de vita eorum instructio habeatur; sed & de inferioribus eorum ordinibus inquiri oportet, quia posset contingere, vt aliquibus prætermissis, saltum fecissent. vt in tex.& cap.Afros.dist.98.

Cap. 2. Inter.

CLERICVS peregrinus, qui iurat se ordinatum,nisi aliter probet, in illo ordine non suscipietur,nec ad superiores promouebitur.

QVIA cum nullus clericus sine litteris sui Episcopi, vel sufficienti testium probatione,sit in aliqua ecclesia suscipiendus.c.primatus.

& ibi

& ibi glos.1.dist.71. multo magis est hoc obseruandum in clericis ignotis, ne facile quis admitteretur ad ordines, qui de iure esset ab illis repellendus. supr.c.prox. Et quoniam nemo potest pro se testificari. 14.q.2.in sum. Et non adhibetur fides sponte ad iurandum se offerenti. c. ex litteris.de in integr.restit. Ideo non est credendum soli iuramento clerici asserentis se ordinatum; sed, nisi de ipsius ordinatione canonica, per idonea constiterit argumenta, nec in assertis per ipsum ordinibus est suscipiendus, nec ad maiores est promouendus; præsertim antequam eius conuersatio fuerit approbata.vt in tex.& dist.71.c.1. Et nouissime contra male ordinantes, & male promotos, emanauit constitutio Sixti V.qui contra tales auget pęnas. Data Nonis Ian.1588. Quæ tamen fuit postea moderata per Clement. VIII.qui tollit illas Sixti pœnas, pręterquam contra simoniacos. Data prid.Kal.Ian.1595.

Cap.3. Tuæ.

PEREGRINVS, de cuius ordinatione non constat, non permittitur celebrare in publico.

QVIA si talis peregrinus non esset sacerdos, publice simulans celebrare, deciperet populum adstantem.glos.fin.hic, & c. de homine. de celebr.missar. Et quoniam periculis est obuiandum. supr. c. 1. Ideo nisi legitime constiterit, siue per litteras, siue per testes, de canonica ordinatione peregrini, qui penitus sit ignotus, non debet Episcopus loci permittere, illum in suis plebibus celebrare. vt in text. & c. quiescamus.dist.42. Si autem non esset penitus ignotus, posset Episcopus animi sui motum informare, & secundum quod sibi videbitur, illum ad publice celebrandum admittere, vel repellere. Abb.hic.

SED in occulto sic.

QVIA dum talis permittitur occulte celebrare, si non esset sacerdos, nullum alium deciperet, quàm seipsum.glos.fin.hic. Et quoniam non est verisimile, quòd aliquis sit propriæ salutis immemor. cap. sancimus.1. q.7. Ideo cum non sit tunc periculum de aliorum salute; nec illud præsumatur de propria, non requiritur tanta diligentia in habenda fide sui ordinis; sed sibi creditur, & ex deuotione permittitur in occulto celebrare.vt in tex.& Butr.hic.

Cap.4. Te nobis.

INFERIORES prælati, sine diœcesanorum consensu, in ecclesijs suis peregrinos non possunt instituere.

QVIA institutio auctorizabilis in ecclesijs, ad minorem Episcopo pertinere non potest.c.cum satis.infr.tit.prox.& c. nullus. 16.q.7.

Et quo-

Et quoniam nemo debet ponere manum in messem alienam, nec sibi vendicare, quod ad suum non spectat officium. c. venerabilem. de elect. Ideo tanquam honestati contrarium, & à sanctorum Patrum institutionibus alienum, non licet inferioribus prælatis sine Episcopi consensu in aliqua ecclesia clericos instituere, & maxime peregrinos. vt in tex. & Abb. nu. 3. Ad episcopum enim, qui est ordinarius totius diœcesis, pertinet cauere, ne indigni in sua diœcesi instituantur in ecclesijs. Innoc. hic. Ad celebrandum tamen bene possunt inferiores prælati illos admittere, etiam sine licentia Episcopi, si habent eos plene notos, cum hoc non sit de reseruatis Episcopo; sed non possunt cognoscere de validitate eorum litterarum dimissorialium, cum solis Episcopis sit hæc cognitio reseruata. Innoc. hic.

Liber Primus. Titulus XXIII.

DE OFFIC. ARCHIDIACONI.

In Decretal. Cap. I. Vt archidiaconus.

ARCHIDIACONVS post Episcopum tenetur habere curam de omnibus, quæ ad diuinum cultum spectantia, in clero occurrere possunt, tam in ciuitate, quàm in diœcesi.



VIA curam animarum, & ecclesiarum, earumq. ministrorum totius diœcesis generaliter tenetur Episcopus habere. c. quæcunque. 10. q. 1. Sed quoniã Episcopus non potest per seipsum omnia adimplere. c. inter cætera. de offic. ordin. Ideo dantur ei diuersi ministri, & cooperatores, qui suppleant, vbi ipse non potest. cap. perlectis. distinct. 25. Et præcipue datur ei Archidiaconus, qui ob id dicitur vicarius, & oculus Episcopi sibi datus à iure; cui post Episcopum competit maior iurisdictio, quam alicui alteri de diœcesi. infr. c. ad hæc. Et ob id tenetur magis, quam teneantur alij, adiuuare Episcopum tam in ciuitate, quam in diœcesi, circa curam diuini cultus, & circa officium per illius ministros, adhibendum. vt in tex. & d. c. ad hæc. Si tamen ex consuetudine, vel ex institutione essent aliæ dignitates, quæ supplerent officium Episcopi in his, quæ de iure communi ad archidiaconum spectant, tales consuetudo, & institutio essent obseruandæ, cum ex eis acquiratur iurisdictio. Innoc. hic. Et hodie qui debeant eligi in archidiaconos, & quis eorum habeat ius visitandi, quomodo debeat visitare, & de quibus causis cognoscere possit, est attendendum Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. 12. & 20. de reform.

Cap.

Cap. 2. Officium.

ARCHIDIACONI officium est, Euangelium legere, & totum diuinum officium, quo ordine sit recitandum, declarare, aliaq. ad diuinum cultum hic enumerata disponere.

QVIA hæc maiora munera ecclesiæ, quæ non possunt per Episcopum personaliter exerceri, conueniens est, vt per illum exerceatur, qui post Episcopum tenet in ecclesia primam dignitatem, c. perlectis. dist. 25. Et quoniam de iure communi post Episcopum archidiaconus tenet in ecclesia primum locum. supr. c. prox. Ideo ad ipsum spectat horum curam exercere. vt in tex. & infr. c. ad hæc. si de iure speciali non adsit alia dignitas, cui hæc incumbant, vt dictum est supr. in cap. prox.

Cap. 3. Ea, quæ.

CVSTODIA vasorum ecclesiæ spectat ad Archidiaconum.

QVIA qui habet munus, debet habere onus. c. qui sentit. de reg. iur. in 6. Et quoniam archidiaconus habet dignitatem, cui de iure communi est annexa cura rerum ecclesiæ, quæ per ipsummet Episcopum non potest haberi. supr. c. prox. Ideo si ex talibus rebus aliquid deperierit, archidiaconus punietur, & ad illarum restitutionem condemnabitur. vt in tex. & Abb. hic. Si tamen illarum custodia ad custodem, siue thesaurarium ex iure speciali spectaret, ipsi tenerentur reddere rationem, non autem archidiaconus. vt supr. c. 1. & glos. 1. hic.

Cap. 4. Cum satis.

ARCHIDIACONVS sine mandato Episcopi non committit curam animarũ, id est, non habet institutionem auctorizabilẽ.

QVIA ad Episcopum pertinet cura animarum totius diœcesis, & eius officium est inuigilare, ne indigni instituantur ad regimen illarum. supr. c. te nobis. tit. prox. & c. quamuis. infr. de reg. iur. Et quoniam nemo debet contra sanctorum Patrum constitutiones venire; nec sibi vendicare, quod ad suum non spectat officium, vt in tex. & c. nullus omnino. 16. q. 7. Ideo sine licentia, & mandato Episcopi non debet archidiaconus præsumere, alicui committere curam animarum. vt in tex. & c. admonet. de renunt. Et si ex consuetudine, vel priuilegio archidiaconus, vel alius prælatus hanc curam demandaret, debet hoc facere, vt Episcopi vicarius. Innoc. hic.

Cap. 5. Archidiaconis.

ARCHIDIACONVS de iure communi non potest excõicare.

Quia

QVIA excommunicatio dicitur mucro dignitatis episcopalis.c.visis. 16.q.2. Et est maxima pœna.c.corripiantur.24.q.3. Et quoniam nemo debet sibi vendicare potestatem, quæ pertinet ad Episcopum.supr. c. prox. Et archidiaconus habet modicam iurisdictionem. supr.c.1. & infr. c.fin. Ideo de iure communi archidiaconus excommunicare non potest.vt in tex.& d.c.corripiantur. Ex consuetudine tamen posset habere excommunicandi facultatem.c. cum ab ecclesiarum. de offic.ordin.& glos. in c.nemo. 2.q.1. quia talis potestas pertinet ad ea, quæ sunt iurisdictionis,glos.fin.in c.transmissam.de elect. Et consuetudo dat,vel tollit iurisdictionem, vbi non opponitur ei incapacitas personæ.d.glos.in d.c.nemo. Non tamen potest tunc anathematizare,siue excommunicare cum illa solemnitate, qua potest Episcopus; cum hoc non conueniat dignitati inferiori,sed ad maiorem pœnæ terrorem, reseruatur episcopali dignitati.glos.1.in d.c. cum ab ecclesiarum. & glos. in c.cum in cunctis.ver.archidiaconatum.de elect.

Cap 6. Mandamus.

ARCHIDIACONVS semel in anno visitat suam prouinciam,id est, parochiam.

QVIA visitatio prælati non debet esse ita rara, vt per eius incircunspectionem in locis visitandis abusus introducantur; nec debet esse ita frequens, vt per eius accessum, & commestionem, in exhibendis expensis subditi doleant nimium se grauari. c.cum venerabilis. de censib. & c.placuit.10.q.1. Et quoniam visitare regulariter semel in anno,apparet tempus moderatum ad illos duos respectus obseruandos. c.decernimus.10.q.1.& glos.fin.in d.c.cum venerabilis. Ideo vbi habet archidiaconus facultatem visitandi suam parochiam,sufficit, quod semel in anno hoc faciat. vt in tex. & c.cum Apostolus,§ penult. de censib. Archidiacono autem competit visitare, potius de consuetudine, quàm de iure communi.glos.supr.in c.cum satis. Nam visitare pertinet ad curam animarum c.dudum.il 2. de elect.Et de iure communi Archidiaconus non habet curam animarum.glos.in d.c.cum satis. Et quando ipse habet facultatem visitandi,eius visitatio non excludit visitationem Episcopi,& Archiepiscopi. Abb.hic. Et si eius visitatio non est multum necessaria,potest differri per triennium.supr.c.1.

NISI necessitas exigat plus.

QVIA necessitas non habet legem,id est, cessat lex, vbi venit necessitas.l.vnic.& ibi glos.ver.expedire.ff. de offic. consul. Et quæ de nouo emergunt,nouo indigent auxilio.l. de ætate.§. ex causa. ff.de interrog.act. Ideo non solum semel in anno, sed etiam bis, & pluries, si est opus, potest prælatus visitare.c.visitandi.18.q.2. & glos.hic. Si ve-

Si verò non propter necessitates ecclesiarum, & populorum; sed pro suis negotijs prælatus accederet ad illos, non tenerentur subditi exhibere ipsi tunc expensas, & procurationes. vt in d.c. cum venerabilis. & l.fin. C. de stat.& imag. Qualiter autem hodie visitent archidiaconi, tradit Concil.Trid. sess.24.de refor. c.3.

Cap. 7. Ad hæc.

OFFICIVM archidiaconi consistit principaliter in releuando episcopum circa solicitudinem pastoralem.

QVIA cum episcopus non possit omnia ad eius curam spectantia per seipsum exercere, dantur ei diuersi ministri, & cooperatores, qui adiuuent illum. c.inter cætera. de offic. ord. Et quoniam principalis eius cooperator est archidiaconus, qui sibi datur vicarius à iure. vt in tex. Ideo pro episcopi subleuatione, ad archidiaconum spectat principaliter, tanquam ad eum, qui est oculus, & vicarius episcopi, prospicere per episcopatum, & quæ viderit corrigenda, corrigere, & emendare, nisi sint negotia ita ardua, quod absque episcopi præsentia nequeant terminari. vt in tex. & supr. c.1. Quæ autem sint negotia regulariter per archidiaconum prospicienda, enumerantur hic in tex. Et quę sint negotia grauia per ipsum non terminanda, recensentur hic per Abb. nu.1. Et hodie præcipuè non iudicant archidiaconi causas matrimonij, & criminum. Concil.Trid. sess.24. de refor. cap.20. Nec causas concubinatus. idem Concil. sess.25. de refor.cap.12. Et quales debeant creari archidiaconi, vide idem Concil. sess.24.de refor. cap.14.

Cap. 8. Significasti.

ARCHIDIACONVS non dat commendatitias ad ordines.

QVIA dare litteras commendatitias ad ordines, est iurisdictionis episcopalis. c.extraneo.dist.71. Ad episcopum enim spectat iudicare, quinam de diœcesi sint alijs præficiendi. c.nullum. 9. q.2. Et quoniam nemo debet ponere manum in messem alienam. c. nullus omnino. 16. q.7. Ideo neque archidiaconus, neque alius potest sine licentia, & auctoritate episcopi, promouendis ad ordines litteras concedere. vt in tex. & c.quamuis. dist. 68. Si tamen aliquis sine eius licentia fuerit ordinatus, ordinatio tenet, & talis non est suspensus ipso facto; sed est per sui episcopi sententiam ab ordinis sic suscepti executione suspendendus. glos.1. hic. Vnde si celebrat, antequam fuerit ei interdicta ordinis executio, ex quo non est adhuc suspensus, non incurrit irregularitatem. Host.& Abb. hic.

Cap. 9. Vt noſtrum.

ARCHIDIACONVS examinat, & præſentat ordinandos, & ponit prælatos in ſede.

QVIA cum archidiaconus ſit datus à iure vicarius epiſcopi, vt ei ſit præcipuus cooperator in eccleſiæ onere ſupportando. ſupr.c.1. Hæc, quæ ſunt negotia grauia, & quibus non poteſt epiſcopus per ſeipſum incumbere, ad eius principalem miniſtrum debent pertinere. vt in tex. Et quoniam vbi intentio alicuius eſt fundata de iure communi, dicens oppoſitum, aggrauatur onere probandi; nec ſufficit, quod ſemiplenè probet, ſed debet plene probare. Abb. hic. Ideo archidiaconus præſentans proprio epiſcopo ordinandos, & illos examinans, & ponens prælatos in ſede (quod eſt vnum ſignum dandi prælaturæ poſſeſſionem) præſumitur ex proprio officio hæc facere; nec creditur alteri aſſerenti talia ad aliã dignitatem pertinere. vt in tex. & Ioan. Andr. hic.

Cap. 10. Dilecto.

ARCHIDIACONI in monaſterijs iuriſdictionem non habent.

QVIA de iure communi, propter ſitum in territorio, ſolus epiſcopus habet iuriſdictionem in eccleſijs in ſua diœceſi exiſtentibus. c. monaſteria. 18. q. 2. & c. omnes baſilicæ. 16. q. 7. Et de iure ſpeciali per exemptionem ab epiſcopis, ſolus abbas, vel reliqui prælati illius ordinis, iuxta vires priuilegij, ibi iuriſdictionem exercent. c. 2. de capell. monach. & c. quanto. de offic. ordin. Et quoniam nemo debet ſibi vendicare, quod ad ſuum non ſpectat officium. ſupr. c. cum ſatis. Ideo neque de iure communi, neque ſpeciali, poteſt archidiaconus in monaſterijs (ſub prætextu, quod intra metas ſui archidiaconatus illa ſint ſita) iuriſdictionem exercere. vt in tex. & d. c. 2. de capell. monach.

NISI quantum tribuit eis generalis, vel ſpecialis conſuetudo.

QVIA per conſuetudinem acquiritur iuriſdictio, quando perſona eſt capax de illa. c. cum contingat. de for. compet. & c. irrefragabili. de offic. ordin. Et quoniam archidiaconus eſt capax ad exercendam iuriſdictionem in monaſterijs, cum ſit perſona eccleſiaſtica. gloſ. penult. hic. & gloſ. ſupr. in c. cum ſatis. Ideo, licet de iure ſcripto communi, vel ſpeciali, non competat archidiacono iuriſdictio in monaſterijs ſitis intra metas ſui archidiaconatus, vt dictum eſt ſuperius. Ex conſuetudine tamen poteſt in illis iuriſdictionem habere. vt in tex. & d. c. 2. de capell. monach. Et quid in viſitatione præſtare debeant prælati, tradit Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 3.

Liber

DE OFFIC. ARCHIPRESBIT.

In Decretal. Cap. 1. Vt Archipresbyter.

ARCHIPRESBITER ciuitatis subest archidiacono.



QVIA archidiaconus est datus à iure vicarius episcopi, & habet maiorem iurisdictionem, & administrationem, quàm habeat archipresbyter. supr. tit. prox. c. 1. & dist. 25. c. perlectis. §. archidiaconus. Et quoniam vbi aliquis tenet locum superioris, & habet maiorem administrationem, (licet sit ordinis minoris) quo ad illud officium est alteri præferendus. c. præcipimus. dist. 93. & glos. fin. in c. statuimus. de maior. & obed. Ideo, licet quo ad ordinem archidiaconus non præsit archipresbytero, quo ad iurisdictionem tamen archipresbyter archidiacono subest, & eius præceptis, sicut sui episcopi obedire debet. vt in tex. & glos. 2. hic. Archipresbyter tamen, & archidiaconus se habent diuerso respectu, vt excedens, & excessum, nam in aliquibus archidiaconus reueretur archipresbyterum, & in aliquibus è contra arpresbyter archidiaconum; in quibus ecclesiarum consuetudines sunt seruandæ. Host. & Abb. hic.

ET principaliter præest presbyteris, & presbyteralibus officijs.

QVIA archipresbyteri ministerium constituitur, vt super alios presbyteros in solemni officio diligentiam adhibeat, & vt in ecclesia cathedrali curam gerat animarum, si illi imminet, & in episcopi absentia, eius vice missam solemnem celebret, & collectam dicat, aut cui ipse iniunxerit. vt in tex. Et quoniam per hæc munera exercet officium super alios presbyteros. d. c. perlectis. §. archipresbyter. Ideo etiam digniorem locum debet obtinere, & illis præesse, vt in tex. & c. à subdiacono. dist. 93.

Cap. 2. Ministerium.

SI Episcopus defuerit, archipresbyter prouideat cuncta, quæ in sacerdotum ministerio perfici debeant.

QVIA archipresbyter ciuitatensis est vicarius episcopi in foro pœnitentiali, & in celebratione diuinorum. supr. c. prox. & Zabar. in Clem. 1. nu. 27. de præb. Et quoniam vbi abest principalis, ad eius vicarium spectat, illius supplere officium. cap. 1. supr. tit. prox. Ideo tunc maximè, cum Episcopus abest, debet archipresbyter gerere curam su-

per ſacerdotes in ſpectantibus ad diuinum officium in eccleſia cathedrali peragendum. vt in tex.& infr.c.prox. Et ſi ſint archipresbyteri,& alij,qui habeant curam animarum , debent populo prædicare verbum Dei. Concil.Trid.ſeſſ.5.de refor.c. 5.

Cap. 3. Officium.

OFFICIVM archipresbyteri de vrbe conſtat, quando ibi præſul defuerit,vice eius officium incboare , benedictiones presbyterales in eccleſia dare , miſſam quando voluerit cantare ; vel cui de ſacerdotibus iuſſerit .

QVIA archipresbyter de vrbe , eſt in eccleſia cathedrali vicarius Epiſcopi in celebratione diuinorum.ſupr.c.prox. Et quoniam ea, quæ hic enumerantur, ſpectant ad diuini officij functionem . vt in tex. Ideo,abſente Epiſcopo,per archipresbyterum talium cura eſt aſſumenda.vt in tex.& ſupr.c.1.

Cap 4. Vt ſingulæ.

ARCHIPRESBYTER ruralis, presbyterorum , & laicorum plebaniæ ſuæ curam gerit .

QVIA cum Epiſcopus , quantumuis valde ſit idoneus , non poſſit per ſeipſum omnem ſolicitudinem erga Dei populum per totam diœceſim exercere ; ne quis patiatur in ſpiritualibus detrimentum ex miniſtrorum defectu,decet, vt onera ſua cum alijs partiatur. vt in tex. & c.mandata. de præſumpt. Et quoniam vbi non eſt vnus, qui alijs præſit,ibi inter alios ſolent facilè ſuſcitari diſcordiæ, & communis negligi cura.c.in apibus.7.q.1. Ideo ſingulæ plebes debent archipresbyterum habere,propter aſsiduam erga populum Dei curam, qui non ſolum imperiti vulgi ſolicitudinem gerat ; verùm etiam presbyterorum , qui per minores titulos habitant,vitam iugi circunſpectione cuſtodiat, & qua vnuſquiſque induſtria diuinum opus exerceat , Epiſcopo ſuo renuntiet,vt in nullo titubet eccleſiaſtica ſolicitudo. vt in tex. & ſupra tit.prox.c.ad hæc.

CONTRA decretum tamen Epiſcopi nihil ordinare poteſt .

QVIA inferior non poteſt tollere legem ſui ſuperioris.c.cum inferior.de maior. & obed. Ideo non poteſt archipresbyter aliquid ordinare contra ſui Epiſcopi decreta; ſed debet illa cuſtodire, & curare, vt per alios etiam exequantur.vt in tex.& Abb.hic in fin.

Liber Primus. Titulus. XXV.

DE OFFIC. PRIMICERII.

In Decretal. Cap. Vnic. Vt primicerius.

AD primicerij curam pertinet docere diaconos, & diſtribuere lectiones, quæ ad nocturna officia ſpectant.



VIA circa maiora officia eccleſiæ, quibus non poteſt Epiſcopus per ſeipſum incumbere, ſunt archidiaconus, & archipresbyter deputati. vt ſupr. in duobus titulis proxime præcedentibus. Sed quoniam nec iſti poſſunt ſemper adeſſe, vel minoribus officijs operam dare. ſupr. tit. prox. c. fin. Ideo conſtituitur primicerius, qui ſit ſub archidiacono, ſicut & archipresbyter, ad cuius curam ſpecialiter pertineat, præeſſe in docendo, diaconis, vel reliquis gradibus eccleſiaſticis in ordine poſitis; & qui diſciplinæ, & cuſtodiæ inſiſtat, ſicut pro animabus eorum, coram Deo rationem eſt redditurus; & qui diaconis det lectiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent; & de ſingulis ſtudium habeat, vt in quacunque re capacem ſenſum habuerit; abſque vlla vacet negligentia, aut à quo ipſe iuſſerit, inſtruantur. vt in tex. & c. perlectis. §. ad primicerium. diſt. 25.

Liber Primus. Titulus XXVI.

DE OFFICIO SACRISTAE.

In Decretal. Cap. vnic. Vt ſciat.

SACRISTA ſubiectus eſt archidiacono, & ad eius curam ſub archidiacono ſpectat cuſtodia vaſorum eccleſiæ, veſtimentorum eccleſiaſticorum, & totius eccleſiaſtici theſauri, nec non quæ ad luminaria pertinent, ſiue in cera, ſiue in oleo.



VIA vt eccleſiaſtica officia efficacius gerantur, ſunt inter plures partienda. c. mandata. de præſumpt. Et quoniam vicarius Epiſcopi in eccleſia eſt archidiaconus. ſupr de offic. archid. c. 1. Et ad ipſum ſpectat loco Epiſcopi habere curam vaſorum, & aliarum rerum, quæ in eccleſia diuino ſeruitio ſunt deputata. d. tit. c. ea, quæ.

Ideo

Ideo cum ipse non possit omnem huiusmodi curam per se exercere, subijcitur ei sacrista, qui tanquam minister inferior, & non occupatus in maioribus, & generalibus ecclesiæ negotijs, vt est archidiaconus, de istis ecclesiæ rebus specialem custodiam gerat. vt in tex. & simile est de primicerio. supr. tit. prox.

Liber Primus. Titulus XXVII.

DE OFFICIO CVSTODIS.

In Decretal. Cap. 1. Custos.

CVSTOS ecclesiæ, cui ea, quæ ecclesiæ competunt, custodienda cōmittuntur, oportet, vt sui archidiaconi iussioni in cunctis obediat.



QVIA inferiores ministri ecclesię debent subesse archidiacono, & illi parere, sicut facerent Episcopo. supr. de offic. archipresb. c. 1. cum ipse dicatur vicarius, & oculus Episcopi. de offic. archidiac. c. 1. Et quoniam inter alios ecclesiæ ministros, adnumeratur ille, qui dicitur custos, cui competit custodire cuncta vtensilia ecclesiæ, in horis canonicis signa tintinabulorum pulsare, lampadesq. accendere, & extinguere. vt in tex. Ideo talis custos debet archidiacono obedire, & si ad hæc peragenda minus idoneus extiterit, est ab archidiacono coercendus, vt se emendet; & si indomitus permanserit, archidiaconus episcopo denuntiando prouideat, vt, indecente eiecto, aptus domui Dei constituatur minister, vt omnia in laude Domini fiant. vt in tex. & c. perlectis. in fin. dist. 25. Quæ autem ad custodem, & quæ ad sacristam, vel alium ecclesiæ ministrum specialiter pertineant, cuiusque ecclesiæ consuetudo est attendenda. gl. 1. hic. & glos. fin. supr. in tit. prox.

Cap. 2. Custos solicitus.


ARCHIDIACONVS, archipresbyter, & custos simul iuncti debent curare, vt nulla negligentia in ecclesia Dei videatur.

QVIA post episcopum hi tres dicuntur esse columnæ ecclesiæ, ad illius onera, & seruitia supportanda. vt in tex. Et quoniam vbi aliquis tenetur ex officio, negligentia ei imputatur. c. ea, quæ. supr. de offic. archid. Et opus Dei non est negligenter agendum. c. sæpe. 12. q. 2. Ideo tales ministri debent diligenter in ecclesia eorum officia adimplere, & ad ea illi sunt ordinandi, qui meliores, & sanctiores habeantur. vt in tex.

in tex. Tenet tamen electio, si sint idonei, & sufficientes, licet alij magis idonei potuissent, & debuissent eligi. glos. hic. nam licet excellens quisque sit in suo officio desiderandus, competens tamen, & sufficiens est tolerandus.c.nisi.§.pro defectu.de renunt.

In Extrauag.commun. Cap.vnic. Quia cunctos.

IN religiosorum Mendicantium conuentibus, plures campanae esse non possunt, sine speciali Papae licentia.



VIA cunctos orthodoxae fidei professores, & viros praesertim ecclesiasticos, sic decet adinuicem, & quo ad alios etiam conuersari, quod ex ipsorum gestis nullius offendatur iustitia, nec cuiquam scandali materia praeparetur. vt in tex. & infr. de treug. & pac.c.vices. & quoniã apparebat, quod ex eo, quod nonnulli Mendicantium ordinum professores in nonnullis eorum conuentibus plures campanas obtinebant; cathedrales, & aliae ecclesiae quaerebantur, propterea earum iustitiae detrahi; & exinde ciuitatibus locorum interdum afferri diuinis officijs impedimentum, videbaturq. inter ipsos litigijs, & scandalis via aperiri. vt in tex. & d. c. vices. Ideo Summus Pontifex Ioannes XXII. cupiens praemissis obuiare periculis, pacemq. desiderans inter ipsos (sine qua bene pacis auctor non colitur) obseruari; hoc edicto perpetuo ordinat, quod religiosi dictorum ordinum Mendicantium in nullo conuentu suo, seu loco, plures campanas habeant, sine Sedis Apostolicae licentia speciali; sed vna tantummodo pro loco quolibet sint contenti. vt in tex.

PLVRES autem campanulas in refectorijs, capitulis, & alibi, licite possunt ipsi religiosi mendicantes habere.

QVIA per istas campanulas nulla ecclesia potest praetendere, quòd sibi inferatur praeiudicium, cum istae non inseruiant populo externo; sed duntaxat ipsis de conuentu. vt in tex. Et quoniam quod vni prodest, & alteri non nocet, facile concedi potest.c.odia. de reg.iur.in 6. Et generaliter vsus campanae est per se bonus, vt patet ex his versibus, in quibus de seipsa loqui campana inducitur.

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro. glos.hic.

Ideo istae plures campanulae religiosis mendicantibus non prohibentur, sicut prohibentur illae, per quas aliae ecclesiae praeiudicium sibi inferre

prae-

prætendebant. vt in tex. Et quia pulsare campanas; pertinet ad officium custodis. c. 1. extr. eod. Ideo hæc constitutio ponitur sub hoc titulo, de offic. cust.

Liber Primus. Titulus XXVIII.

DE OFFICIO VICARII.

In Decretal. Cap. 1. Ad audientiam.

VICARIVS si beneficium curatum postea sit adeptus, vicaria priuabitur.



QVIA idem iuris est in perpetuis vicarijs, quod in alijs beneficijs incompatibilibus, & curatis. Clem. vnic. infr. eod. Et quoniam habens personatum, vel beneficium curatum, si secundò tale receperit, vacat primum. c. de multa. de prab. Ideo post adeptam pacificam possessionem beneficij curati, vel si per beneficiatũ stet, quominus illam adipiscatur, vacat perpetua vicaria, quam ipse habebat. vt in tex. Non enim est canonicum, vt qui curam animarum in vna ecclesia habet, in aliena vicarius existat. vt in tex. Et si vtrunque huiusmodi beneficium talis retinere contenderit, priuabitur etiam secundo. d.c. de multa. & c. licet. de præb. in 6. & Concil. Trid. sess. 7. de refor. cap. 4. & 24. de refor. cap. 17.

Cap. 2. Prouideas.

PLVRES vicarias quis habere non potest.

QVIA vicarij tenentur ecclesijs, & personis illarum deseruire. vt in tex. Et quoniam pluribus beneficijs personalem residentiam requirentibus quis deseruire non potest. c. de multa. de præben. nam dum ad vtrunque festinat, neutrum bene peragit. c. presbyteros. 16. q. 1. Ideo alienum est ab ordine iuris, vt vicariam quis habeat præter vnam. vt in tex. & infr. Clem. vnic. Est autem sciendum, quod in hoc titulo communiter tractatur de vicario, qui seruit in diuinis, excepto cap. penult. vbi tractatur de vicario iurisdictionis, & de hoc secundo loquuntur iura eiusdem tituli in 6. & de primo loquitur Clem. vnic. eiusdem tit. Goffr. hic.

Cap.

Cap.3. Ad hæc.

PERPETVVS vicarius per episcopum institutus, per rectorem remoueri non potest.

QVIA nihil tam naturale est, quàm eo genere quodque dissolui, quo colligatum est. infr. de reg. iur. c. 1. & ff. eod. l. nihil tam naturale. Contrariorum enim est eadem disciplina. c. hospitiolum. dist. 32. Et quoniam institutio auctorizabilis, etiam vicariæ perpetuæ, de iure cōi in beneficijs nō spectat ad inferiorem episcopo. c. cum satis. de offi. archid. Ideo destitutio ipsius vicarij nō potest fieri per rectorem illius ecclesiæ; sed quando occurrit, est per episcopum facienda. vt in tex. Cum ipse vicarius habeat ius vicariæ, licet non dicatur habere ecclesiam quo ad titulum; nam solus prælatus habet ecclesiam intitulatam. glos. penult. hic.

VEL portione sua fraudari.

QVIA ius, quod sibi maiores conseruari desiderant, debent similiter minoribus suis bona voluntate seruare. c. prohibemus. de censib. Et quoniam portio vicario assignata, est ei perpetuò constituta. glos. fin. hic. Ideo non est illi per rectorem ecclesiæ minuenda. vt in tex. & d. c. prohibemus.

Cap.4. Clericos.

VICARIVS non potest substituere vicarium.

QVIA vicariatus perpetuus est titulus beneficialis. supr. c. 1. Ideo per minorē episcopo nō est cōferendus. sup. c. prox. Præterea licet hæc intelligerentur de vicario iurisdictionali, adhuc ille non posset sibi alterum constituere vicarium; nam in eius constitutione fuit electa industria personæ. c. extirpandæ. de præb. Et quoniam vbi eligitur industria alicuius, ille non potest vices suas alteri committere. l. inter artifices. ff. de solut. Ideo vicarius per episcopum institutus, non potest sibi neque in beneficio, neque in iurisdictione substituere vicarium. vt in tex. & glos. in Clem. vnic. ver. sacerdotium. infr. eod. Quę prohibitio etiā fit ad infinitatem euitandam. Abb. hic. Potest tamen vicarius beneficialis, si ei subsit legitima causa absentiæ, relinquere alium loco sui, ne interim diuinus cultus diminuatur. c. peruenit. il 2. de appell. & Hostien. hic. A quocunque enim edicto, & prohibitione, intelligitur excepta iusta causa. c. vbi. de desponsa. impub. Sed tunc est curandum, vt ille relictus stet de auctoritate episcopi. Butr. hic. Sicut similiter debet facere vicarius iurisdictionalis, si ipse non potest exercere; cum per se non habeat facultatem substituendi vicarium. Gemin. in c. 1. nu. 11. eod. in 6. Vicarius enim episcopi habet iurisdictionem ordinariam. glos. 2. in c. 2.

eod.in 6. Sed talem iurisdictionem nullus dare potest, nisi princeps, vel vniuersitas, aut consuetudo. Archid.in c.experientiæ.11.q. 1. & Specul. de offic.ordin.§.1. Ideo non potest illam dare vicarius.vt in tex.& l.necessario.§.fin.ff. de peric. & commod. rei vend. Et de vicariorum iurisdictione, & quales creari debeant, vide Conc.Trid.sess.24.de refor.c.16.

Cap.5.Tua nobis.

VICARIVS Papæ in Vrbe iurisdictionem habet, non extra Vrbem.

QVIA in iurisdictione per vicarium exercenda, fines mandati, per quod ei iurisdictio confertur, sunt diligenter attendendi.c. porrò. de priuil. & c.cum dilecta. de rescript. Et quoniam regulariter per mandatum Papæ, eius vicarius in Vrbe obtinet iurisdictionem solum intra, non autem extra illam. vt in tex. Ideo eius iurisdictio non extenditur extra, nisi ei specialiter sit concessum. vt in tex. Solet autem ei concedi, vt in quibusdam casibus eius iurisdictio extendatur per Vrbis districtum, scilicet per distantiam quadraginta millia passuum. Vestrius in practica.lib.2.cap.16.

Cap.6. Ex parte.

COMPELLVNTVR vicarij ordinarij ecclesijs deseruire, per subtractionem prouentuum, & vicariarum.

QVIA perpetui vicarij tenentur ad residentiam, & ad ordinum susceptionem, sicut alij beneficiati, qui similia beneficia obtinent. supr.c.1.& infr. Clem.vnic. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiastica saltem coerceat seueritas disciplinæ.c. cum in cunctis.in fin.de elect. Et vt quis puniatur, in quo deliquit.c.litteras. de tempor.ordin. Ideo per subtractionem prouentuum, vel ipsarum vicariarum, sunt compellendi vicarij beneficiati proprium officium adimplere.vt in tex.& c.1.de ætat.& qual.ordin. Qui enim non vult operari, nec manducet. Apost.ad Thessalonic.2. cap.3.

In Sexto: Cap.1.Romana.

SVCCESSOR officialis excommunicati, excõmunicatus non est.


VIA dispositio, quæ emanat contra aliquem, etiam si fiat sub nomine dignitatis, non transit ad successorem, quando fit ex causa concernente personam tantum habentem dignitatem. glos.fin.in c.aduersus.extr.de immunit.eccl. & Gemin. hic.num.5. Ideo excom-

excommunicatio lata contra aliquem officialem propter propriũ delictum, ex hoc solum non ligat successorem. vt in tex. & glos. in c. nuper. ver. tunc. extr. de sent. excom. & quæ sint obseruanda in ferenda excommunicatione, vide Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 3.

NISI in crimine damnato communicet.

QVIA agentes, & consentientes pari pœna sunt constringendi. d. c. nuper. Ideo per participationem in crimine, propter quod fuit lata excommunicatio, etiam ad talem consentientem extenditur sententia excommunicationis, quãmuis à principio non fuerit lata contra ipsum. d. glos. in c. nuper. & gl. in c. si concubinæ. eod. tit. Nam conueniens est, vt sicut per participationem solam in locutione cum excommunicato maiori, cõtrahitur excommunicatio minor. d. c. nuper. ita per participationem in eodem crimine, contrahatur excommunicatio maior, cum participans tunc plus delinquat. d. glos. in c. nuper. Vnde non est necesse, vt contra talem participantem noua sententia procedat, sicut nec contra illum, qui per locutionem minorem excommunicationem incurrit, cum se commiscendo culpæ, commisceantur & pœnæ. 24. q. 1. cap. 1. & 2.

ILLA autem, quæ exercet, illo excommunicato manente, non valent, si iurisdictione solum ab eo recepta, hoc facit.

QVIA excommunicatus non potest iurisdictionem exercere, cum ipse sit extra ecclesiam, & cum ob talem pœnam sit mortua iurisdictio, quæ prius penès se erat. c. audiuimus. 24. q. 1. Et quoniam nemo dat, quod non habet. c. Daibertum. 1. q. 7. Ideo ea, quæ fiunt à deputato ab excommunicato, carent omni robore firmitatis, tanquã facta à gerente vices illius, qui super huiusmodi iurisdictionalibus nullam habet potestatem. vt in tex. & Gemin. nu. 6. In casu tamen contra hæreticos, excommunicatus exercet iurisdictionem. c. præsidentes. infr. de hæret. & tunc est speciale in odium hæresis. glos. fin. hic.

Cap. 2. Licet.

EX generali commissione, non potest officialis inquirere, corrigere, et punire subditorum excessus.

QVIA in mandato generali non includitur potestas cognoscendi de causis criminalibus. arg. Clement. non potest. de procur. Nam causæ criminales computantur inter negotia maiora; cum in eis tractetur de vita hominis, & de pœna grauiter infligenda. c. veniẽs. & c. qualiter. de accusat. Et in mandato generali non transeunt huiusmodi maiora, nisi exprimantur. c. quod translationem. de offic. leg. Et quoniam inquisitio, correctio, & punitio spectant ad causas criminales,

cum in eis agatur, non vt aliquid detur actori, sed ad pœnam imponendam. glos.penult.in c.2.extr.de collus.detegen. Ideo per generalem causarum commissionem factam in officialem, transfertur potestas cognoscendi de causis ciuilibus; sed vt ei detur potestas cognoscendi etiam de criminalibus, requiritur, quod specialiter in commissione hoc dicatur. vt in tex.& c.qui ad agendum.infr.de procur. Sed pone, quod episcopus fecerit vicarium generalem, & in mandato expresserit aliquod de istis, quæ requirunt speciale mandatum, secuta clausula generali; Et omnia alia, quæ per nos possumus, etiam si mandatum exigant speciale. quæritur, an talis omnia specialia posit? Dicendum, quod potest omnia similia, vel minora expressis, non autem maiora. glos.fin.hic. & Clemen. non potest. de procur.


Cap. 3. Cum in generali.

EX generali commissione, officialis beneficia conferre non potest.

QVIA in generali concessione non veniunt illa, quę non esset quis verisimiliter in specie concessurus. vt in tex. & c.in generali.infr. de reg.iur. Nec regulariter donare valet is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa. vt in tex.& l.contra.§.fin. ff. de pact. Et quoniam non est verisimile, quod episcopus de facili det vicario facultatem conferendi beneficia; cum illorum collatio inter fructus episcopales computetur. glos. in c.cum olim. extr. de maior. & obed. Et nemo præsumitur iactare suum.l.Lucius.ff. de donat. Et beneficiorum collatio est quædam donatio, cum per eam exerceatur liberalitas in cui dando, licet simpliciter, & absolute non exerceatur liberalitas in dando. glos.fin.in c.relatum. extr. de præb. Ideo nisi specialiter beneficiorum collatio sit commissa, censetur episcopus sibi retinuisse hanc facultatem faciendi gratiam, & exercendi in aliquem suam liberalitatem. vt in tex.& Archid.num.1.

In Clement: Cap. vnic. Quæ de ecclesijs.

IVRA loquentia de ecclesijs curatis, locum habent quo ad tria, in vicarijs perpetuis ecclesiarum parochialium.



VIA, licet vicarij non habeant principalem curam animarum; nec vice sua, sed potius alterius, iura administrent. Zabar. nu.3. Et per hoc non videbatur, ad eos esse extendenda iura pœnalia loquentia de ecclesijs curatis.arg.c.statutum. de elect. in 6. Tamen quoniam idem periculum imminet animabus in istis, sicut in principalibus.

bus.Zabar.d.nu.3. Et quoties vitium ex vna radice naſcitur, conſequēs eſt,vt eadem lege tollatur. l.ſi libertam C.de nupt. Ideo, quæ de eccleſijs curam animarum habentibus, per receptionem aliarum ſimilium amittendis, ac de ipſarum rectoribus promouendis ad ſacerdotium, & de eorum ætate, à iure ſtatuta noſcuntur; in perpetuis vicarijs eccleſiarum parochialium,& aſſumptis ad eas,etiam decernuntur obſeruari. vt in tex. Per identitatem enim rationis,etiam iura pœnalia extenduntur.c.ſi poſtquam.de elect.in 6.

Liber Primus. Titulus XXIX.

DE OFFIC. ET POTESTATE IVDICIS DELEGATI.

In Decretal. Cap. 1. Quia quæſitum.

DELEGATVS Papæ poteſtatem habet non ſolum in partes,ſed etiam in alios,qui ſuam iuriſdictionem impediunt.



QVIA ſi delegatus Papæ non haberet iuriſdictionem puniendi eos,qui eum in cauſa impediunt, mandatum Apoſtolicum deluſorium redderetur.vt in tex. Et quoniam Papa,qui aliorum iuſtitiam fouet,non debet permittere, vt eius auctoritas lædatur.c.licet.de ſupplen. negl. prælat. Et agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur.c.notum.2.q.1. Et ex eo,quod cauſa alicui per Papam committitur,ſuper omnibus,quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur,delegatus ipſe plenariam recipit poteſtatem.infr.c.præterea. Ideo tam eos, qui trahuntur in cauſam,quàm principales eorum fautores (ſi iuſtitiam impediunt) diſtrictione eccleſiaſtica poteſt delegatus coercere. vt in tex. & infr.c. ſane. il 2. Sed quo ad conſentientes pari pœna conſtringendos cum agentibus, vt dictum eſt ſuperius; diſtinguè,quod quadruplex eſt conſenſus,ſcilicet,negligentiæ,conſilij,cooperationis, & auctoritatis. In primo caſu,minus peccat conſentiens,quàm faciens,niſi fortè negligentia nimis craſſa fuerit, vt in prælato.c.quicquid.1.q.1. & c. conſentire. diſtinct.83. In ſecundo caſu, ſcilicet, conſilij, minus punitur;plus tamen, quàm negligens.c.tanta. diſtin.86. In tertio caſu,cooperationis, æqualiter peccant facientes, & conſentientes; & ſecundum hoc intelliguntur omnes auctoritates, quæ dicunt, quod æqualiter puniuntur.gloſ.2.hic. In quarto caſu,auctoritatis, ſiue defenſionis, magis peccat conſentiēs defendendo,& auctoritatem præſtando, quàm

faciens,

faciens,& magis puniendus eſt.c.qui aliorum.24.q.1.& c.qui conſentit. 11.q.3. vnde verſus.

Conſenſus ſpernit, ſuadet,iuuat,atque tuetur,
Hic minus,hicq. minus luit, hic æqualiter,hic plus,
Conſentis operans, defendens, non reprehendens. d.gloſ.hic.

Cap. 2. Sanè.

CVM diuerſæ litteræ ſub eadem data, & forma contraria, impetrantur, & præſentantur à diuerſis ad eoſdem iudices, ſuperſedetur vtriſque,donec conſulatur Papa.

QVIA in tali caſu non apparet,quæ litteræ ſint primæ, & quæ ſecundæ,& per conſequens,quæ ſint validæ,& quæ non.gloſ.hic. Et quoniam prouidendum eſt,ne pro varietate litterarum, cauſarum fines valeant impediri. vt in tex. Et eius eſt interpretari, cuius eſt condere.l.2.C.de orig. iur. Ideo cum talis caſus non ſit decidibilis per ipſos delegatos. Abb.nu.2. conſulendus eſt Papa,qui reſcripſit, vt ſuam exinde ipſi iudices plenius cognoſcant voluntatem, antequam aliquæ de iſtis litteris executioni demandentur. vt in tex.& gloſ.1. in c. ex tenore. de reſcript.

Cap. 3. Si pro debilitate.

DELEGATVS Papæ impeditus, ſubdelegare poteſt cauſam, quæ ſine ipſo commodè terminari poteſt.

QVIA Sedes Apoſtolica in commiſſione cauſarum intendit prouidere litigantibus,& eorum negotijs, non autem perſonis, quibus cauſæ illæ committuntur. infr.c.paſtoralis. Et quoniam litibus, quamcitius fieri poteſt, finis eſt imponendus.c.finem.de dol. & contum. Ideo ne litigantes diu fatigentur, & ne lites nimium protrahantur, datur facultas ipſis Sedis Apoſtolicæ delegatis, vt ipſis impeditis, poſſint alijs diſcretis, & idoneis perſonis vices ſuas committere,& tales cauſas ſubdelegare. vt in tex.& gloſ.ver.liberum. Si verò cauſa eſſet ita grauis, quòd ex aliquo reſpectu ſine ipſo delegato non poſſet commodè terminari; tunc illam alteri ſubdelegare non poſſet. vt in tex. nam in tali caſu videtur electa induſtria perſonæ ipſius delegati. Abb. num. 4. Et quando eligitur induſtria alicuius, ille non poteſt vices ſuas alteri demandare. c. is cui. eod. in 6. Induſtria autem perſonæ præſumitur electa, ex magnitudine dignitatis perſonæ, & ex ponderoſitate rei. l.1. ff.de offic. præfect. prætor. Et tunc talis non ſubdelegat, etiam de partium conſenſu. Alexand.in l.1.col. 3. ff. de offic. eius, cui mand.eſt iuriſd.

Cap.

Cap. 4. De cauſis.

S I cauſa committitur intra certum diem decidenda, per lapſum diei expirat iuriſdictio.

QVIA fines mandati diligenter ſunt ſeruandi. c.cum dilecta. de reſcript. Et quoniam mandati excederet fines, qui poſt diem ſibi aſſignatum præſumeret iudicare. infr. c.prudentiam. Ideo vbi terminus ſtatuitur iudici, & iuriſdictioni, elapſo termino, expirat iuriſdictio; & iudex non poteſt amplius iudicare. vt in tex. & plenius per Bart. in l.properandum. C.de iudic.

N I S I partes prorogent.

QVIA ſolemnitates iuris, quæ ſunt principaliter introductæ in partium fauorem, poſſunt de partium conſenſu remitti. c. tuis. de teſtib. & l.1. ff. de ferijs. Et quoniam talis breuitas termini apponitur principaliter in partium fauorem, ne ipſæ diù litium expenſis fatigentur. d.l. properandum. Ideo partes poſſunt prorogare iuriſdictionem iudicis, de tẽpore ad tempus. vt in tex. & gl.fin. infr. in c.Petro.

§. Illis.

V B I certa pœna per ius ſtatuta non eſt, delegatus imponit arbitrariam.

QVIA iuriſdictio deluſoria videretur, ſi ille, cui cauſa demandatur, coërctionem aliquam non haberet. infr. c.paſtoralis. Et quoniam ſine cauſa non poteſt iudex apponere mitiorem, vel grauiorem pœnam, quàm ſit in iure ſtatuta. l.ſeruos. C.de vi publ. vel priu. Ideo vbi certa pœna in iure exprimitur, illa eſt per iudicem, tam ordinarium, quàm delegatum, infligenda. vt in tex. Non enim debet iudex eſſe magis ſeuerus, vel clementior ipſa lege; nam cum lex ſit fundata ſuper ratione, & æquitate. c.erit autem. diſt.4. iuſtum, & æquum eſt, quod fit ſecundum legem, & non poteſt iudex velle videri ſapientior, quam fuerit princeps in conſtituenda lege. §.oportet. Authent.de iudic. Ex cauſa tamen poteſt iudex augere, vel diminuere pœnam impoſitam à lege. c.Deus. de pœnit. & remiſſ. quia cum ratio ſit anima legis. l.1. C.quæ ſit long. conſuet. magis eſt attendenda ratio, quam ipſa verba legis. c. conſuetudo. diſt.1. Et quoniam ceſſante cauſa, variatur effectus. c.cum ceſſante. de appell. Et princeps ſi modo ferret legem, quando eſt variata cauſa illius, variaret etiam eius pœnam. c.neceſſe. diſt. 29. Ideo ex cauſa datur auctoritas iudici, vt poſſit minuere, vel augere pœnam impoſitam à lege, conſiderata varietate, & conditione temporum, & perſonarum. d. c. Deus. & de tranſact. c.fin. & Bart. in l. quid ergo. §. pœna.

pœna.ff.de his, qui not. infam. Si verò neque in canonibus, neque in legibus, nec in statutis municipalibus, nec iure consuetudinario, pœna reperitur expressa, Abb.hic in fin. tunc ne iurisdictio sit delusoria, pro delicti qualitate, inspecta causa, & persona, relinquitur arbitrio iudicis delinquens puniendus. glos.fin.hic, & de homicid. c.sicut.

Cap. 5. Præterea.

PER simplicem commissionem causæ, potest delegatus citare, contumacem punire, & reliqua facere, quæ spectant ad causam.

QVIA concesso principali, intelligitur concessum etiam accessorium. c.quo iure. dist.8. & l.2.ff.de iurisdict.omn.iudic. sicut aliquo prohibito, omne aliud censetur prohibitum, per quod peruenitur ad illud. c.tuæ. de procur. & l.oratio. ff. de sponsal. De connexis enim idem est iudicium. c.translato. de constitut. & l.si quis. ff. de appellat, Et quoniam non bene posset causa expediri, si non posset iudex citare, & contumacem punire, & alia ad causam pertinentia exercere. supr.c.1. & infr. c.significasti. Ideo ex eo,quòd causa alicui committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem. vt in tex. & infr. c.prudentiam.in fin.

Cap. 6. Quamuis.

SI causa pluribus, etiam simpliciter, est commissa, quilibet subdelegare potest.

QVIA delegato à principe, iurisdictio subdelegandi est à lege concessa; dummodo ipse exonerare seipsum malitiosè non quærat. supr. c.si pro debilitate. & infr. c. pastoralis. Et quoniam quæ tacitè insunt, pro expressis habentur. l. cum quid. ff. si cert. pet. Ideo si duobus, vel pluribus, causa committitur, etiam si non apponatur, vt vnus sine altero procedat, in ea nihilominus vnus ex ipsis, siue suo coniudici, siue alij, vices suas potest committere in hac parte. vt in tex. & l. à iudice. C. de iudic. Vnde quando subdelegat suo coniudici, procedit ille nomine proprio, tanquam delegatus; & nomine sui collegæ, tanquam subdelegatus. Abb. hic nu.2. Et sic potest diuersa auctoritate vnus,& idem in eadem causa procedere; non tamen potest diuersas sententias ferre, scilicet, vnam tanquam delegatus, & aliam tanquam sub delegatus; quia eadem conscientia, qua putat aliquid iustum nomine proprio, debet illud censere iustum nomine consocij, seu subdelegantis. c.penult. §. 1. de elect. in 6.

Cap. 7. Significasti.

DELEGATVS Papæ exequitur sententiam suam, quam exequi non potest, aut non vult is,cui eam commiserat exequendam.

Quia

QVIA delegatus principis ex simplici causæ commissione, recipit potestatē, ne dum cognoscendi,& decidendi; sed etiam sententiā exequendi. vt in tex.& infr.c.quærenti. Et quoniam quando delegatus committit executionē alicui, tanquam suo ministro, non autem faciendo eum suum subdelegatum, per illam commissionem non desinit esse iudex. Abb.nu.7. Nec potest dici, quod sit functus officio suo per commissionem huiusmodi executionis; & per consequens, quod non debeat amplius se in causa intromittere, per c.in litteris. infr.eod. Nam respondetur, quod verba sunt intelligenda cum effectu.c.relatum.de cleric.non resid. vnde ex sola commissione, per quam nō interuenit actualis executio, non potest dici eius iurisdictio expirata. glos.in d.c.in litteris. Ideo ex quo non exequitur tunc ille minister, cui delegatus executionem suæ sententiæ commisit, potest ipse delegatus, qui adhuc remanet iudex, causam sibi commissam executioni mandare. vt in tex. & infr.c.ex litteris.

Cap. 8. Si quando.

SI ordinarius scit eum non canonicè institutum, quem delegatus Papæ mandat in possessionem induci, non resistet violenter.

QVIA delegatus Papæ in causa sibi commissa est maior ordinario. infr.c.sane. Et quoniam vbi superior aliquid mandat, quod sit per appellationem reuocabile, non est ei actualiter resistendum, licet illud præceptum sit iniustum, (ne eius auctoritas videatur contempta) sed est ad maiorem superiorem per appellationem recurrendum. c. vt debitus. de appellat. Ideo licet iniquo mandato superioris non sit parendum.c. ad aures. de tempor. ordin. non tamen est ei violenter resistendum. vt in tex. sed est ad maiorem recursus habendus. d.c. vt debitus.& c.anteriorum.2.q.6.

SED precibus instabit, vt differat, donec Papa consulatur.

QVIA vbi dubitatur de principis voluntate, pro illa interpretanda ad ipsum principem est recurrendum, si hoc aliter interpretari non potest. supr.c.sanè. Et quoniam non est verisimile, vt Papa velit illum esse in beneficij possessione, qui non fuerit in eo canonicè institutus. c. 1. de reg.iur. in 6. Ideo ad deferendum honorem delegato,& ad prouidendum, ne in causa iniuste procedatur, vbi delegatus aliquid mandat, quod pro iustitia non videatur exequendum, non est per iudicem ordinarium violenter resistendum; sed est apud ipsum delegatum instandum, vt executio differatur, donec ipsi Papæ veritas innotescat. vt in tex. Quod si delegatus preces non admittat, appelletur,& appellatio tenebit. glos.fin.hic.

Cap. 9. In litteris.

POST diffinitiuam executioni mandatam, expirat delegati iurisdictio.

QVIA iudex, siue bene, siue male, diffinitiuè sententiando, functus est officio suo, vt in cognitione illius causæ amplius se intromittere non possit. l. iudex. ff. de re iudic. Et post sententiam executioni mãdatam, dicitur in totum cessare eius auctoritas, & iurisdictio, quo ad illam causam. vt in tex. Et quoniam culpa est, vendicare quod ad suum non spectat officium. c. cum satis. de offic. archid. Ideo cum delegatus per diffinitiuam executioni mandatam, omnino desierit esse iudex, vlterius tanquam iudex in illa causa se ingerere non debet, cum sit functus officio suo. vt in tex. & Innoc. hic. Quibus autem alijs modis expiret delegati iurisdictio, tractat glos. hic, & Specul. eod. tit. §. restat.

Cap. 10. Consultationibus.

REO absente non per contumaciam, delegatus datus etiam ad diem, non restituet actorem; licet possessionem, & deiectionem probare volentem.

QVIA in omni possessorio debet seruari iuris ordo; & sic fieri litis contestatio, siue sit possessionis retinendæ, siue adipiscendæ, siue recuperandæ. Bart. in l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir. poss. Et quoniam contra absentem non per contumaciam, non fit litis contestatio, licet contra eum possit fieri missio ex primo decreto, causa rei seruandæ. c. 1. vt lite non contest. Ideo mandatum præcisum de restituenda possessione intra tempus, temperatur, si liquet de causa, & parte verè, vel interpretatiuè, præsente. Butr. hic nu. 5.

Cap. 11. Sanè. il 2.

DELEGATVS Papæ in causa sibi commissa, iurisdictionem habet super ordinarium, & quemcunque maiorem.

QVIA delegatus in causa sibi commissa gerit vices delegantis, & maior est illis, quorum causam suscepit terminandam. vt in tex. Et est honorandus in causa illa, sicut is, cuius vices gerit. c. fin. dist. 93. & glos. in c. cum voluntate. de sent. excom. Et quoniam per simplicem causæ commissionem, omnia intelliguntur commissa, sine quibus causa illa expediri non posset. supr. c. præterea. Ideo delegatus Papæ potest compellere episcopum, & quemcunque alium, qui pertineat ad illam causam, vel qui velit eius iurisdictionem impedire, vt ei pareat, & ab impedimento desistat, secundum quod negotij qualitas requirit. vt in tex.

in tex. & supr. c. 1. In coactione tamen, & pœna insligenda, debet deferre dignitati, vt temperatè procedat. vt in tex. & c. quia. eod. in 6.

Cap. 12. Ex parte. il 1.

SI primus impetrauit primam dignitatem in ecclesia vacaturam; secundus impetrauit certam dignitatem ipsius ecclesiæ, cum vacaret, & illa postmodum vacat, debetur primo, & non secundo.

QVIA si secundus expressisset de prioribus litteris, secundas tales ipse non habuisset. vt in tex. Et quoniam quando tacetur ea veritas, quæ si fuisset expressa, princeps gratiam non fecisset, per vitium subreptionis impetratio est inualida. c. super litteris. de rescrip. Ideo ex quo primæ litteræ fuerunt valide impetratæ, & per secundas non sunt reuocatæ, ipsæ primæ, non autem secundæ, sunt exequendæ. vt in tex. & Innocent. hic.

Cap. 13. Ex parte. il 2.

VBI contraria voluntas Papæ non apparet, delegatus iuris formam seruare debet, & rationabiles exceptiones admittere.

QVIA lex est fundata super ratione, & æquitate. c. erit autem dist. 4. Et quoniam iudex debet æquitatem à iure informatam præ oculis habere. c. fin. de transact. & l. placuit. C. de iudic. Et ob id non debet esse clementior, nec rigorosior ipsa lege. Authent. de iudic. §. oportet. Ideo vbi per principis rescriptum specialiter non derogatur generali ordini iuris, communis forma iuris per iudicem est seruanda. vt in tex. & glos. 1. in c. eam te. de ætat. & qual. ordin. Si verò per rescriptum Papæ daretur alia forma, quàm sit à iure communi statuta, tunc forma rescripti esset attendenda. glos. 1. hic. quia principis rescripto, præsertim Papæ, est parendum, etiam si videatur durum; dummodo non sit contra ius diuinum, vel naturale, vel ab eo subreptitiè obtentum; cum formam iuris positiui ipse tollere possit. c. contra morem. dist. 100. & l. quoties. C. de precib. imper. offer. Et quoniã non est verisimile, quod princeps per verba generalia, velit tollere iuris obseruantiam, cum magno præiudicio partis. c. ecclesia. de elect. & l. si quando. C. de inoffic. testam. Et rescriptum debet interpretari secundum verisimilem intentionem mandantis. Clem. pastoralis. de re iudic. & c. si quãdo. de rescript. Ideo si in rescripto, vel statuto dicatur, in aliquo facto nullam exceptionem esse admittendam, debet intelligi de exceptione minus rationabili, non autem de legitimis, & rationabilibus. glos. 1. hic. & Bart. in l. omnes populi. ff. de iust. & iur. Sicut si compromittitur in aliquem de stando eius mandato, est intelligendum de mandato honesto. c. veniens. & c. quintauallis. de iureiur.

Cap. 14. Quoniam.

DELEGATIO facta dignitati, non expresso nomine proprio, transit ad successorem.

QVIA dignitas nunquam moritur, nec variatur per mutationem personæ.c.si gratiosæ.de rescript. in 6. Indiuidua verò quotidie pereunt.l.4.§.si quis.ff. de legat.1. Et quoniam quando exprimitur nomen dignitatis,commissio videtur facta in dignitate,& esse realis;quãdo verò exprimitur nomen proprium,delegatio est facta personæ, & est personalis,& sic corruptibilis.glos.2.hic.& Abb.nu.4.& 7. Ideo delegatio facta dignitati transit in successorem; facta verò personæ extinguitur cum ea,licet talis sit in dignitate.c.cum venissent.de institut.& cap. priuilegium. de reg.iur.in 6. Ex alijs tamen verbis contentis in dispositione,& ex subiecta materia,potest comprehendi,an dispositio sit realis,vel personalis.vt in c.requisisti. de testam. & c.Pontifices.12.q.8. vbi dicitur; quod si relictũ sit episcopo,vel alteri prælato à coniuncto,censetur factum contemplatione personæ,& non contemplatione ecclesiæ, licet sit expressum nomen dignitatis; secus si fieret ab extraneo. Et ad idem facit c.dilecti, iuncta glos.de for. compet. vbi habetur, quod si in causa ecclesiastica datur rescriptum,expresso nomine proprio,contra prælatum, intelligitur datum contra dignitatem, ratione subiectæ materiæ. Sed si ex verbis,vel ex materia non potest sumi alia coniectura de qualitate dispositionis; quia materia; & verba sunt proportionabilia personæ, & dignitati: Exemplum in delegatione causæ, vel in priuilegio; nam ista solent concedi, quandoque personæ, quandoque dignitati, vt per totum hunc titulum; tunc distingue, aut est expressum nomen proprium tantum, & dispositio est personalis; aut appellatiuum tantum,& dispositio est realis. vt in tex. Si verò sit expressum nomen proprium,& appellatiuum,vt si dicatur, Gaspar Episcopus Anagninus, commissio censetur personalis, & expirat per mortem delegati; nam in dubio Papa videtur velle,quod commissio sit personalis, licet sit expressum etiam nomen appellatiuum.Abb.infr.in c.licet.nu.7. Quamuis enim potestas committendi, fuerit causata immediatè à dignitate; ipsa tamen actualis commissio immediatè procedit à persona; ideo etiam in eo,cui committitur,potius persona, quam dignitas,contemplatur,licet commissio fiat ratione dignitatis.Betr.in d.c.licet.nu.19.

Cap.15. Super eo.

SI quæstionem de iure præsentandi Papa delegat, appellatione remota, & sub ea forma, vt delegatus ad præsentationem eius, ad quem viderit pertinere, ordinet ecclesiam, per hoc non habet instituere, sed pronuntiare.

Quia

QVIA priuilegia, refcripta, & alia confimilia, ad ea tantum extenduntur,de quibus fuit verifimiliter cogitatum. l. tres fratres. ff.de pact.& l.cum Aquiliana.ff.de tranfact. Et ita intentio mandantis eft attendenda.c. audita.de reftit.fpol.& c.cum caufam.de præb. Et quoniam per huiufmodi caufæ commifsionem, Papa non intendit generare præiudicium epifcopo,vel alteri, cui de iure competat inftitutio.vt in tex. Ideo per illud verbum factum in commifsione ad delegatum,vt ordinet ecclefiam, intelligitur, quod pronuntiet ordinandam,& quod per eum,ad quem pertinet, faciat ordinari, licet aliqualiter proprietas verbi extorquatur. glof.ver.ordinet. Talis enim interpretatio eft facienda, per quam tertio non præiudicatur, & mandantis intentio verifimiliter executioni demandatur.Abb.nu.5. Priuilegium enim principis,quatenus præiudicat iuri tertij, eft ftrictè interpretandum, vt minus præiudicet,quam fieri pofsit,dummodo principi pareatur.c. paftoralis.de priuil.& Innoc.in c.cum dilecti.de donat.

ET is, ad quem pertinet,inftituet.

QVIA per huiufmodi commifsionem non fuit factum præiudicium illi,qui de iure debet inftituere,vt dictum eft fuperius. Et quoniam quod non mutatur, ftare non prohibetur. l. præcipimus. C. de appellat. & l.fancimus. C. de teftam. Ideo talis commifsio non obftat,vt is ad quem pertinet, non debeat inftituere. vt in tex.& glof.ver.tenebit.

ET fi iuri fuo detrahitur, licitè appellat.

QVIA per illam claufulam,appellatione remota,fuit fublatum remedium appellationis ipfis partibus, inter quas res agebatur,non autem alijs, inter quos res acta non fuit. vt in tex.& glof.fin.. Et quoniam per appellationis remedium, quis releuatur à grauamine per iudicem iniufte illato, vel quod verifimiliter timetur inferri. c.vt debitus.de appellat. Ideo per illam remotionem appellationis inter partes, non debet prohiberi alius, qui fentit ab illo iudice fe grauari,quin pofsit appellare. vt in tex. & Abb. nu.4.

Cap.16. Caufam matrimonij.

SI caufa fimpliciter eft delegata duobus,fententia vnius non tenet.

QVIA plures delegati fimpliciter dati, non habent exercitiũ iurifdictionis, finguli in folidum; fed quifque eorum habet pro parte. c.fin. de re iudic. & l.duo ex tribus. ff.eod. Et quoniam fententia lata ab illo, qui non habet fufficientem iurifdictionem, non eft valida. d.l. duo. Et iudices delegati non pofsunt iudicare citra formam refcripti, ne mandati excedant fines. infr. c.prudentiam. §.1. Ideo vbi duo

funt

sunt iudices sine clausula, si non omnes potestis, vnus procedat;& alter non commisit alteri vices suas, vt partim procederet tanquam delegatus,& partim tanquam subdelegatus,per se solum non potest vnus validam ferre sententiam. vt in tex. cum glos.3. & supr. c.quamuis.

Cap. 17. Causam, quæ.

DELEGATVS, qui est dominus impetrantis, recusari potest.

QVIA nemo est cogendus coram suspecto iudice litigare. infr. c. suspicionis. Et quoniam est rationabilis causa suspicionis, si iudex sit dominus aduersarij. infr. c.insinuante. & 11. q.3.c.quatuor; sicut idem esset, si iudex esset vasallus impetrantis, propter amorem, & familiaritatem, quæ solet esse inter dominum, & vasallos. c.de forma. 22.q.5. Ideo licite potest recusari iudex, dominus impetrantis. vt in tex. & d.c.insinuante. Nam iuxta illud.

Quatuor ista, timor, odium, dilectio, census;
Sæpe solent hominum rectos peruertere sensus. glos. hic.

Cap. 18. Cum te consulente.

A subdelegato delegati Papæ, qui subdelegauit non in totum, non ad Papam; sed ad ipsum delegatum appellari debet.

QVIA delegatus, qui subdelegauit non in totum, quemcunq. articulum iurisdictionalem sibi reseruauerit, semper remanet iudex causæ sibi delegatæ. infr. c.super.§.porrò. Et quoniam delegatus Papæ repræsentat vices Papæ,quo ad illam causam. supr.c.sanè il 2. Ideo ex quo Papa voluit istum tenere locum suum,& tanquam ipsum in illa causa honorari. d.c. sane. tum ad ipsius delegati honorem; tum ad parcendum partium laboribus, & expensis, statuitur, vt ad ipsum delegatum, non autem ad Papam,immediate appelletur. vt in tex. & d. §. porrò. Et est vnus casus specialis, in quo propter pręmissam rationem, prohibetur appellari ad Papam,omisso medio; nam regulariter est contra. c.Romana. 2.q.6. Qui tamen casus fallit, quando negatur iurisdictio subdelegantis, vt si dicatur, Papam fuisse mortuum, re integra;vel dicatur, ipsum subdelegantem esse excommunicatum; nam tunc non ad delegatum, sed ad Papam immediate appellatur. c. si à subdelegato. & c. si is, cui.eod. in 6.

Cap. 19. Relatum.

MORTE delegantis,non expirat iurisdictio delegati, coram quo lis erat contestata.

QVIA per exercitium iurisdictionis delegatæ, ipsa iurisdictio radicatur in persona delegati, & dicitur in eum efficaciter tran-

siuisse.

fuiſſe. infr. cap. licet. Et quoniam per citationem factam contra aliquam partem, & multo magis per litem conteſtatam, iuriſdictio contentioſa dicitur per iudicem incępta. infr.c.prox.& l.& quia,& ibi gloſ. penult. ff. de iuriſdict. omn. iud. Ideo ex quo lis eſt conteſtata, vel ad minus eſt citatio à iudice emanata, morte mandantis, in delegato non expirat iuriſdictio ei mandata. vt in tex. & infr. c. prox. Si verò delegans moriatur, re integra, expirat delegati iuriſdictio. vt in tex. quia delegatus non habet iuriſdictionem iure proprio, ſed iure delegantis. ſupr. c.ſanè il 2.& d.l. & quia. Vnde cum iuriſdictio, re integra, ſit effectualiter penes delegantem, ita quod non eſt adhuc efficaciter etiam in delegato; cum per mortem extinguatur iuriſdictio ſua, per conſequens extinguitur poteſtas delegata; quia extincto iure auctoris, extinguitur ius ſucceſſoris. l. lex vectigalis. ff. de pignor. Et ceſſante cauſa, ceſſat effectus. gloſ.in d.l. & quia.

Cap. 20. Gratum.

S*I delegatus citauit ante mortem delegantis, perpetuata eſt eius iuriſdictio.*

QVIA per citationem à iudice emanatam, negotium ei commiſſum eſt quaſi cęptum. vt in tex. & gloſ. in Clem. 2. ver. ad partem. Vt lit. pend. Cum citatio ſit principium exercitij iuriſdictionis contentioſæ. Inſtitut. de pœna tem. litig. §. fin. Et quoniam per exercitium iuriſdictionis delegatæ, iuriſdictio illa effectualiter radicatur in delegato, & non extinguitur amplius per mortem delegantis. ſupr. c. prox. Ideo quo ad perpetuandam iuriſdictionem in delegato, vt non expiret per mortem delegantis, ſufficit, quod delegatus per ſolam citationem ſit vſus iuriſdictione. vt in tex.& gloſ. 1.hic. Dicitur autem per ſolam citationem negotium eſſe quaſi cęptum, non autem dicitur abſolutè cęptum. vt in tex. quia in cauſa propriè, & ſtrictè, negotium dicitur cęptum per litis conteſtationem. d. gloſ. 1. hic. cum antea poſſit iudex recuſari, & euitari. l.nemo. C.de iuriſd. omn.iud.

E*T appellationi renuntiat, qui coram iudice, à quo appellauit, litem proſequitur.*

QVIA per actum contrarium ſubſequentem, renuntiatur actui pręcedenti. c.ſolicitudinem. de appellat. & c.cum renuntiatur 32.q. 1. Et quoniam per appellationem receditur à iuriſdictione prioris iudicis. l.præfecti. ff.de minor. per litis verò proſecutionem, iudicis iuriſdictio approbatur. c.paſtoralis. de except. Ideo cum quis proſequitur litem coram iudice, à quo appellauit, videtur ab appellatione receſſiſſe, & ad priorem iudicem redijſſe. vt in tex. & d.c. ſolicitudinem.

Cap.21.

Cap. 21. Prudentiam.

SI causa committitur tribus delegatis cum clausula, quod, si non omnes, & c. priusquam appareat de impotentia tertij, duo procedere non possunt.

QVIA in tali casu, mandati excederentur fines, si duo procederent, antequam appareat de impotentia tertij, cum iurisdictio sit eis sub tali conditione delegata, vt tunc possint procedere duo, quando non potest adesse tertius. vt in tex. Et quoniam fines mandati diligenter sunt seruandi. c. cum dilecta. de rescript. Et vbi aliquid datur sub conditione, debet quis ostendere se conditioni paruisse. l. 2. ff. de condit. & demonstr. Ideo tres delegati dati cum clausula, si omnes interesse nequiuerint, duo exequantur; vel omnes debēt adesse, vel vt duo possint vti tota iurisdictione, debet constare de impotentia tertij; qui tunc etiam dicitur non posse adesse, cum adesse non vult, etiam si posset. vt in tex. & glos. ver. teneatur.

ET si procedunt, nihil agunt.

QVIA vbi datur certa forma procedendi, processus corruit, non solùm si aliquid attentatur directè contra formam, sed etiam si agatur citra formam. c. si cui, & ibi glos. ver. præter. de elect. in 6. Cum etiam ille, qui agit citra formam, excedat fines mandati. vt in tex. Et quoniam ea, quæ fiunt vltra fines mandati, non tenent. d. c. cum dilecta, & ibi glos. penult. Ideo si duo de delegatis datis, cum clausula, quod si non omnes, &c. procedunt, non constito de impedimento tertij, nihil reputabuntur egisse. vt in tex. & supr. c. causam. il 1.

§. Adijcimus.

CLAVSVLA, si non omnes poteritis, sub impotentia includit voluntatem, quo ad purificandam iurisdictionem coniudicum.

QVIA licet quo ad eum, qui non vult interesse, cum possit, non sit verificata impotentia interessendi; vnde est grauissimè arguendus, pro eo, quòd mandatum Apostolicum exequi subterfugiat, aut contemnat. vt in tex. quo ad consocios tamen satis est purificata tàlis conditio impotentiæ; quia si tertius non vult præcisè interesse, verum est dicere, quod omnes simul interesse non possunt; nam si tu non vis mecum adesse in scholis, verum est dicere, quod ego non possum ibi adesse tecum. Abb. nu. 2. Et quoniam litium finis est desiderandus. c. finem. de dol. & contum. Ideo si tertius non vult adesse, duo procedere possunt, ac si ille verè adesse non posset, etiam ex parte sui; cum cōditio mandati sit purificata ex parte aliorum. vt in tex. & Abb. d. nu. 2.

IDEM

IDEM in duobus datis cum clauſula, quòd ſi ambo intereſſe nequiuerint, alter nihilominus exequatur.

QVIA cum alter eorum non vult intereſſe, verum eſt dicere, quòd ambo ſimul intereſſe non poſſunt, & ſic eſt purificata conditio, vt alter ſolus poſsit exequi, vt in caſu ſuperiori. Et quoniam vbi eſt eadem ratio, debet eſſe idem ius. l. illud. ff. ad leg. Aquil. Ideo idem ſtatuitur obſeruandum in caſu iſto, ac in præcedenti, quo ad id, vt vnus delegatus poſsit procedere ſine alio, qui non poteſt, vel non vult cum eo in cognitione cauſæ eis delegatæ, intereſſe. vt in tex.

§. Sexta.

SI reus coram delegato obijcit excommunicationem actori, quam non probat intra tempus debitum, auditur actor.

QVIA quod prouiſum eſt ad remedium, non debet tendere ad noxam. c. pia. de except. in 6. Et quoniam ſi reo non determinaretur tempus breue ad probandam exceptionem excommunicationis cõtra actorem, ſæpe illam malitioſè obijceret ad differendum negotium principale, & actorem laboribus, & expenſis fatigandum. d. c. pia. Ideo ſtatuitur reo tempus octo dierum ad probandam obiectam excommunicationem; quam ſi non probat intra dictum tempus, præſumitur malitioſe obijcere, & ei non creditur ſuper tali obiectione. vt in text. & d. c. pia.

SI verò probat, delegatus abſoluet actorem, ſi excommunicatus eſt propter cauſam ſibi commiſſam.

QVIA explorati iuris eſt, vt delegatis iudicibus, quibus principale committitur, & acceſſorium committatur. vt in tex. Et quoniã excommunicatio maior repellit excommunicatum, vt non poſſit ſtare in iudicio tanquam actor. d. c. pia. Ideo cum fuerit delegato commiſſa cauſa principalis, intelligitur etiam ei data facultas habilitandi perſonas ab impedimentis illius cauſæ, propter quæ expeditio cauſæ impeditur, & ſic vt poſſit abſoluere actorem ab excommunicatione, quã propter illam cauſam incurrit. vt in tex. & ſupr. c. præterea.

SI propter aliam, ad excommunicatorem ſuum illum remittet.

QVIA regulariter ab eo eſt excommunicatus abſoluendus, à quo fuit ligatus. c. paſtoralis. §. præterea. de offic. ordin. Et quoniam eccleſiaſticus ordo confunditur, ſi ſua iuriſdictio vnicuique non ſeruatur. c. peruenit. 11. q. 1. Ideo ad obſeruandum ſuum ius excommunicatori, & ad prouidendum, vt delegatus poſsit procedere in cauſa, talis excommunicatus remittitur pro abſolutione ad ſuum excommuni-

catorem. vt in tex. & c. omnis res. infr. de regul. iur.

QVI si non vult eum absoluere, delegatus Papæ eum absoluet.

QVIA sicut delegatus non habet aliquam potestatem super causa sibi non commissa, nisi quando causa commissa aliter expediri non potest. glos. ver. ad excommunicatorem. & Abb. nu. 10. ita quando causa commissa non potest aliter expediri, eius iurisdictio extenditur, etiam ad causam sibi non commissam. supr. c. 1. Tunc enim talis causa venit tanquam accessoria ad commissam. vt in tex. Et quoniam causa ei commissa non potest expediri, nisi actor excommunicatus prius absoluatur, vt possit stare in iudicio, vt dictum est superius. Ideo sicut delegatus non debet absoluere talem excommunicatum, antequam ipsum remittat ad suum excommunicatorem, ita, nolente illo absoluere, pro expeditione causæ potest absoluere ipse. vt in tex. & glos. ver. ad excommunicatorem.

NISI sit de casibus Papæ reseruatis.

QVIA in quibusdam casibus grauioribus Papa sibi reseruat absolutionem ab excommunicatione, in signum præeminentiæ singularis, & in maiorem pœnã talium delictorum. c. tua nos. de sent. excom. & c. si quis suadente. 17. q. 4. Et quoniã ea, quæ sic per principem sibi reseruantur, non transeunt in alium, nisi expresse committantur. c. quod translationem. de offic. leg. & l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. est iur. Ideo in tali casu per generalem causæ commissionem delegatus Papæ absoluere non potest. vt in tex. Et sic est casus specialis propter dictam rationem, in quo vno commisso, non transeunt omnia, sine quibus principale negotium expediri non potest. Abb. hic nu. 4. Et ex prædictis nota practicam procedendi per delegatum, cum agens coram eo probatur excommunicatus. Et dic latius, quàm colligatur ex littera huius text. quòd, aut probatur excommunicatus ante impetrationem rescripti, & debet delegatus pronunciare se non iudicem; quia non valet rescriptũ impetratum ab excommunicato, nisi in causa appellationis, vel absolutionis, de quo dic, vt habetur in c. 1. de rescript. in 6. Et hoc casu non procedit iste tex. Aut probatur excommunicatus post impetrationem rescripti, & habet locum iste tex. quo casu delegatus hoc ordine procedet, vt si fuit excommunicatus propter causam sibi commissam, tunc ipse àbsoluat, seruato tamen iuris ordine; si verò fuit excommunicatus propter aliam causam, aut est talis excommunicatio, cuius absolutio reseruatur Papæ, & non potest delegatus absoluere, sed debet eum remittere ad Papam; aut non est reseruata absolutio Papæ, & debet illum remittere ad suum excommunicatorem, siue excommunicator sit ordinarius, siue delegatus; & si ille absoluere vult, bene quidem; si verò non vult absoluere, aut allegat iustam causam, puta; quia ille fuit ex-

commu-

communicatus pro manifeſta offenſa, ſeu contumacia, & hoc probat, & non tenetur eum abſoluere, niſi ille primò ſatisfaciat. vt in c.ex parte.il 1.de verb.ſign.& c.venerabilis.§.ſecus.de ſent.excom.in 6. Si verò allegat aliam cauſam probabilem non notoriam, non debet eum abſoluere, niſi præſtita cautione, vt in d.c.ex parte. Si verò malitioſe nõ vult eum abſoluere, poteſt ipſe delegatus eum abſoluere. vt in tex. Et conſtabit de malitia excommunicatoris, ſi intra tempus ſibi ſtatutum à delegato, non abſoluit, nec allegauit cauſam iuſtam in contrarium, cur abſoluere non deberet. Abb.hic nu.3.

§. Si verò.

ABSOLVTVS à delegato ſuper cauſa, pro qua fuerat excommunicatus, coram excommunicatore parebit, ſeu reſpondebit ſuper illa cauſa, niſi ſit alteri delegata.

QVIA facultas abſoluendi iſtum, fuit delegato acceſſoriè commiſſa, ad effectum, vt talis poſſet ſtare in iudicio corã ipſo, non autẽ, vt vlterius procederet in præiudicium excommunicatoris. vt ſupr. in §.prox. Ideo ne contemnatur auctoritas excommunicatoris, ad ipſum eſt ille abſolutus remittendus, vt ſui iudicis pareat mandatis, ex quo per nouam delegationem non eſt illius iuriſdictio impedita. vt in tex. Iuramentum autem, quod in abſolutione excommunicati, ab ipſo præſtatur, de ſtando mandato eccleſiæ ſuper eo, pro quo fuit excommunicatus; tunc præſtatur, quando fuit excõicatus pro dubia offenſa, vel contumacia; ſi autem pro notoria, non abſoluitur cum iuramento, ſed debet prius integrè ſatisfacere. vt in c. exparte.de verb.ſign.& c.venerabilibus.§. ſecus. de ſent.excomm.in 6. Et per illud iuramentũ obligatur ſolùm ad parẽdum mandatis licitis, & honeſtis ſibi fiendis à iudice competenti. Hoſt.hic.& gloſ.in c.ex tenore.de ſententent.excommun.

ET ſi excommunicator malitioſe diſtulerit, delegatus, qui abſoluit, cognoſcet.

QVIA ſicut excommunicator, qui non vult abſoluere excommunicatum, vt poſſet agere in iudicio coram delegato, perdit ſuam iuriſdictionem, & delegatus acquirit facultatem abſoluendi illum. vt ſupr. in c. prox. ita ſi malitioſe diſtulerit impedire, ne coram eo ille abſolutus pareat mandatis eccleſiæ, perdit iuriſdictionem cognoſcendi de negotio principali, & delegatus acquirit facultatem de illo cognoſcendi. gloſ.fin.hic. Et hoc modo prouidetur, vt delegatus ſuppleat negligentiam alterius delegati, vel ordinarij, ſicut ordinarius ſupplet deſidiam delegati. c.ſignificauit. de offic. ordin. De tali tamen negotio principali delegatus cognoſcit, quatenus tangit articulum ſatisfactionis, & non amplius; pone ſic exemplum; in alia cauſa fuit actor excõ-

municatus propter contumaciam, poterit nunc iste delegatus cognoscere de illa contumacia, quia propriè venit accessoriè ad absolutionem factam per delegatum; sed de residuo causæ cognoscere non potest, quia est prorsus separata ab articulo excommunicationis; si autem tota causa contingeret ipsum articulum satisfactionis, vt puta, fuit excommunicatus, quia noluit soluere iuxta præceptum, seu sententiã nullam, tunc poterit delegatus cognoscere de tota causa, scilicet, an sententia, seu præceptum fuerit nullum, vel non. Abb. nu. 4.

Cap. 22. Cum causa.

SI causa simpliciter delegatur tribus, duo sine subdelegatione tertij procedere non possunt.

QVIA iurisdictionis exercitium non competit talibus delegatis singulis in solidum, sed cuique pro parte, & omnibus coniunctim in solidũ. glos. supr. in c. prox. ver. teneatur. Et quoniam delegatus non debet transgredi formam mandati. d. c. prox. §. 1. Ideo in tali causa duo sine tertio procedere non valent. vt in tex. Tertius autem potest eis, vel alteri, vicem suam subdelegare; cum ius tribuat hanc facultatem principis delegato. vt not. supr. in c. quamuis. Et ex quo tales duo delegati non possunt procedere sine tertio, nota, quod vbi potestas residet in plures, vt in singulos, non in plures, vt in vniuersitatem, non statur maiori parti, nec potestas residet in maiorem partem, immo nec in duas partes. Butr. hic nu. 13. per quod limitatur. l. quod maior. ff. ad municipal. & c. quia propter. de elect.

QVOD si fecerint, ab eis poterit appellari.

QVIA iudex, qui male procedit, & vsurpat sibi maiorem iurisdictionem, quam habeat, grauat partem, contra quam sententiat. c. vt debitus. de appell. Et quoniam per appellationis remedium corrigitur iniquitas, vel ignorantia iudicis inferioris, dum superior inuocatur. c. significante. d. tit. & l. præfecti. ff. de minor. Ideo si duo de istis tribus delegatis volunt plus iurisdictionis sibi assumere, quàm habeant, poterit pars grauata appellare. vt in tex. & d. c. vt debitus.

IDEM si sunt dati cum clausula, quod si non omnes, &c. non valebit processus duorum, tertio inconsulto.

QVIA propter talem clausulam, duo habent iurisdictionem sub conditione, si tertius est impeditus, vel nolit. glos. 1. hic. & supr. c. prox. Et quoniam vbi iurisdictionis exercitium est datum alicui sub conditione, ante conditionis euentum illud non habet subsistentiam, sicut dicimus in obligatione. l. cedere diem. ff. de verb. sign. Ideo si duo procedunt in tali causa, tertio inconsulto, ex iurisdictionis defectu proces-

processus non tenet. vt in tex. & Butr.num.16.& 20. Debent ergo duo rogare tertium, vt veniat intra terminum competentem ad procedendum cum eis; & si in termino non venit, præsumitur, quod aut nolit, aut non posit interesse, ita, quod hæc præsumptio est sufficiens ad consolidandam potestatem aliorum, vt sine ipso procedere possint. gl. 1.hic.& Abb.nu. 6.

Cap.23. Cum super.

SI duo sunt delegati cum clausula, quòd, si ambo, &c. vno recusato, alter solus procedere potest.

QVIA talis clausula, quòd si ambo procedere non possunt, vnus procedat, intelligitur tam de impotentia facti, quàm iuris.c. sciscitatus. de rescript. Et quoniam iudex legitimè recusatus procedere non potest ex impotentia iuris.infr.c.suspicionis. Ideo vno de istis legitime recusato, extitit conditio impotentiæ, & tota iurisdictio consolidatur in alio.vt in tex.& Butr.nu.4.

NEC tenet processus, si cum recusato procedat.

QVIA ad validitatem actus, voluntas, & potestas simul concurrere debēt; nam vbi sibi aduersantur, nihil potest validum explicari.vt in tex.& l.mult.C.si quis alter. vel sibi. Et quoniam, cum iste delegatus non recusatus posset solus procedere tanquam ille, in quo per recusationem alterius, erat consolidata tota iurisdictio; solus tamen tanquam vnicus iudex procedere noluit, sed tantum voluit procedere pro parte sua, quam ante recusationem alterius habebat, & pro alia parte admisit iudicem recusatum, quod facere non poterat. vt in tex. Et quia sententia, cum sit res indiuisibilis, non potest pro parte valere, & pro parte non valere. Abb.nu.10. Et in indiuiduis inutile vitiat vtile.glos.in c.vtile.de reg.iur.in 6. Et habilis associando sibi inhabilem ad actum, ad quem eum habilitare non potest, nihil agit; quod saltem procedit in iudicialibus. Abb. nu.7. Ideo per contrarietatem, quæ est inter voluntatem, & potestatem talis iudicis delegati non recusati, cum non velit, quod potest; & cum non posit, quod vult, processus per eum factus cum recusato, & sententia per eos lata, nullius sunt roboris, & effectus.vt in tex.& glos.penult.

Cap.24. Consuluit.

SI iurisdictio delegati expirat in termino peremptorio, quem partibus assignauit, post congruam horam peremptorij iudex non expectabit contumacem.

Quia

QVIA iudex debet in exercitio suæ iurisdictionis ita se gerere, vt vt ea, quæ per ipsum fiunt, roboris obtineant firmitatem. supr. c. prox. Et quoniam ea, quæ per iudicem fierent, expirata iurisdictione sibi ad tẽpus delegata, nullius essent validitatis, nec partes coarctarentur ad eius præceptis tunc parendum, cum non sit amplius eorum iudex. c.indulgentiæ. de pœnit. & remiss. in 6. & l.ea, quæ. ff. de reg. iur. Ideo ne frustra iudicialis potestas euanescat, debet iudex ante expirationem termini suæ iurisdictionis, iudiciales actus exercere. vt in tex.

SI non expirat, potest expectare in diem alteram.

QVIA licet de iuris rigore, citatus, qui non venit in termino sibi ad comparendum taliter assignato, deberet contumax reputari, & contra eum posset procedi, ac si præsens existeret. l.properandum. §.sin autem. C.de iudic. Tamen quoniam posset esse, quòd iustam causam absentiæ habuisset, per quam intra illud tempus venire rationabiliter non potuisset. glos. hic.ver.æquitate, qua legitimè probata, sententia esset retractanda. c.cum bertholdus. de re iudic. Ideo æquitas suadet, vt per diem alteram, post talem terminum, expectetur, ad magis cognoscendum, an ipse verè contumax sit existimandus. vt in tex. Non tamen est necessarium, vt eum expectet, si non velit.d.gl. hic. Et licet iudex possit parcere absenti in ferenda sententia intra terminum constitutum, non tamen potest ei parcere in sumptibus, & expensis; alioquin deberet restituere de suo. glos. ver. gratiam, & Abb. nu. 9. Iudici enim licet differre ius partis, non autem auferre. l.quoties.C. de precib.imper. offer. Et ne iudicium ecclesiasticum exerceatur in tenebris, quia iuxta testimonium veritatis: Qui male agit, odit lucem. Ioan.cap.3. licet secundum consuetudinem, & constitutiones legitimas, more Romano dies à medietate noctis incipiat præcedentis, & in medio noctis desinat subsequentis (vnde quod in duabus dimidiatis noctibus agitur, perinde sanxit habendum legalis auctoritas, ac si qualibet parte lucis agatur. l. more Romano.ff.de fer.) ea tamen de iure canonico intelligitur esse hora congrua procedendi in iudicijs, in qua possit ante noctis tenebras perficere iudex, quod sibi tunc incumbit.vt in tex. Si tamen processit in tenebris ad lumen candelæ, & pars comparuit, & non appellauit, valet, quod gessit; dummodo aliud non impediat. Et præcipuè si iudex honestus sit; cum hic non dicatur, quod si processum fuerit, non valeat; nam multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. glos. hic ver. tenebras. Potest enim pars, quæ non appellauit à tali hora, fauori suo renunciare. c.ad apostolicam. de regular. & l.penult. C. de pact.

ET iterum citare, si vult.

Quia

QVIA sicut ad superandam malitiam non comparentis intra terminum sibi præfixum, ex æquitate expectatur in alteram diem, vt sic melius cognoscatur, an vere sit contumax, vt dictum est superius; ita ad eundem effectum potest iterum citari, ne fortè se excusaret, quod prima citatio ad ipsum non peruenisset. glos. ver. gratiam. in fin. Sed quoniam prima citatio durat vsque ad diem prorogatam. Abb. num.8. Ideo iudex non tenetur illum citare de nouo, sed si eum citat, procedit ex eius benignitate, non ex iudicialis ordinis necessitate. vt in tex. & l.& post edictum. ff.de iudic.

Cap. 25. Insinuante.

EX noua causa remouetur delegatus, & alius subrogatur.

QVIA quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. c.cæterùm. de iur. calumn. & l. de ætate. ff. de interrog. act. Ideo quando causa suspicionis contra iudicem oritur de nouo, vel de nouo venit ad notitiam partis, potest exceptio opponi,& iudex ille recusari. vt in tex. & c.pastoralis. de except.

ETIAM post litem contestatam.

QVIA licet exceptiones dilatoriæ sint regulariter ante litis contestationem, in termino à iudice assignato,proponendæ. d.c.pastoralis. Tamen quoniam non potest parti imputari, quarè ante non opposuerit, ex quo causa recusationis de nouo est orta, vel de nouo venit ad notitiam partis. Butr. nu.9. & 18. Ideo ne quis cogatur coram suspecto iudice litigare, permittitur, vt etiam post litem contestatam, & terminum assignatum, possit talis exceptio opponi. vt in tex. & d.c.pastoralis; nisi per aliquem actum habitum in iudicio post ortum, & notitiam talis suspicionis, pars illa consenserit coram isto iudice litigare. glos. ver. consenserit. Tunc enim imputet sibi, qui consensit. glos. fin. in d. c. pastoralis.

Cap. 26. Querenti.

DELEGATVS Papæ sententiam suam exequi potest vsque ad integrum annum.

QVIA delegati iurisdictio non est perpetua, sed intra certas metas temporis finitur. glos.penult.hic. Et quoniam delegatus principis potest exequi suam sententiam. supr.c.significasti. Ideo ex æquitate assignatur ei annus post latam sententiam, ad illam exequendam; sicut obseruatur in illo, qui ante litis contestationem contumax inuenitur, vt veniens intra annum recuperet possessionem. vt in tex.& c. quoniam. §.in alijs. vt lit. non contest. vt sic post annum sit expirata de-

ti delegati iurisdictio in totum, etiam quo ad executionem per ipsum faciendam. glos. fin. hic.

Cap. 27. Super questionum.

DELEGATVS Papæ potest principium, medium, & finem causæ coniunctim, & diuisim subdelegare.

QVIA in causis curandum est, vt parcatur partium laboribus, & expensis. c. finem. de dol.& contum. Et quoniam facilius causæ expediuntur, dum iudicialis auctoritas valet liberius exerceri. vt in tex. Ideo delegato Papæ conceditur, vt licitè possit& principium, & medium, & finem causæ sibi commissæ,non solùm coniunctim,sed etiam diuisim, alij subdelegare. vt in tex. Nec obstat, quod iudex debeat cognoscere per seipsum in principio, in medio, & in fine causæ. Authent. ad hæc. C.de iudic. quia ipse delegatus,antequam ferat sententiam,vniuersa, quæ acta sunt, debet in iudicio diligenter inuestigare. vt in tex. Sed & delegatus inferioris potest subdelegare aliquem articulum, saltem non iurisdictionalem,causæ sibi commissæ. Abb.hic nu.4. Nunquid autem ipse possit committere receptionem testium;distingue,quòd aut vult committere hunc articulum cum iurisdictione, & non potest; aut sine iurisdictione, puta, quia ipse iudex prius approbauit personas ipsorum testium, examinauit interrogatoria, & capitula; & tunc potest committere, quia ille, cui taliter committitur, habet solùm exequi nudum ministerium; vnde ista nuda receptio,si fieret die feriata, teneret; ad quod vide glos.not. in Clem. vnic.de offic. deleg.& talis receptio solet committi notario. vt not. in c.quoniam. de prob.& Abb. hic nu.9.

§. Verùm.

A subdelegato cum iurisdictione appellari potest.

QVIA talis subdelegatus dicitur esse iudex, vel totius causæ, vel partis sibi à delegato commissæ.vt in tex. Et quoniam iudex potest grauare partem,cum ex suo arbitrio procedat.Abb.nu.11.Et appellatio est inuenta ad releuandum partes à grauamine.c.vt debitus de appell. Ideo à tali subdelegato, tanquam à iudice, potest licitè prouocari.vt in tex.& infr.§. prox.

SECVS, si sine iurisdictione.

QVIA talis non est propriè iudex, nec habet aliquam causæ cognitionem,in qua possit grauare; sed est executor,qui factum discussum, & decisum per superiorem, de eius mandato debet exequi.glos.supr.in §.prox. ver. executorem. Ideo si pars sentit se grauari

uari, debet appellare à committente, non à commissario, quia est ille, qui grauat, non iste, qui habet parere necesse, Abb. supr. in d. §. nu. 11.

NISI modum excedat, tunc enim potest recusari.

QVIA vbi executor excedit fines mandati, non grauat ille, qui commisit, sed ipse, qui de facto ex suo arbitrio procedit. vt in tex. & c. nouit. de appell. Et quoniam ad euitandum facti grauamen, potest etiam à sententia nulla, & ab actu inualido appellari. c. dilecto. de appell. & l. si expressim. ff. eod. Ideo vt euitetur grauamen facti, appellatio est vtilis, etiam si actus sic gestus per commissarium, sit nullus. Abb. hic nu. 4. Sed debet prius iste executor, tanquam suspectus recusari, & si non vult recusationem admittere, tunc debet ab eo appellari, quia iam grauat in non admittendo iustam recusationem. Abb. supr. in §. prox. nu. 12.

NISI datus sit de partium consensu.

QVIA per huiusmodi consensum, partes confitentur, se non habere illum pro suspecto. supr. c. insinuante. Et quoniam quem aliquis approbauit, amplius reprobare non potest, nisi noua causa oriatur, vel detegatur. d. c. insinuante. & c. pastoralis. de except. Ideo ne talis executor, siue auditor valeat recusari, prouidè statuitur, vt de partium detur, vel recipiatur assensu. vt in tex. & c. horrendus. 32. q. 5. Ab eo tamen potest appellari, licet non possit recusari. l. ex consensu. ff. de appell. & glos. hic. ver. assensu.

§. Porro.

A subdelegato non in totum, appellatur ad subdelegantem.

QVIA delegatus, qui aliquid de iurisdictione sibi reseruat, remanet iudex illius causæ, licet partem causæ alteri commiserit. vt not. supr. in c. cum te. Et quoniam appellatio fit ab inferiori iudice ad superiorem. c. vt debitus. de appell. Et vbi delegatus Papæ remanet iudex, ad eius honorem seruandum, & ad parcendum partium laboribus, & expensis, non ad alium, quàm ad ipsum appellatur. d. c. cum te. Ideo à tali subdelegato ad ipsum delegatum est appellandum. vt in tex. & c. si delegatus. eod. in 6. & l. 1. C. qui pro sua iurisd.

NON autem ad primum delegantem.

QVIA delegatus Papæ in causa sibi commissa repræsentat personam Papæ, & in illa est tanquam delegans ipse honorandus. supr. c. sanè. il 2. Et quoniã si appellaretur ad ipsum Papam aut hoc fieret, vt ipse alteri subdelegaret, & hoc esset frustra, cũ iam adsit iste delegatus, qui nõ grauauit, licet grauauerit eius subdelegatus; aut appellaretur, vt Papa eidem delegato de nouo committeret, & hoc esset magis frustra,

cum ex prima commissione delegatus, iudex adhuc remaneat. Abb.hic nu.4. Ideo ne appellatio sit in vanum, in paruum honorem delegati, & in partium damnum, & laborem; prohibetur in tali casu appellatio ad primum delegantem vt in tex.& d.c.cum te. A subdelegato autem delegati alterius, quàm Papę, potest appellari ad ipsum Papam, omisso medio; quia in illo non habetur repræsentata persona, & iudicium ipsius Papæ. Abb.hic.

SECVS, si subdelegauit in totum.

QVIA delegatus subdelegando in totum, desinit esse iudex, & nulla remanet apud eum iurisdictio. d.c.si delegatus. Et quoniam illa iurisdictio est radicata in persona primi delegantis. d.c. sanè.& l. quandoque.§.qui mandatum.ff.de offic.eius, cui mand.est iur. Ideo in tali casu non ad illum, qui fuit delegatus, sed ad Papam primum delegantem est appellandum.vt in tex.& l.1.§.fin.ff. quis, & à quo.&c. In causa autem appellationis, multa salubriter cauit Concil. Trid. sess.13. de refor.cap.1.& sess.24.de refor.cap.10.& cap.20.

§. Quem.

AVDITOR datus sine partium consensu, recusari potest vt suspectus.

QVIA, cum auditor dicatur ille, qui deputatur à iudice ad aliquẽ articulum examinandum.vt supr.§.1.licet ipse non habeat iurisdictionem in causa, sed tantum exequatur mandata. glos.in d. §.1. ver.executorem. posset tamen grauare partes, mandati fines excedendo.supr.§.prox. Et quoniam, qui potest grauare, potest recusari, si sit suspectus in officio sibi commisso.infr.c.suspicionis. Ideo ex quo non potest imputari partibus, quod consenserint in illum, si talis auditor alicui parti sit suspectus, licitè potest ab ea recusari. vt in tex. & supr. §.verum.

NON tamen sine causa.

QVIA cum delegatus principis habeat à lege, vt possit subdelegare, & auditorem dare.supr.§.1. non tenetur in exercendo ius suũ, habere partium consensum.c.si quis.de for.compet. nam qui vtitur iure suo, nemini iniuriam facit.c.cum ecclesia.de elect. Ideo quem delegatus à Papa deputauerit auditorem, neutra partium poterit recusare, nisi coram ipso delegato iustam recusationis causam ostendat. vt in tex.& infr.§.eius ergo. Et in hoc est differentia inter ius canonicum, & ciuile; nam de iure ciuili recusatur delegatus, etiam principis, licet non probetur recusationis causa; sed satis est, vt recusatio non appareat calumniosa. vt not.in l.apertissimi.& l.cum speciali.C.de iudic. Secus

est de

eſt de iure canonico; nam in eo ſemper exigitur, vt legitima recuſationis cauſa probetur. vt in tex. & d. §. eius. & d. c. ſuſpicionis.

§. Si verò.

SI vnus ex duobus delegatis principis, cum clauſula, appellatione remota, ſubdelegat alteri acceptanti, non poteſt acceptans ſubdelegare, nec appellatione remota, procedere.

QVIA in perſonam iſtius collegæ concurrunt in tali caſu iuriſdictiones diuerſæ ſpeciei, ſcilicet, iuriſdictio delegata, & ſubdelegata. vt in tex. Et quoniam compoſitum ex diuerſis ſpeciebus; non habens per ſe certam naturam, ſeu determinationem, quandoque recipit naturam vnius, quandoque alterius ſpeciei, ex quibus componitur, ſecundum quòd minus iuri præiudicatur, licet vna ſpecies ſit dignior altera. Abb. hic nu. 4. Et quia ſi talis collega poſſet ſubdelegare, ſequeretur abſurdum, quod ſubdelegata iuriſdictio ſubdelegaretur; nulla autem abſurditas ſequitur, ſi delegatus non vtitur ſuo priuilegio in actu ſubdelegandi; Et idem dic reſpectu clauſulæ, appellatione remota. Abb. num. 5. Nam delegatus, etiam principis, non poteſt remouere appellationem, cum nullus citra principem poſsit tollere talem actum, qui pertinet ad ius alterius, & ad defenſionem. Abb. ſup. in §. 1. nu. 3. Ideo quod talis collega poſſet ex ſola iuriſdictione ſibi à principe delegata, non poteſt cum iuriſdictione ſibi à condelegato commiſſa. vt in tex.

QVOD tamen ante acceptationem poterat.

QVIA ante acceptationem iuriſdictionis ſibi ſubdelegatæ, talis collega procedebat tantum, vt principis delegatus. vt in tex. Et quoniam delegatus Papæ habet facultatem ſubdelegandi. infr. c. prox. Et princeps poteſt committere cauſam, appellatione remota, in qua commiſſione videtur eligere induſtriam perſonæ illius, cui cauſam taliter committit, & ſic eſſe priuilegium perſonale illi delegato à principe conceſſum. Abb. hic nu. 3. Ideo quando talis procedebat tantum, vt principis delegatus, poterat alteri cauſam illam ſubdelegare, & eam, appellatione remota, cognoſcere. vt in tex. & ſupr. §. 1.

ET ſi ab iſto fuerit appellandum, appellabitur ad Papam.

QVIA cum totum compoſitum accipiat in mixtura iſtius collegæ naturam alterius ſpeciei, ſecundum quod iuri minus derogatur, vt dictum eſt ſuperius. Et quoniam ſi appellaretur ad ſubdelegantem, reſultaret magna abſurditas; nam ſubdelegans cognoſceret de facto ſui collegæ; cum tamen par in parem non habeat imperium. c innotuit. de elect. Et cum appellatio debeat interponi ad maiorem, non ad parem. c. 2. de conſuet. in 6. Sed quod ad Papam appelletur, nullum

sequitur absurdum, vt dictum est superius, & habetur in c. ad Romanam. 2. q. 6. Ideo ad Papam primum delegantem, non autem ad eius delegatum subdelegantem, erit per oppressos à collega delegato, & subdelegato, appellandum. vt in tex. & c. si duo. eod. in 6.

ETIAM, si fuerit subdelegatus non in totum.

QVIA etiam in tali casu appellatio videretur interposita à pari ad parem. d. c. si duo. & ibi gloss. fin. Ideo siue sit collega subdelegatus in totum, siue in partem, vt euitetur absurditas appellandi ad parem, semper erit ab eo appellandum ad Papam primum delegantem. vt in tex. & d. c. si duo.

§. Eius ergo.

SI delegatus Papæ subdelegat non in totum, pars à subdelegato non poterit appellare ex eo, quòd datus sit sine suo consensu.

QVIA appellatio ita fundatur super grauamine, vt qui non grauatur, appellare nô possit; & si de facto appellet, appellatio de iure non teneat. c. vt debitus. de appell. Et quoniam delegatus Papæ habet à lege, vt possit subdelegare. infr. c. prox. Et qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam. c. cum ecclesia. de elect. Ideo pars non potest appellare ex eo, quod delegatus subdelegauerit sine suo consensu, cum per hoc illam non grauauerit. vt in tex. & supr. §. quem.

POTEST tamen recusari, in ostendendo causam iustam coram delegato.

QVIA nemo tenetur coram suspecto iudice litigare. infr. c. suspicionis. Et quoniam delegatus, qui subdelegauit non in totum, retinet adhuc iurisdictionem super causa sibi delegata. supr. §. porrò. Et remoto subdelegato, iurisdictio redit ad ipsum delegatum. d. §. porrò. Ideo ad ipsum delegatum spectat cognoscere, an sit iusta talis recusatio, vt in tex. & c. si contra. eod. in 6. Vnde recusatio est proponenda coram subdelegato, & probanda coram delegato. Host. hic. Et iste est casus, in quo recusatio non probatur coram arbitris. Et idem est, si recusatur delegatus ordinarij, vel vicarius Episcopi, vt recusatio sit proponenda coram ipso recusato, & probatio suspicionis, propter quam recusatur, sit facienda coram ipso ordinario, & episcopo. vt in d. c. si côtra. Sed videtur dubium, quid si delegatus subdelegauit in totum, & ille subdelegatus recusatur, nunquid probatio sit facienda coram ipso delegato? Et dubitatio videbatur insurgere, quia ex quo ipse subdelegauit in totum, non remansit apud eum iurisdictio, & sic videbatur, quod essent arbitri ad talem cognitionem assumendi, per d. c. suspicionis. Sed dic oppositum, quia ex quo subdelegatus non incœpit exercere iuris-

iurisdictionem, non videtur in eum iurisdictio efficaciter transmissa; vnde cum adhuc ille possit reuocari per delegatum. c. quamuis. eod. in 6. merito etiam in tali casu recusatio debet probari coram ipso delegato. Innoc. hic. & Abb. supr. in §. quem. nu. 3.

ET tunc delegatus definiet.

QVIA sicut est per superiorem prouidendum, ne cuiquam iudex suspectus assignetur, ita per eundem est curandum, ne legitimus iudex malitiosè recusetur. infr. c. suspicionis. Et quoniam cognitio recusationis subdelegati spectat ad subdelegantem, vt dictum est superius. Ideo, vt possit procedi in causa, ipse delegatus debet definire, an eius subdelegatus legitimè recusetur, & sic an debeat esse iudex in illa causa. vt in tex. & d. c. si contra. eod. in 6.

A quo etiam, si noluerit recusationem admittere, appellatur ad Papam.

QVIA tunc delegatus grauat partem, cuius legitimam recusationem non admittit. vt in tex. Et quoniam à grauamine illato à delegato, appellatur ad superiorem delegantem. supra c. ex parte il 2. Ideo si iustam recusationis causam nolit admittere delegatus, sed coram suspecto subdelegato velit cogere aliquem litigare, à tali grauamine licitè potest ad Papam appellari; Et quod post huiusmodi appellationem ipse delegatus facere præsumpserit, iudicari debet irritum, & inane. vt in tex. Vnde nota, quod attentatum post appellationem ab interlocutoria, est ipso iure irritum, & inane; & hoc, si appellatio fuit legitima; ratio est, quia per appellationem legitimam suspenditur iurisdictio iudicis. c. à iudice. de appell. in 6. Et secundum ista intellige. c. non solùm. d. tit. in 6. vbi dicitur, quod attentata post appellationem ab interlocutoria pendent ex futuro euentu; nam dicuntur pendere quo ad nos, qui ignoramus, an appellatio fuerit legitima; sed quo ad ius, statim aut sunt nulla, aut valent, nam quod est certum naturæ, est certum legi. l. si pater. ff. de solut. vnde declarata rationabilitate appellationis, attentata declarantur nulla, & reuocantur per viam attentati. d. c. non solùm. & Abb. hic nu. 4. Hodie Kalendis Nouembris 1610. Summus Pontifex Paulus Quintus retulit in numerum Sanctorum Beatum Carolum Cardinalem Borromeum, Archiepiscopum Mediolanensem, in qua solemnitate, præter varia ornamenta multi valoris, quibus Basilica Sancti Petri refulsit, aderant effigies triginta quinque Sanctorum, qui à Sancto Barnaba Apostolo vsque ad ipsum Sanctum Carolum, Ecclesiæ Mediolanensi præfuere.

Cap. 28. Pastoralis.

DELEGATVS Papæ subdelegatum compellit ad suscipiendam subdelegationem.

QVIA delegato à principe iurisdictio dandi iudicem, est à lege concessa. vt in tex. & l.à iudice. C.de iudic. Et quoniam iurisdictio illa nullius videretur esse momenti, si ad compellendum renitentem, coërtionem aliquam non haberet. vt in tex.& l.fin.ff.de offic.eius, cui mand. est iur. Ideo ne talis iurisdictio videatur delusoria, sicut datur delegato facultas à lege, vt possit subdelegare, ita datur ei potestas ad compellendum subdelegatum, vt illam causam suscipiat. vt in tex. & d.l. fin. Et intellige hic Principem, quemlibet non recognoscentem superiorem, saltem in temporalibus, vt est Papa, Imperator, & alij Reges, qui non recognoscunt hodie superiorem in temporalibus; ad hoc. c.per venerabilem. qui fil.sint leg. & Bart.in l.1.ff. à quibus appell. non lic. Et cum delegatus gerat vices delegantis, & maior sit omnibus in causa sibi commissa. supra c.sanè il 2. potest compellere omnes, quos verisimiliter compellisset ipse delegans. Abb. hic nu.7. Hodie tamen delegatus Papæ non potest subdelegare, nisi illis personis, quibus delegat Papa. vt per c.statutum. §.1. & §.in nullo. de rescript. in 6.

NISI malitiosè se exoneret.

QVIA malitijs non est indulgendum. c.plerunque.de rescript. Et quoniam posset esse, quod malitiose vellet delegatus se exonerare, & committere causam alicui cum læsione alterius. Abb.d.nu.7. Ideo in tali casu ius noluit ei permittere, vt posset illum ad suscipiendam subdelegationem compellere. vt in tex. Et si velit cogere, iustè potest appellari. Innoc. hic nu.2. Et hoc, vbi constat de malitia; nam si de illa non constat, ipsa non præsumitur. glos. ver. exonerare. & S. Tho. & ibi Caiet. 2. 2.q.60. art.4.

IN coactione tamen, deferet suæ dignitati, & personæ.

QVIA eadem pœna est grauior in vna persona, quàm in alia, secundum conditionis cuiusque notabilem differentiam. c.qui contra. & ibi glos. 24. q.1. & Bart. in l.capitalium. ff. de pœnis. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c.disciplina. dist.45. Et in imponenda pœna alicui, est habendus respectus ad damnum, quod per illam potest alijs innoxijs euenire. c. inter. de sent. excõmun. Ideo delegatus debet solicite prouidere, vt si personis superioribus (exigente necessitate) negotium duxerit delegandum, in coactionibus inferendis dignitati deferat, & personæ. vt in tex. & supr. c.sanè il 2. Et in his, super quibus ius non inuenitur expressum, iudex debet (æquitate ser-

te ser-

te ſeruata) ſemper in humaniorem partem declinare, ſecundum quod perſonas, & cauſas, loca, & tempora, viderit poſtulare. c. fin. de tranſact. Quos reſpectus ſæpe iudices non indagantes, in erroris labyrintum intricando impinguntur.c.ſciendum. diſt. 29.

§. Item.

DELEGATVS Papæ, ſicut poteſt committere totam cauſam, ita poteſt citationem.

QVIA citatio eſt pars actuum, qui exercentur in cauſa.ſupr.c.gratum. Et quoniam pars continetur in toto.c.in toto, de reg.iur.in 6. Et cui licet id, quod plus eſt; multo magis id, quod minus eſt, debet licere.c.non debet. ff. de reg. iur. Ideo cum delegatus à principe poſsit totam cauſam committere.vt ſupr.§. prox. Multo magis poterit committere citationem, vel aliam cauſæ partem. vt in tex.& ſupr.c.præterea. Nec obſtat, quod in iudice ante citationem non ſit perpetuata iuriſdictio delegata; & ob id videatur, quod non poſsit compellere ad officium citationis acceptandum: Nam reſpondetur, quod perpetuatio non requiritur quo ad facultatem exercendi iuriſdictionem; alias iudex nunquam poſſet incipere exercitium iuriſdictionis. Abb.hic. & ad idem eſt.c.paſtoralis.§.fin. de reſcript. vbi, ante perpetuationem iuriſdictionis, poteſt fieri ſubdelegatio.

ET punire contemnentem acceptare.

QVIA poteſtas committendi, nullius videretur eſſe momenti, ſi in contemptorem coërctionem aliquam non haberet. ſupr.§. prox. & infr.c.ex litteris. Ideo ex quo datur delegato poteſtas committendi, datur eidem etiam poteſtas ad contemnentem acceptare coercendum. vt in tex.& ſupr.c.præterea. Sed quæritur, nunquid delegatus inferioris à principe, poſſit committere citationis actum? Reſpondetur, quod ſic; quia citatio, quatenus exercetur per nuntium, non eſt actus iuriſdictionalis, ſed eſt nudum miniſterium.l.diem proferre.ff. de arbitr. vbi habetur, quod arbiter poteſt citare per epiſtolam, & per nuntium; & tamen arbiter non habet iuriſdictionem.l. ſed interpellatur. ff.eod. Et articulum non iuriſdictionalem, poteſt etiam delegatus inferioris committere.ſupr.c.prox.§.1.ver. nos autem.

§. Præterea.

SI Papa ſcienter committit appellationem interpoſitam à ſuo delegato dato cum clauſula, appellatione remota, iuriſdictio primi delegati eſt interim ſuſpenſa quo ad executionem.

Quia

QVIA huiusmodi clausula, appellatione remota, non excludit, quin grauamen illatum per iudicem appellanti, possit per superiorem emendari; nec impedit, quin appellatio interposita, sententiæ iniquæ executionem suspendat; sed per eam inhibetur omnis appellatio, quæ à iure non indulgetur expressè. c. pastoralis. de appell. & c. inter cætera. de re iudic. Et quoniam certa scientia principis facit præsumere eum informatum de omnibus, quæ erant in commissione necessariò exprimenda. Abb. nu. 4. Ideo quando Papa causam appellationis ex certa scientia alijs iudicibus committit cognoscendam, videtur appellationem recipere, & iurisdictionem priorum iudicum reuocare, vt interim executio sententiæ illorum suspendatur, donec appellationis merita plenius sint discussa. vt in tex. & glos. ver. discussa.

§. Quia.

ORDINARIVS ad mandatum delegati exequitur sententiam.

QVIA delegatus Papæ in causa sibi commissa iurisdictionem habet super ordinarium, & quemcunque maiorem. supr. c. sanè. il 2. Et quoniam illa iurisdictio videretur delusoria, si aliquam coertionem non haberet. supr. §. 1. Ideo cum ordinarius teneatur in hoc obsequi delegato, si fuerit renuens, poterit per ipsum delegatum aliqua coerctione compelli. vt in tex. & dist. 93. c. fin.

ETIAM, si sciat eam iniustam.

QVIA non cognitio, sed tantum executio per delegatum, in tali casu ordinario demandatur. vt in tex. Et quoniam si executor haberet facultatem denegandi executionem sibi impositam, sæpe diceret, se habere conscientiam in contrarium, & sic ordo iudicialis peruerteretur, & nullus esset litium finis. Abb. hic. Ideo cum in tali casu ordinarius sit merus executor, non debet exceptiones audire. glos. ver. & si sciat. Et cum teneatur obsequi delegato, & si sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat. vt in tex. Et expone, si sciat illam sententiam iniustam, id est, contra ius litigatoris latam; nam super hoc nullam habet cognitionem, sed tantum debet simpliciter illam mandare executioni. vt in tex. Sed si sciat illam esse iniustam contra ius publicum, vt si esset lata auctoritate falsarum litterarum, tunc non deberet ei obtemperare; quia ille non esset delegatus, & per consequens non haberet in eum iurisdictionem, & si istud obijceretur coram tali executore, ipse deberet supersedere executioni, donec referret negotiũ superiori, dummodò malitiose, & calumniose talis obiectio non proponatur. d. glos. & si sciat.

§. Cum

§. Cum autem.

DELEGATVS, qui impeditur die statuta procedere, partem hoc procurantem puniet.

QVIA peruersorum malignitatibus est obuiandum. c. plerunque. de rescript. Et quoniam sæpe contingebat, vt aliqua pars procuraret aliquod impedimentum, per quod iudex non posset die statuta in causa procedere. vt in tex. Ideo statuitur, vt pars, quæ hoc malitiosè procurauerit, per delegatum condigna animaduersione puniatur. vt in tex. & supr. c. de causis.

ET quantum ad diem illam causam committet, appellatione remota, in odium procurantis.

QVIA malitia sua nemini debet prodesse. d. c. plerunque. Et quoniam si in illa die statuta non procederetur in causa per alium de commissione ipsius delegati, quando ipse delegatus per impedimentum procuratum à parte, procedere non potest, pars illa reportaret commodum, & lucrum de fraude sua. vt in tex. Ideo licet regulariter delegatus non possit subdelegare cum clausula, appellatione remota. vt supr. c. prox. §. si verò. tamen in hoc casu conceditur in odium illius malitiosæ partis, vt causam cum tali clausula possit facere per suũ subdelegatum terminare. vt in tex. & glos. fin. hic. De malitia autem poterit iudici constare per coniecturas. c. 2. de renunt. in 6. Nam cum illa consistat in animo, de facili clare probari non potest. l. dolum. C. de dol.

NISI partes negotium prorogent.

QVIA breuitas termini assignatur in litibus principaliter ad partium fauorem, ne laboribus, & expensis diu fatigentur. supr. c. de causis. Et ne ille, qui fouet iniustam causam, de suo commodo, & de alieno damno in futurum iniquè glorietur. l. properandum. C. de iudic. Ideo si partes consenserint ad termini assignati prorogationem, non debet delegatus causam subdelegare, appellatione remota, etiam si vna pars fraudulenter impedimentum procurauerit, sed poterit illam subdelegare sine tali clausula. vt in tex. & supr. §. 1.

Cap. 29. Ex litteris.

SVBDELEGATVS à delegato Papæ iurisdictionem habente, potest coercere impedientem.

QVIA huiusmodi demandata iurisdictio delusoria videretur, si subdelegatus huiusmodi coercionem aliquam non haberet. vt in tex. Et quoniam ad honorem superioris demandantis, & ad congruam

causarum expeditionem, ille, cui causa committitur, super omnibus, quę ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem. supra c. præterea. Ideo non solùm delegatus Papæ, sed etiam subdelegatus cum iurisdictione ad totam causam, vel ad certum articulum, potest coercere impedientes suam iurisdictionem. vt in tex. ex eo enim, quod habet hanc facultatem super principales, intelligitur illam habere etiã in eorum fautores, & in impedientes suam auctoritatem. supr. c. 1. & ex eo, quod est sibi commissa talis potestas cognoscendi, intelligitur etiam translata potestas coercendi. supr. c. super quæstionum. §. 1. & l. 1. §. 2. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd. Qui enim vult consequens, vult & antecedens. c. translato. de constitut.

Cap. 30. Licet.

IVRISDICTIO delegati, re integra, morte mãdantis expirat.

QVIA delegatus non habet iurisdictionem propriam, sed vice fungitur delegantis. supr. c. sanè. il 2. & l. 1. §. 2. ff. de offic. eius. Et quoniam vbi res est integra, adhuc nõ est radicata effectualiter iurisdictio delegantis in personam delegati. supr. c. relatum. & c. gratum. Et extincto iure actoris, extinguitur ius successoris. l. lex vectigalis. ff. de pignor. Ideo cum per exercitium iurisdictionis delegatæ, illa non sit adhuc radicata in persona delegati, extinguitur per mortem delegantis, in cuius persona inhærebat, tanquam accidens in substantia. vt in tex. & d. c. relatum.

Cap. 31. Cum in iure.

NON creditur quis delegatus, nisi delegationem probet.

QVIA ea, quæ accidentaliter proueniunt, & non insunt homini à natura, non præsumuntur, nisi probentur. c. si forte. de elect. in 6. & l. quæcunque. ff. de publ. in rem act. Vnde dicenti in talibus, non autem neganti, incumbit onus probandi. l. 2. ff. de probat. Et quoniam delegatio est accidens adueniens alicui extrinsecus ex potestate aliena. supr. c. sanè. il 2. & Bart. in l. Lucius. ff. de fideiuss. Ideo vt quis credatur delegatus, debet facere de delegatione constare. vt in tex. & c. 1. de procur. Nec obstat, quod quilibet præsumatur bonus. c. vnic. de scrutin. in ordin. fac. & c. fin. de præsumpt. Et sic videatur præsumendum, quod quis non diceret se delegatum, nisi esset, ne committeret mendacium. Nam respondetur, quod vbi agitur de præiudicio alterius, non sufficit præsumptio; sed debet fieri plena probatio. c. cum à nobis. de testib. & glos. in c. sic ut. de sent. excom. Caueat ergo quicunque impetrat à principe, causam alicui committi, vt, si sententia fuerit lata à delegato pro eo, ita bene custodiat commissionem, sicut ipsam sententiam; nam si lapsu

lapſu temporis conueniretur, & oſtenderet ſententiam ſine commiſsione, non valeret ei, niſi etiam de commiſsione probaret; vel niſi lata eſſet ſententia, partibus præſentibus, & non appellantibus; vnde vt nulla dubitatio poſsit oriri, debet facere, vt auctoritate iudicis reſcriptum domini Papæ ſuper tali cauſa factum, redigatur in publicam formam, & inſeratur cum ipſa ſententia. Et ſimiliter alia inſtrumenta procuratoria, quia idem ius eſt etiam de illis, vt ſi oſtenderetur ſententia lata in perſonam procuratoris, vel ſyndici, & in cõtrarium opponeretur, illum non fuiſſe procuratorem, ſi non conſtaret de mandato, ſententia non valeret; ſed vbi eſſent inſerta talia inſtrumenta cum ſententia in publicam formam de iudicis auctoritate, eis crederetur, etiam ſi originalia non apparerent. gloſ. hic. Sententiæ verò ordinarij ſemper ſtatur, & pro ea præſumitur; quia ibi conſtat de iuriſdictione. c. ſicut. de re iudic. & c. hoc etiam. 2. q. 6.

Cap. 32. Cum olim abbas.

PER procuratorem non habentem mandatum de re ad rem, iuriſdictio prorogari non poteſt.

QVIA procurator ad illa ſolummodo intelligitur conſtitutus, quæ in commiſsionis litteris inueniuntur expreſſa. vt in tex. Et quoniam fines mandati diligenter ſunt ſeruandi. l. diligenter. ff. mand. Et ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri non debet. l. ignorantis. ff. de procur. Ideo procurator conſtitutus ad vnam rem, non habet facultatem ſe immiſcendi ad aliam, de qua non fuit per conſtituentem veriſimiliter cogitatum. vt in tex. & l. procurator. ff. de procur. Vnde dicimus, quòd mandatarius ad rem aliquam certo pretio emendam, ſi plus expendit, non repetit à mandante. l. qui aliena. §. libertos. ff. de neg. geſt. Et ſic nota quod licet per principales perſonas poſſit fieri prorogatio iuriſdictionis de re ad rem. l. 2. §. ſed & ſi. ff. de iud. per procuratorem tamen fieri non poteſt, cum non habuerit hanc facultatem ab ipſo principali, à quo dependet eius poteſtas. l. cum Aquiliana. ff. de tranſact. & l. ſi ita. ff. de aur. & arg. leg. Sed ſi procurator excederet fines mandati, domino ſciente, præiudicaret domino, niſi ſtatim contradiceret. c. ſi ſeruus. diſt. 54. & l. fin. ff. quod cum eo, qui in ali. pot. eſt. ſicut & iudex, ſcientibus partibus, ſi excedat fines mandati, eis præiudicat. l. 2. C. com. vtr. iud. Sed licet procurator non poſsit prorogare mandatum de cauſa ad cauſam, vt dictum eſt ſuperius; poteſt tamen illud prorogare de tempore ad tempus; nam qui dat procuratorem, vt confeſtim agat, intelligitur ei permittere, vt etiam poſtea litem peragere poſsit. l. qui procuratorem. ff. de procur. Et ſimiliter procurator poteſt prorogare mandatum ad id, quod eſt propè mandatum. c. cum in cauſis. de elect. & l. iam tamen. §. fin. ff. de iudic. ſolu. Et prorogat ad ea, quæ ſunt præparatoria mandato. l. ad rem mobilem. & l. ad

legatum.ff.de procur.Et ad ea,quæ sunt accessoria,&sequela ad mandatum: l. cuicunque.§.si ei. ff. de instit. act. Cum enim fuerit constitutus procurator ad vnam rem,intelligitur constitutus etiam ad illa,sine quibus in tali causa suum officium exercere non potest. c. præterea. supr. hoc tit.& glos.penult.hic.

Cap. 33. Cum olim magister.

QVI acta causæ relationis iudicum delegatorum, sigilla violando, aperuit, non auditur postmodum contra illa.

QVIA aperiens scripturas alijs destinatas, infert iniuriam illis, à quibus,& illis,ad quos,tales scripturæ mittuntur. Abb.hic nu.4. Et quoniam quis debet puniri in eo,in quo peccauit.c.litteras. de tempor. ordin. Et malitia sua nemini debet prodesse. c. plerunque. de rescript. Ideo vt talis puniatur,in quo peccauit, & ne dolus suus videatur ei patrocinium attulisse,statuitur, vt contra talem scripturam continentem acta iudicum, quam temerè violauit, aliquam exceptionem opponere non possit. vt in tex. Et ex his nota, quod aperiens litteras alijs destinatas, peccat, & potest per superiorem puniri; sed non per hoc est excommunicatus,vt quidam vulgares falsò opinantur; sed debet puniri pœna iudici arbitraria, secundum quod circunstantiæ minuunt; vel grauant delictum.Abb.d.nu.4. & Bart. in l. qui testamentum. ff.de fals. Est enim crimen extraordinarium, ideo non reperitur ei certa pœna imposita,sed extraordinaria,& arbitraria venit imponenda.l.3.ff.de crimin.stellion.& Roman. consl.365.

Cap. 34. Coram.

DELEGATVS subdelegatum collegæ impediti non tenetur admittere, si in rescripto est clausula; quòd si ambo,&c.

QVIA ista clausula,si ambo interesse non possunt, alter solus procedat, non intelligitur, vt si tales non possint interesse per se, vel per alios; quia id raro, vel nunquam contingeret, sed debet intelligi,si alter non possit interesse personaliter. vt in tex. Verba enim in iure sunt in dubio intelligenda in casu contingibili, cum leges debeant adaptari ad ea,quæ sæpe eueniunt.l.nam ad ea. ff. de legib. Et quoniam forma commissionis est diligenter attendenda; nec illius fines sunt per subdelegatum transgrediendi. supr.c.prudentiam. Ideo,licet vbi sunt plures delegati simpliciter dati, quisque eorum possit subdelegare. supr. c. quamuis. vbi tamen sunt dati cum tali clausula prælectionis, non tenetur prælectus admittere subdelegatum alterius impediti, vt sic clausula apposita aliquid operetur. vt in tex. & glos. penult.hic.

Cap.

Cap. 35. Cum R.

LOCVS, ad quem reus securè accedere nõ potest, recusari poterit.

QVIA vbi quis rationabiliter timet de grauamine in obtinenda iustitia, licite potest iudicium illud recusare. infr. c. suspicionis. Et quoniam pars, quæ non potest securè, & liberè accedere ad locum iudicij, grauatur in assequenda iustitia. c. siue. & ibi glos. 33. q. 2. & l. si locus. ff. de iudic. Ideo pars potest legitime recusare locum iudicij, vbi ipsa non potest propter inimicitias, vel alios respectus, securè coram iudice comparere. vt in tex. & d. l. si locus. Et si recusatio non admittitur, potest appellare. c. ex parte de appell.

ET similiter potest recusari canonicus in causa concanonici.

QVIA canonici sunt socij inter se. vt in tex. Et quoniam societas dicitur habere quodammodo ius fraternitatis. l. verũ. ff. pro soc. Et familiaritas, quæ est inter socios, sæpe solet veritatem impedire. c. accusatores. 3. q. 5. Ideo talem iudicem in causa sui concanonici, & socij, meritò habet pars aduersa suspectum. vt in tex. Sed si canonicus daretur iudex pro vno canonico contra alium concanonicum, non posset recusari. glos. 2. hic. quia par affectionis causa omnem suspicionem tollit. l. solum. §. de vno. ff. de ritu nupt. Et istam suspicionis causam, propter quam fit legitima recusatio, comprehende cum alijs in istis versibus.

Subiectus, dominus, & commensalis, amicus,
Incola, canonicus, ac attingens, inimicus,
Si causam similem delegatus tueatur,
Vel si patronus fuit olim, tunc moueatur. glos. hic.

Cap. 36. Cum contingat.

SI mandatur iudici delegato, vt illum absoluat, qui dicit se iniustè excommunicatum, ante probationem illum absoluere debet.

QVIA frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus. l. aliquando. ff. ad sen. cõs. Velleian. Et quoniam in omnẽ euentũ absolutio esset impetranda, siue excommunicatio sit iusta, siue iniusta; dummodo non fuerit nulla; cum etiam excommunicatio iniusta obliget quo ad ecclesiam militantem, licet talis excommunicator veniat puniendus. vt late per Abb. in c. ab excommunicato. num. 10. de rescript. Ideo ex quo præsupponitur vinculum excommunicationis; & excommunicatus non potest stare in iudicio tanquam actor; vt iste possit probare, an iustè, vel iniustè fuerit excommunicatus, antequam admittatur ad probandum, est ab excommunicatione, iuxta formam ecclesiæ,

absol-

absoluendus. vt in tex. & c. ad hæc. de sent. excommunicat.

SI autem dicat excommunicationem nullam, probationem nullitatis ante pronuntiationem admittet.

QVIA vbi excommunicatio est nulla, quis non indiget absolutione, sed est denuntiandus non ligatus. vt in tex. Et quoniam partium assertione, causarum merita panduntur. C. si per vim. l. 2. Ideo ad videndum, an talis possit stare in iudicio, vel non, scilicet, an sit excommunicatus, vel non, est per iudicem examinandum, antequam ad vlteriora in causa sibi commissa procedat. vt in tex. & Abb. nu. 2.

Cap. 37. Venerabili.

SI subdelegatus delegati Papæ iurisdictione vti cœperit, à delegato remoueri non potest.

QVIA iurisdictio per exercitium radicatur in persona delegati, siue subdelegati illam exercentis, & dicitur efficaciter transiuisse in illum. supr. c. relatum. & c. gratum. Et quoniam delegatus, committendo alteri in integrum vices suas, functus est officio suo. vt in tex. Et omnem iurisdictionem videtur à se abdicasse. infr. c. quamuis. in 6. Et vbi iudex est functus officio suo, & eius iurisdictio cessauit, non debet postea se ingerere in causa. supr. c. in litteris. Ideo ex quo iurisdictio est translata in subdelegatum, & non est amplius in delegato, ille non potest postea à tali iurisdictione per delegatum remoueri. vt in tex. & d. c. quamuis.

ET si fecerit contra mandatum, siue excesserit formam rescripti, processus est nullus.

QVIA forma tradita à primo delegante, non solum est seruanda per eius delegatum, sed etiam per subdelegatum, cum iurisdictio, qua ipsi vtuntur, non sit cuiusque eorum, sed est propria delegantis. supr. c. sanè. il 2. Et quoniam vbi deficit forma, corruit actus, cum illa sit, quæ dat esse rei. l. Iulianus. §. sed & si. ff. ad exhib. Ideo si subdelegatus aliter processerit, quàm fuerit à primo delegante impositum, eius processus non tenet. vt in tex. & c. cum dilectus. de elect. A forma tamen rescripti concernente principaliter vtilitatem partis, potest recedi, ipsa parte consentiente. glos. penult. supr. in c. cum olim. il 1. & Innoc. supr. in c. prudentiam.

Cap. 38. Significantibus.

SI delegatus pronuntiauerit, se iurisdictionem non habere, ipsam de consensu partium non reassumit.

QVIA consensus priuatorum non poteſt facere eum iudicem, qui nulli iudicio præeſt. c. ſignificaſti. de for. compet. & l. priuatorum. C. de iuriſd. omn. iudic. Et quoniam iudex pronuntiando se nullam iuriſdictionem habere, quamuis de iure illam haberet, per ſuam ſententiam amittit illam. gloſ. 2. hic. cum ſit functus officio ſuo, ſiue bene, ſiue male pronuntiando. l. iudex. ff. de re iudic. Ideo ex quo per ſuam pronuntiationem expirauit iſtius delegati iuriſdictio, non poſſunt poſtea partes in eum iuriſdictionem conferre. vt in tex. & d. gloſ. 2. Vnde quemadmodum acquirit iuriſdictionem ille, qui ſe pronuntiat iudicem, etiam ſi iudex aliâs non eſſet. vt not. in c. ſuper litteris. de reſcript. ita quis pronuntiando ſe non iudicem, amittit iuriſdictionem, quam aliâs haberet. vt in tex. Et ſibi imputet pars læſa, quæ à tali pronuntiatione non appellauit, nam res iudicata facit ius inter partes. c. cum inter. de re iudic. & l. res iudicata. ff. eod.

Cap. 39. *Suſpicionis.*

ARBITRI electi ad cauſam recuſationis, aſſignant partibus terminum ad probandam cauſam ſuſpicionis.

QVIA ſuſpicionis cauſa contra iudicem aſſignata, non ipſe (qui forſan prouocatus obeſſet) ſed arbitri potius, coram quibus probatio eſt facienda, & ad quos omnia, quæ ad hunc articulum faciunt, pertinere noſcuntur, poſſunt ad hoc terminum aſſignare. vt in tex. Et quoniam ſi partibus non aſſignaretur certus terminus ad probandam cauſam ſuſpicionis, cum interim non poſsit per iudicem de cauſa cognoſci, ipſa principalis cauſa plus debito prorogaretur, & ad ſubterfugiendum illius iudicium, ſępe calumnioſa ſuſpicio opponeretur. vt in tex. & ſupr. c. ſuper quæſtionum. §. fin. Ideo, vt, expedita cauſa recuſationis, poſsit ad principale negotium attendi, eſt aſsignandus ab arbitris certus terminus, intra quem partes teneantur ſuſpicionis cauſam probare; aliâs cenſentur partes intra terminum non probantes, malitioſè opponere. vt in tex. & c. ſi contra. eod. in 6.

ET iudex recuſatus compellit arbitros ad cauſam finiendam.

QVIA iudici delegato, cui commiſſa eſt iuriſdictio, intelliguntur etiam cætera eſſe commiſſa, ſine quibus cauſa explicari non poteſt. vt in tex. & ſupr. c. præterea. Et quoniam per ipſum non poteſt cognoſci de cauſa principali, dum coram arbitris pendet contra eum cauſa recuſationis. vt in tex. & d. c. ſuper quæſtionum. Ideo delegatus poteſt cogere arbitros ad finiendam cauſam recuſationis; & ſi fuerint diſcordes, ad conueniendum in vnam ſententiam, poteſt eos cogere, vt aduocent tertium, vt, quod fuerit per duos eorum definitum, verum eſſe credatur. vt in tex. Et ſi intra terminum eis per iudicem competenter aſſi-

ter assignatum, non fuerit per ipsos causa recusationis terminata, poterit ipse iudex delegatus super negotio principali procedere, ac si nulla fuisset suspicio allegata. c. legitima. de appell. in 6.

Cap. 40. Petro.

DELEGATA iurisdictio ad personas in rescripto non expressas, etiam de partium consensu prorogari non potest.

QVIA priuatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli iudicio præest. l. priuatorum. C. de iurisd. omn. iud. Et quoniam iurisdictio delegata non est ipsius delegati, sed delegantis, cuius vices ipse gerit. supr. c. sanè il 2. & ff. de offic. eius. l. 1. Et quod meum est, sine facto meo à me auferri non debet. c. non est. de reg. iur. in 6. Ideo nec delegatus, nec partes possunt prorogare rescriptum delegantis ad personas in eo non expressas. vt in tex. Si tamen causa aliquo modo contingeret personas ibi non expressas, posset ad eas tunc rescriptum prorogari, vt contingentia causæ aliquid operetur. Bald. in l. si qui. C. de audient. episc. Et ad rem aliam potest prorogari iurisdictio inter ipsas partes. supr. c. cum olim il 1. & l. de qua re. §. 1. ff. de iudic. Et est aduertendum, quod per sex casus, seu species, potest discurrere prorogatio, scilicet, de tempore ad tempus, de re ad rem, de persona ad personam, de loco ad locum, de casu ad casum, & de causa ad causam. In quibus autem de istis speciebus, & quando, & per quos possit fieri prorogatio, late tractat hic glos. fin. & Abb. Et regulariter iurisdictio ordinaria est prorogabilis etiam ad personas extraneas. c. significasti. de for. compet. & l. 1. C. de iurisd. omn iud.

Cap. 41. Cum vigesimum.

MAIOR viginti annis potest à quocunque dari delegatus.

QVIA cum talis sit adultus, & proximus ad ætatem firmam vigintiquinque annorum, non habet in se impedimentum naturæ, vt ex defectu iudicij impediatur iudicare. c. 1. §. tria. 3. q. 7. Ideo si aliud ei non obstat, quo ad ætatem, est aptus ad iudicandum. vt in tex. & glos. hic, quæ enumerat ea, quæ impediunt aliquem esse iudicem. & l. cum prætor. & ibi glos. ff. de iudic.

IDEM in maiori decem, & octo annis, dummodo interueniat consensus partium.

QVIA etiam iste accedit ad ætatem firmam, cum non sit amplius impubes. Institut. quib. ex caus. manum. non lic. §. fin. Et si adhuc non bene accedit, partes sibi imputent, quæ consensum in talem delegatum dederunt. l. cum mandato. ff. de minor.

MINOR

MINOR verò decimooctauo anno non potest dari, nisi à principe.

QVIA talis est proximior ad ætatem imperfectam impubertatis tredecim annorum, quam ad perfectam vigintiquinque annorum; vnde cum adhuc præsumatur debilioris intellectus, non censetur aptus ad iudicandum. glos. fin. hic. & l. 1. §. pueritiam. ff. de postul. Et quoniam non solùm in partium fauorem; sed principaliter in fauorem reipublicæ, statuitur, ne tales iudices deputentur, qui male sententiando, iustitiæ statum deuastarent. l. cum lege. ff. de arbitr. Ideo non possunt partes per eorum consensum efficere, vt talis posiit delegatos deputare. vt in tex. & d. l. de postul. Princeps verò potest talem dare delegatum. vt in tex. quia cum talis prohibitio sit de iure ciuili. l. quidam. ff. de re iud. princeps eam tollere potest. l. eius est. ff. de reg. iur. Quod intellige, dummodo ille sit pubes; nam si esset impubes minor quatuordecim annis, non posset princeps eum habilitare ad iudicandum. Abb. hic; nam tunc esset impedimentum naturæ. d. l. cum prętor. Et contra ea, quæ sunt de iure naturali, princeps dispensare non potest. dist. 5. in princ. & Institut. de iure natur. §. sed naturalia.

Cap. 42. Vno delegatorum.

POTESTAS plurium delegatorum, vel arbitrorum simpliciter datorum, expirat per mortem vnius.

QVIA iurisdictio simpliciter delegata pluribus, non est in eius exercitio in solidum apud singulos, sed est apud omnes, qui simul sunt loco vnius, cum omnes iudicare iussi sint. l. duo ex tribus. ff. de re iudic. Et quoniam iurisdictio est res indiuisibilis, & non potest pro parte valere, & pro parte non valere. vt not. supr. in c. pruden tiam. Et in re indiuisibili vitiatur vtile per inutile. glos in c. vtile. de reg. iur. in 6. Et forma commissionis est à delegatis diligenter seruanda. c. cum dilecta. de rescript. Ideò vbi plures sunt simpliciter delegati, vt omnes simul debeant iudicare, si vnus eorum moritur, antequam alteri commisserit vices suas, qui & iurisdictione subdelegata vti ceperit; cum forma commissionis non possit amplius seruari, omnium istorum expirat iurisdictio. vt in tex. & supr. c. licet. Et idem ius est in arbitris. vt in tex. Cum etiam in ipsis militet eadem ratio. glos. & Butr. hic

Cap. 43. Quoniam.

DELEGATVS Papæ subdelegare potest, licet datus sit ex officio, vel de partium consensu, vel cum clausula praelectionis, videlicet, quòd si non omnes, tu cum alio exequaris, &c.

QVIA apostolica sedes intendit prouidere negotijs, & non personis, quibus eadem committuntur. vt in tex. & simile in l. communia. ff. de legat. 2. Et quoniam pro negotiorum expeditione à iure conceditur delegato à principe, vt causam sibi commissam possit alteri subdelegare. vt in tex. & supr. c. pastoralis. Ideo per commissionem alicui factam à Papa, vt causam cognoscat, non intelligitur electa industria eius personæ, sed intelligitur ei concessum, vt, si ipse fuerit impeditus, possit alteri cognitionem subdelegare. vt in tex. & supr. c. si pro debilitate.

§. Is autem.

IS, cui committitur negotium, vt personaliter exequatur, potest, si partes consentiunt, alteri subdelegare.

QVIA licet regulariter vbi requiritur, quòd aliquid personaliter fiat, non sit iuri satisfactum, si per alium fiat. glos. in Clem. 1. ver. publicè, de vit. & honest. cler. & Bart. in l. si quis pro emptore. ff. de vsucap. nam tunc videtur electa industria personæ. glos. hic. ver. vt personaliter. Et quando ad aliquid faciendum eligitur industria alicuius, ipse non potest illud per alium exercere. l. inter artifices. ff. de solut. Tamen quoniam fauori suo quilibet renunciare potest. c. ad apostolicam. de regular. Et in commissione causarum, apostolica sedes principaliter intendit celerem negotiorum expeditionem ad partium fauorem. vt supr. §. prox. Ideo si partes consentiunt, potest delegatus causam subdelegare, quamuis in commissione sit dictum, vt personaliter negotium exequatur. vt in tex. Vnde à forma rescripti fundata super vtilitate partium, potest iudex communi partium consensu recedere. vt not. Innoc. hic. & supr. in c. prudentiam. Et sufficit earum consensus etiam tacitus. glos. penult. supr. in c. cum olim, il 1. Et sic limita. c. cum dilecta. de rescript. & supr. c. venerabili: vbi dicitur, quod processus factus contra formam rescripti, est nullus; illud enim procedit, quando forma rescripti est fundata super vtilitate publica, quæ non est per partes remissibilis; vel quando partes contradicunt, secus vbi consentiunt, & eorum fauori renuntiant. Butr. & Abb. hic.

FALLIT in casibus hic expressis, scilicet, si Papa mandauerit delegato, vt inquisitionem faciat, vel ecclesijs de prælatis, aut alijs ministris prouideat.

QVIA in his casibus Papa eligit fidem, & industriam personæ, considerando principaliter publicam vtilitatem, ne crimina remaneant impunita, & vt potius prouideatur ecclesijs, quàm personis. vt in tex. & glos. ver. inquisitionem. Et quoniam partes non possunt consentire, vt delegatus recedat à forma mandati in concernentibus

tibus principaliter publicam vtilitatem, vt dictum eſt ſuperius. Ideo in his caſibus, & in alijs ſimilibus, vbi principaliter attenditur publica vtilitas, ſi ſit electa induſtria delegati, debet per ſeipſum exercere; & non poteſt, etiam de partium conſenſu, eius vices alteri committere. vt in tex. & infr. eod. c. is, cui. in 6.

ʃ. Cæterum.

I S, cui committitur nudum miniſterium exequendum, non poteſt vices ſuas alteri committere.

QVIA poteſtas ſubdelegādi pendet à iuriſdictione. l. 1. ff. de iuriſd. omn. iud. Et quoniam ille, cui committitur nudum miniſterium exequendum, non obtinet ex tali commiſſione iuriſdictionem. vt in tex. Ideo ille, cui commiſſum eſt certum miniſterium (vt eſt prædicare crucem, vel excommunicare, vel abſoluere aliquos, vel diſpenſare cum irregularibus, vel iniungere pænitentias) non poteſt alijs vices ſuas demandare. vt in tex. & gloſ. penult. hic.


F A L L I T in Legato Sedis Apoſtolicæ.

QVIA Legatus Apoſtolicus gerit vices Papæ, cum poteſtate ordinaria in prouincia ſibi commiſſa. infr. tit. prox. c. 1. Et quoniam per hanc conſtitutionem Papa non intendit derogare tali poteſtati Legatorum. vt in tex. Ideo ſpeciale eſt in Legato Apoſtolico, propter maiorem, & ampliorem auctoritatem, quam habet, vt nudum miniſterium ei commiſſum, poſſit alteri demandare. vt in tex. & c. Legatos. infr. tit. prox. in 6. Sed ex quo nudum miniſterium non eſt commiſsibile, vt in tex. quæritur, nunquid notarius impeditus poſsit facere ſcribere ab alio, inſtrumentum per ſe rogatum, ſe poſtea tantum illi ſubſcribendo? Reſpondetur, quod nudum miniſterium, aliquando implicat aliquid auctoritatis; & tunc non poteſt ille, qui fuit ad hoc iure ſpeciali deputatus, vices ſuas alteri committere; & ſic intelligitur hic tex. Vnde tabellio non poteſt committere publicationem inſtrumenti ex toto alteri, niſi auctoritate iudicis; & ſimiliter nec nuntius citationem; Aliquando nudum miniſterium nō implicat aliquid auctoritatis in faciente; & tunc ſi non fuit electa induſtria perſonæ, poteſt vices ſuas alteri committere; & ſic poteſt notarius imponere alteri, vt ſcribat inſtrumentum, ſiue ille ſit notarius, ſiue non; nam talis ſcriptura ſine ſubſcriptione, non haberet aliquid auctoritatis; & cum non referat, qualis ſit littera inſtrumenti, dummodo legi poſsit, non eſt in ea electa induſtria alicuius; nam induſtria videtur electa in his, quæ ſunt magnæ peritiæ, & quæ per alium non poſſunt æquè bene expediri. Debet tamen tabellio in ſubſcriptione facere de hoc mentionem, ſcilicet, qualiter rogatus fuit de omnibus, & ſingulis ſupra deſcriptis in inſtrumento; ſed præpe-

ditus commisit scribendum alteri, & præmissa attestetur esse vera, & se diligenter examinasse scripturam; & ita est consuetudo in Romana curia. Butr. hic num. 32.

In Sexto. Cap. 1. Statuimus.

CONSERVATOR à manifestis defendit iniurijs.



VIA sicut quis non debet excedere fines mandati, se ingerendo vltra commissionem ei demandatam. extr. c. Petro, & de rescript. c. cum dilecta. ita non debet deficere in officio ei commisso. infr. c. fin. Et quoniam isti conseruatores deputantur à Sede Apostolica, vt specialiter aliquos defendant à manifestis iniurijs, & violentijs, quæ verisimiliter eis timebantur inferri. vt in tex. & infr. c. fin. nam potissimè pertinet ad officium Summi Pontificis occurrere, prout magis requiritur, litigijs, & violentijs, & quemlibet in suo iure tueri. vt not. in c. quærelam. extr. de simon. Ideo tales conseruatores possunt, & debent ab iniurijs, & violentijs manifestis defendere illos, quos Apostolica Sedes eis commisit defendendos. vt in tex. & infr. c. fin.

ET iudicialem indaginem non exercet.

QVIA istis conseruatoribus est solum commissum, vt à manifestis iniurijs, & violentijs defendant, vt dictum est superius; Et manifesta intelliguntur illa, quę notoria sunt, & ita patentia, quod nulla probabili tergiuersatione possunt celari. glos. 1. hic. Et quoniam in notorijs iudicialis indago, & solitus iuris ordo non seruatur. c. ad nostram. il 3. extr. de iureiur. Et si isti conseruatores possent cognoscere de his, quæ iudicialem indaginem requirunt, viderentur esse generales iudices eorum, qui impetrant ipsos. Gemin. hic nu. 2. Quod esse non debet, ne iurisdictio iudicis ordinarij illius loci perturbetur. c. ad hæc. ext. de rescript. Ideo ad ea, quæ iudicialem indaginem requirunt, tales conseruatores nō possunt suam extendere potestatem. vt in tex. Eę si in talibus se intromitterent, pœnam incurrunt. infr. c. fin. Possunt tamen, & debent in citando, & sententiando, obseruare terminos iuris, qui solent obseruari, quando proceditur in notorijs. Innoc. & Archid. hic.

Cap. 2. Quia pontificali.

IN coactionibus, & pœnis, pontificali dignitati defertur.

QVIA in prælato potest considerari dignitas, & persona. extr. c. quoniam. Et quoniam sicut conuenit, vt eius persona delinquens punia-

puniatur. c.vt famæ . de ſent. excom. Ita eſt aduertendum , ne propter eius demerita, dignitas innocens patiatur detrimenta.c.fraternitatem. de donat. Et quia ſi indifferenter eadem pœna cum cæteris particularibus,prælatus puniretur,eſſet in dignitatis vilipendium, & nimium eccleſiaſticus ſtatus,& ordo læderetur.c.ſacro. de ſent excom.& c.fin.ext. de tranſact. Ideo pontificali dignitate præditis ob reuerentiam ſacri officij, quod exercent, plurimum deferri conuenit, & eos plus alijs honorari decet; vt cum,à iudicibus,vel conſeruatoribus à Sede Apoſtolica deputatis, contra eos ad coactiones aliquas , ſiue pœnas,fuerit procedendum, gradus, & modeſtia in huiuſmodi proceſſu ſeruetur; ita quod (eis quadam condigna reuerentia ſupportatis) ingreſſus primò ipſius eccleſiæ, vel ſacerdotale interdicatur miniſterium , ac deinde ab officio ſuſpendantur , & ſubſequenter aggrauetur cenſura eccleſiaſtica contra eos ; niſi fortè aliter fieri ſuaſerit nimia contumaciæ proteruitas , ſiue culpa.vt in tex.& extr.c.paſtoralis .

Cap. 3. Si duo .

DELEGATO procedente cum duobus ſubdelegatis non in totum, ad Papam,non ad condelegatos appellari debet.

QVIA ſi appellaretur ad condelegatos,ſequeretur abſurdum,quod partim appellaretur de pari ad parem.gloſ.1. & fin. hic. Et quoniam quando diuerſis reſpectibus emergunt aduerſa, eligere debemus, quod minus habet captionis. l.quoties nihil. ff.de reg. iur. Ideo in tali caſu eſt appellandum ad Papam primum delegantem , per quam appellationem nullum ſequitur abſurdum. c.ad Romanam. 2.q.6. non autem ad condelegatos pares alterius delegati , à quo partim appellatur.vt in tex. & ext.c.ſuper quæſtionum.§.ſi verò.Et hoc determinatur, quando appellatur à ſubdelegatis non in totum. vt in tex. nam ſi in totum ſubdelegaſſent , non eſſet quæſtio ; cum iam reperiatur clare deciſum,quod tunc eſt appellandum ad primum delegantem.d.c.ſuper quæſtionum.§.porrò .

Cap 4. Si contra.

CVM recuſatur vnus ex delegatis datis cum clauſula, quod ſi non omnes &c. cauſa ſuſpicionis non tractatur coram arbitris,ſed coram coniudice non recuſato.

QVIA iudex cognoſcit,an ſua ſit iuriſdictio, quando illa reuocatur in dubium,& non eſt ſuſpicio , quod partem recuſantem ipſe grauet.c.ſuper litteris.extr. de reſcript. & l. ſi quis ex aliena ff. de iudic. Et quoniam quando plures deputantur iudices, cum clauſula, quod ſi ambo intereſſe non poſſunt,alter eorum in cauſa procedat , vno legi-

legitime recusato, tota iurisdictio remanet apud alium non recusatum, extr.c.cum super. Nec est suspicio, quod talis grauet in pronunciando socium suspectum, vt ipse solus remaneat iudex; quia (licet esse iudicem, sit honor, & maior honor sit, esse iudicem solum, quam cum alio. c. fin.infr.de concess.præb.& l.omnem.C.quando prouoc. non est necesse.) ille honor est tamen ita onerosus, vt pro ipso nemo præsumatur se pronunciaturum iudicem, si verè non sit; cum nemo censeatur appetere onerosa.glos.hic.ver.probari. præsertim in iudice, à quo potest appellari, si grauet in male pronunciando se solum iudicem. infr. c. ab arbitris. Ideo ex vi prædictæ clausulæ, si non omnes &c.cognitio recusationis factæ de vno coniudice spectat ad alium non recusatum, vt ipse pronunciet, an solus, vel simul cum collega, debeat procedere in causa. vt in tex. & glos.ver.in causa. Vbi verò non est dicta clausula in rescripto, debet super tali cognitione suspicionis, ad arbitros recursus haberi. vt in tex. quia quando plures sunt iudices simpliciter dati, vnus sine alio procedere non potest. ext.c. causam matrimonij. & c. vno delegatorum. Et quoniam, qui non potest esse iudex in principali, non potest etiam esse in dependentibus ab illo.c.in nostra.extr.de procur. Ideo ex quo per tale rescriptum quis non potest esse iudex solus in causa principali, non potest etiam esse in causa recusationis alterius coniudicis glos.hic.ver. clausula. Sed ad parcendum partium laboribus, & expensis, quæ fierent, si partes pro tali cognitione recurrerent ad primum delegantem, indulgetur eis, vt pro tali causa suspicionis cognoscenda, habeant recursum ad arbitros, qui de communi eorum consensu eligantur. vt in tex. & extra c.suspicionis.

NEC tractatur coram arbitris, cum recusatur delegatus episcopi.

QVIA iurisdictio ordinaria est fauorabilis. c. irrefragabili. extr. de offic.ordin. Et quoniam facile potest haberi recursus ad Episcopum, vt possit dare alium delegatum, si ille datus est suspectus.glos.antepenult.hic. Ideo cum delegatus episcopi recusatur, recusationis causa coram ipso episcopo est probanda. vt in tex. Sed si ipse episcopus recusaretur, tunc eligerentur arbitri.c. cum speciali. extr. de appell. sicut etiam fieret, si episcopus esset valde absens.c.vltra.3.q.6. & ob argumentum huius tex. à contrario sensu.

ET idem est dicendum, si officialis, siue vicarius, recusetur eiusdem.

QVIA cum possit faciliter heberi recursus ad ipsum episcopum, qui remoueat causam à suo officiali suspecto, vt vel ipse episcopus cognoscat, vel alteri deleget causam cognoscendam, non est elaborandum in arbitris eligendis in præiudicium ordinariæ potestatis episcopalis.glos.antepenult.& fin. hic. Ideo etiam tunc causa recusationis vicarij est coram episcopo probanda. vt in tex. Et sic nota, quod licet

quo

quo ad quædam sit idem consistorium episcopi, & sui vicarij, non tamen est quo ad omnia. supr. cap. 2. & 3. tit. proxim. Et si diceres, non ne appellatio, & recusatio de pari procedunt. c. super eo. il 2. extr. de appell. Respondetur, quod illud intelligitur quo ad modum, vt sicut non admittitur frustratoria appellatio, ita nec frustratoria recusatio. vt not. in d. c. super eo. non autem procedit quo ad omnia; nam recuso, etsi non grauer, tamen non appello, nisi grauer; appello à iudice, in quem consensi, quem tamen non recuso, & in multis alijs sunt dissimiles; & quo ad casum huius tex. ratio est, quia non est de natura recusationis, vt semper eatur ad maiorem, cum possit recurri ad arbitros, qui non sunt superiores iudicis recusati. c. suspicionis. extr. eod. & c. cum speciali. de appell. sed de natura appellationis est, vt eatur ad maiorē. supr. c. prox. & c. vt debitus. extr. de appell. Et appellatio concernit iurisdictionem, quæ in episcopo, & vicario eadem est; sed recusatio adhæret personæ recusatæ; nam licet persona vicarij sit suspecta, non est per hoc persona episcopi. Bald. in l. 1. C. si quacunque præd. potest. Recusatio autem fit solum propter causam suspicionis, licet suspicio ex multis causis insurgat. glos. hic. ver. causa. & not. infr. in c. prox.

Cap. 5. Iudex.

DELEGATVS à Sede Apostolica si sit suspectus, antequam recusatio contra ipsum proponatur, potest licite vices suas committere.

QVIA licet iudex sit suspectus, dum tamen non recusetur, tenet eius processus. glos. ver. proponatur. Ideo ex quo eius iurisdictio manet, manet etiam potestas sibi data à lege, vt possit subdelegare. extr. c. pastoralis. Cum de annexis idem sit iudicium. c. translato. extra de constitut.

ET si totum commiserit, recusari vlterius, aut facta per eum commissio impugnari, nequibit.

QVIA causæ suspicionis afficiunt personam iudicis, non autem iurisdictionem. vt not. supr. in c. prox. Et quoniam personales exceptiones non egrediuntur personam. c. exceptiones. extr. de except. Et vitium auctoris non nocet successori, quando concernit tantum personam auctoris, & non rem transmissam in successorem. l. an vitium. ff. de diuers. & tempor. præscript. secus si concerneret rem transmissam. c. licet ex quadam. extr. de testib. Ideo mutatione personæ, suspicionis vitium aboletur, & si competebat contra delegatum, non per hoc extenditur in subdelegatum. glos. hic. ver. proponebatur.

SECVS, si sibi de iurisdictione aliquid reseruasset.

Quia

QVIA delegatus, qui sibi aliquid de iurisdictione reseruat, saltem in reseruato iudex remanet.ext. c. cum te . Et quoniam de suspicione subdelegati haberet cognoscere . supr.c. prox. Et posset ad se reuocare subdelegatam iurisdictionem.extr.c.super quæstionum.& ff.de iudic.l.iudicium. Et nemo est cogendus coram iudice suspecto litigare . extr.c.suspicionis . Ideo si delegatus suspectus subdelegauerit causam in partem,poterit ipse recusari,& facta commissio impugnari. vt in tex. & glos.ver.aliquid. Consideratur enim ille, qui potest nocere , ac si noceret.l.Labeo.ff.de statu liber.

PROPOSITA recusatione contra delegatum , si nondum est pronuntiatũ super ea,ipse potest de recusatoris assensu subdelegare.

QVIA delegatus à principe habet subdelegandi potestatem , nisi ex aliqua speciali causa impediatur. extr. c.pastoralis . Et quoniam quando est proposita recusatio contra eum , habet impeditum exercitium subdelegandi ex facto recusatoris. glos.ver.recusatoris. Et fauori suo quilibet renuntiare potest. c.ad apostolicam.extr.de regular. Ideo reuocante recusatore tale impedimentum, remanet delegato liberà subdelegandi facultas. vt in tex. & Gemin. nu.3.

SI verò delegatus fuerit pronuntiatus suspectus, non potest subdelegare, etiam volente recusatore .

QVIA per huiusmodi pronuntiationem,delegatus omnino desinit esse iudex.vt in tex. Et quoniam priuatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli iudicio præest. c.significasti. extr.de for. comp. Ideo etiam de consensu partium non potest delegatus pronuntiatus suspectus alteri subdelegare.vt in tex. Cũ enim non habeat tunc iurisdictionem in se,non potest illam alteri dare. extr.c.significantibus.

Cap. 6. Quamuis .

DELEGATVS subdelegans etiam in totum, re integra , causam reassumere poterit .

QVIA iurisdictio non censetur in subdelegatum efficaciter transiuisse , quoadusque ipse inceperit illam exercere. vt in tex. & extr. c.relatum. Et quoniam delegatus non censetur à se abdicasse iurisdictionem , antequã subdelegatus inceperit illam per vsum in se radicare; etiam si in totum subdelegasset, cum talis limitatio intelligatur in subdelegatione inesse. glos. 1. & Gemin. hic. Et quoadusque delegatus remanet iudex,potest ad se iurisdictionem reuocare. extr. c. super quæstionum. Ideo quoadusque subdelegatus in totum,non inceperit vti iurisdictione , potest delegatus commissionem à se factam reuocare. vt in tex. & extr. c.licet. Et vbi subdelegasset non in totum , etiam

etiam re non integra, posset causæ cognitionem, & subdelegatam iurisdictionem ad se reuocare, cum tunc semper remaneat iudex. vt supr.c. prox. & l.iudicium. ff. de iudic. Sed quo ad hoc, vt non valeat processus postea agitatus per iudicem reuocatum, est necessarium, vt ipse certioretur de reuocatione, & ob id est ei intimanda. Bald. in l. mandatum. C. mand. & Francus hic.

Cap. 7. Si delegatus.

SI delegatus subdelegauit, quoties abesset, & mortuus sit, re non integra, subdelegatus procedit.

QVIA qui mortuus est, censetur abesse. vt in tex. Ad essentiam enim hominis duo simul vnita requiruntur, scilicet, anima, & corpus. c.charitas. de pœnit.dist.2. Et quoniam in mortuo ista non reperiuntur vnita; Cum mors sit separatio animæ à corpore. Arist. de vita, & morte. cap.14. Ideo mortuus verè abest, cum non sit in rebus humanis. l.mulieris,in fin.ff. de verb. sign. Et quoniam quando res non est integra, ex quo subdelegatus cœpit vti iurisdictione, etiam per solam decretam citationem, in eum est iurisdictio efficaciter translata, & per mortem delegati illa non expirat. extr. c. relatum. & c.gratum. Ideo si talis subdelegatus cœperit vti iurisdictione, per mortem delegati non desinit esse iudex. vt in tex.& d.c. relatum.

ET similiter procedit, si delegatus subdelegauit, donec reuocaret.

QVIA mors non inducit positionem nouæ voluntatis. l.sancimus. C.de testam. & l. ambiguitatem. C.de vsufr. Et quoniam illa clausula, donec reuocauero, sonat in actum positiuum nouæ voluntatis. Gemin. hic nu.10. Ideo, superueniente morte delegati, re non integra, si commissio non fuerit aliter reuocata, etiam si sit data sub tali clausula, non intelligitur per mortem reuocari. vt in tex. Et etiam ad conseruandam iurisdictionem delegatã, per quam possit facilius negotijs prouideri, est potius facienda ista benigna interpretatio, quàm sit in tali casu illa intelligẽda expirata, & sit alius nouus iudex deputãdus.gl. penult.hic. Secus esset, si in commissione poneretur clausula sonans in actum perseuerantiæ antiquæ voluntatis, vt puta. Papa dispensat, aut commisit causam, vsque ad suę voluntatis beneplacitum, nam tunc, quia sua voluntas per mortem non durat, commissio, & effectus limitatus per illam clausulam, expirant. c.si gratiose. supr.de rescript.

ET semper de subdelegato ad delegatum, qui sibi aliquid iurisdictionis reseruauit, appellari debet.

QVIA delegatus, qui subdelegauit non in totum, adhuc remanet iudex in illa causa, & facit gradum inter se, & subdelegatum.

vt not. extr. in c.super quæstionum. §.porrò.Et quoniam appellatio regulariter est gradatim ad proximum superiorem interponenda. c.anteriorum. §. illo. 2. q.6. & l. præcipimus. C. de appell. Et licet ad Papam possit appellari, etiam omisso medio. c.ad Romanam. 2. q.6. Tamen ex quo delegatus repræsentat eius personam, excipitur, vt in isto casu non debeat immediate ad Sedem Apostolicam appellari, sed ad eius delegatum. vt not. in d.§.porrò; si tamen ad eam appellaretur,& per partem non exciperetur, teneret processus. Archid. hic in fin. Sed si coram Papa excipiatur, & petatur, quod ad inferiorem delegatum causa remittatur, pars petens id obtinebit, antequam etiam ipsa consenserit in talem appellationem. Gemin. hic nu. 9. Ideo à tali subdelegato ad delegatum,qui remanet iudex, regulariter est appellandum,vt in tex. & d.§. porrò. Fallit tamen hæc conclusio in casibus, de quibus habetur,infr. in c.si is, cui, & c. si à subdelegato.

ETIAM post sententiam.

QVIA licet delegatus tunc videatur desijsse esse iudex, per c.in litteris. extr. eod. Tamen quoniam adhuc restat executio sententiæ, quam potest facere delegatus, qui sibi aliquid retinuit de iurisdictione, & potest etiam sententiam retractare per appellationem. Gemin. hic. nu.9. Ideo non est omnino functus officio suo, vt amplius non habeat aliquid se immiscere in causa, & sic non obstat d.c. in litteris,& etiam in tali casu est ad ipsum delegatum appellandum. vt in tex. & d. c.super quæstionum.

Cap. 8. Cum plures.

PLVRIVM delegatorum in solidum quilibet cognoscit.

QVIA tunc dicuntur plures delegati in solidum, & quemlibet eorum habere non solùm iurisdictionem in solidum, sed etiam exercitium iurisdictionis, cum plures dantur iudices, vel executores sub ea forma, vt omnes, aut duo, vel vnus eorum mandatum apostolicum exequantur, aut alia consimili forma. vt in tex. Et quoniam in tali mandato iurisdictio intelligitur esse data alternatiue. glos.hic. ver. forma. Et in alternatiuis sufficit alterum adimpleri. c. in alternatiuis. infr de reg.iur. Ideo tam si omnes simul,quam si vnus eorum solus procedat, in tali alternatiua commissione mandatum delegantis adimpletur. d.glos. hic. Secus est, quando scribitur cum clausula, quod si non omnes, vel ambo,interesse possunt,alter eorum procedat, quia tunc iurisdictio datur conditionaliter, vt,eo casu vnus, vel duo,iurisdictione vti possint, cum constiterit de conditione, & impedimento tertij,vel collegæ; aliter non valeat,quod per ipsos agitur. d. glos. hic. Vnde tunc non intelligitur posse adimpleri mandatum per alterum solum, donec illa impedimenti conditio non existat. extr. eod. c.prudentiam.

ET

ET vno cognoſcente, alij, niſi ex cauſa, ſe non intromittunt.

QVIA ſi quilibet eorum tunc poſſet cauſam cognoſcere, ſequeretur perplexitas, vt eodem tempore ad diuerſa loca quis poſſet citari. c. cum contingat. extr. de reſcript. Et ſic tales delegati ſe impedirent, ſicut dicitur de duobus vſufructuarijs. l. quoties. ff. de vſufr. & neceſſe eſſet pro expeditione, ad ſuperiorem habere recurſum. extr. c. 2. Et quoniam partes per huiuſmodi impedimenta non obtinerent conuenientem cauſæ expeditionem, ſed ſuperfluis fatigarentur laboribus, & expenſis; quod eſſe non debet. c. finem. extr. de dol. & contum. Ideo ad validitatem actus, & cauſæ expeditionem, talis commiſſio interpretatur, vt, vno cognoſcente, alij ſe intromittere non debeant. vt in tex. licet omnes à principio potuiſſent ſimul cognoſcere, & licet quo ad habitum iuriſdictionis, etiam vno cognoſcente, illa remaneat adhuc apud alios, ita quod ſi non timeatur de perplexitate, & ille, qui cępit cognoſcere, ſit impeditus, alij poſſunt ad cauſæ expeditionem ſe intromittere. vt in tex. & gloſ. verſ. de eodem: Non ſic tamen eſt de procuratoribus datis in ſolidum; nam vno incipiente negotium, & poſtea impedito, alij non poſſunt procedere, niſi in conſtitutione fuiſſet dictum, quod non fieret melior conditio occupantis. c. ſi duo. infr. de procur. Et quod dicitur, delegato impedito, qui cognoſcere cępit, poſſe collegam in cauſa procedere, intellige verum, niſi ille, qui inchoauit, ſubdelegatum daret. gloſ. hic. ver. recuſare: qui tamen ſubdelegatus debet præcedere collegam, alias ſi collega præuenit, ipſe collega procedit. Francus hic.

ET perpetuatio vnius, perpetuat quo ad omnes.

QVIA cum omnes ſint dati iudices, vt à principio poſſent ſimul, vel diuiſim procedere, & cum omnes remaneant iudices in habitu, vt, impedito illo, qui cognoſcere cępit, poſſint alij cauſam reaſſumere, vt dictum eſt ſuperius; iſta commixtio, quæ eſt inter tales delegatos debet operari, vt ſi per exercitium vnius, fuerit iuriſdictio in eius perſonam effectualiter tranſlata, ſimiliter intelligatur radicata in perſonis aliorum, vt, moriente delegante, iuriſdictio in illis non expiret, quamuis per vnum ſolum, & non per alios, illius exercitium ſit inchoatum. vt in tex. & Gemin. nu. 12.

Cap. 9. Si ſuper gratia.

EXECVTOR ſuper gratia facta, datus à Papa, mortuo Papa, etiam re integra, gratiam exequitur.

QVIA ſicut ipſa gratia (licet non dum ſit in eius executione proceſſum) morte non perimitur concedentis; ſic æquitas requirit,

vt nec, etiam re integra, perimatur executoribus data poteſtas, quam veluti gratiæ prædictæ acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis: Ne gratiam eandem, vel reddi quandoque omnino inutilem, vel ipſius effectum in tempus longius (cum illius diſpendio, cui facta extitit) differri contingat. vt in tex. & de conceſſ. præb. infr. c. fin. Ex quibus nota, quod licet ſuperueniat cauſa extinctiua; non tamen præiudicat rei, quæ eſt deducta in eſſe perfecto. Gemin. hic. ſecus eſſet, ſi daretur executor ſuper gratia facienda; nam tunc, re integra, per mortem Papæ, executoris expiraret poteſtas. c. ſi cui nulla. & ibi gloſ. infr. de præben. nam facilius impeditur faciendum, quam tollatur iam factum. c. quemadmodum. extr. de iureiur. Vnde executio acceſſoria ad gratiam nondum factam, extingueretur cum extinctione ipſius concedentis. Francus hic nu. 4. licet non expiret ipſa gratia. vt in tex. Dicitur autem gratia facta, cum iam ad collationem eſt proceſſum, licet illa non ſit executioni mandata: ſed quia per huiuſmodi collationem non datur poſſeſſio; ideo datur executor ad immittendum beneficiatum in poſſeſsionē. Gemin. hic. Et quia gratia non expirat per mortem Papæ; ideo ſucceſſor in papatu ſolet poſt promotionem reuocare illas gratias ſuorū prædeceſſorum, quas non vult amplius valere, vt patet in d. c. fin. de conceſ. præb. & in c. is, cui. inſt. de præb.

Cap. 10 Si is, cui.

SI is, cui à ſede apoſtolica cauſa, etiam proprio nomine non expreſſo, eam alteri ſubdelegauit non in totum, & ipſum delegatum excommunicari, ſeu mori contingat; excommunicationis impedimento durante, & per eius mortem, à ſubdelegato ad Sedem Apoſtolicam eſt appellandum.

QVIA ſi abſolutionem, aut ſucceſſorem delegati expectare oporteret, cauſa plus debito prorogaretur, ex quo præiudicium litigantibus cauſaretur. vt in text. Et quoniam litibus, quam citius commode fieri poteſt, finis eſt imponendus. c. finem. extr. de dol. & cont. Et ex facto alterius quis grauari non debet. c. placuit. 1. q. 4. Ideo licet regulariter à ſubdelegato ſit appellandum ad Legatum, qui ſubdelegauit non in totum. ſupr. c. ſi delegatus; in his duobus caſibus mortis, & excommunicationis, eſt ad Papam appellandum. vt in tex. Et idem dic propter eandem rationem, quando delegatus eſſet valde abſens. Gemin. hic. nam eſſe præſentem, & inhabilem ad actum exercendum; vel habilem, & abſentem in longinquum, æquiparantur. c. 2. infr. de procur. Et adde alios caſus ad iſtos. infr. in c. ſi à ſubdelegato. Sublato autem impedimento in caſibus huius tex. ſcilicet, delegato abſoluto, vel ſucceſſore ei dato, eſt appellandum ad ipſum, non autem ad primum delegantem. gloſ. penult. hic. nam excommunicatio ſuperueniens in delegatum,

non

non priuat eum iuriſdictione, ſed impedit ei exercitium illius. Gemin. hic.& not.ſupr.in c.1. de reſcript. Et quando cauſa eſt commiſſa alicui exiſtenti in dignitate, eius nomine præſertim non expreſſo, per illius mortem tranſit in ſucceſſorem dignitatis.extr.c.quoniam. Si verò ſubdelegaſſet in totum,indiſtinctè appellaretur ad primum delegantem. extr.c.ſuper quæſtionum.

Cap.11.Ab arbitris.

AB arbitris iuris appellatur ad Papam.

QVIA cum iſti arbitri ſecundum iuris formam ſint electi, ad ipſum ius,à quo poteſtatem habent, oportet appellari. gloſ.2.hic. Et quoniam Papa eſt lex animata in terris. vt not.in c.1. de cōſt. in 6. Ideo ad ipſum appellatur.vt in tex. Et cum iſti arbitri,iuris diſpoſitione,fungantur vice delegatorum, & habeant delegatam iuriſdictionem,licet illam non poſsint ſubdelegare.Gemin.hic. Ideo ob id etiam debet ab eis appellari ad Papam primum delegantem, ſicut eſſet, ſi appellaretur ab ipſis delegatis. Archid. hic. Vnde in duobus caſibus huius tex. ſcilicet, quando cauſa ſuſpicionis proponitur contra iudicem, & quando inter duos delegatos dubitatur de reuocatione litterarum, an ſcilicet ſecundæ reuocent primas; cum ius ſtatuat, tunc eligendos eſſe arbitros ad has dubitationes ſopiendas,ſi ipſi grauauerint, erit ad Sedem Apoſtolicam appellandū.vt in tex.Et licet iſti arbitri eligantur à partibus. extr. c.ſuſpicionis. ex quo tamen iuris neceſſitate adeuntur, non poſſunt aſſumi,niſi in caſibus expreſſis in iure,& non poſſunt partes dare eis in compromiſſo nouam formam aliter, quàm iure caueatur. Francus hic. & hæc de arbitris iuris. Sed ſunt & alij arbitri, qui compromiſſarij vocantur,& voluntate adeuntur, & ab iſtis non appellatur. c.à iudicibus.2.q.6. & C.de arbitr.l.1. ſupplicari tamen poteſt. vt not. in c.non ſine.extr.de arbitr. Et intellige de ſupplicatione, non ſolum de ea,quæ fieret coram principe, ſed etiam de ea, quæ fieret, implorando officium iudicis inferioris. gloſ. in d.c.à iudicibus. Et quod hic dicitur de arbitris iuris,quo ad appellandum ab ipſis ad Papam,intellige locum habere, etiam in arbitris electis ad audiendam cauſam, quam mouet epiſcopus contra ſuum ſubditum.gloſ.fin.hic.Cum etiam in illo caſu de iuris neceſsitate arbitri eligantur.c.ſi clericus.11.q.1.

Cap.12. Is, cui.

EXECVTOR datus à Papa, ut prouideat perſonæ, ſubdelegat; ſi detur,vt prouideat eccleſiæ,nō expreſſa perſona, non ſubdelegat.

QVIA executores gratiæ dati à Papa,dicuntur eius delegati. gloſ. in c.ſi ſuper gratia.ver.principalis. Et quoniam delegatus principis ha-

pis habet à lege subdelegandi facultatem, quando à delegante non est electa industria eius personæ. extr. cap. pastoralis. secus, quando personæ industria est electa.extr.c.fin. Et quia, quando committitur alicui, vt prouideat certæ personæ, non est electa eius industria; quando verò non exprimitur persona, cui sit prouidendum, est electa eius industria, vt debeat idoneum reperire, cui prouisio ecclesiæ sit facienda. vt in tex. Ideo in priori casu potest executor delegatus alteri vices suas demandare, non autem in secundo. vt in tex.

NISI habeat speciale mandatum.

QVIA vbi exprimitur in commissione, vt quis possit facere per se, vel per alium, tunc ille alius videtur datus ab ipso primo committente, & delegatus, qui eum nominat, siue subdelegat, censetur purus minister, & tanquam pica, & organum ipsius delegantis. c. 1. & ibi glos. ver. substituendi. de procur. hoc lib. Et quoniam vbi apparet de speciali voluntate committentis, illa est attendenda, quamuis in generali commissione talis potestas non veniret. infr. c. fin. §. vices. Ideo licet per generalem commissionem talis executor non potuisset alteri committere vices suas, per specialem tamen formam commissionis hoc potest. vt in tex. Et ob hanc causam, quamuis delegatus ab alio, quàm à principe, de iure communi non possit subdelegare. d. c. pastoralis, si habeat speciale mandatum subdelegandi, poterit subdelegare. glos. fin. hic. Et ita practicatur, cum soleant Legati, & Ordinarij scribere cum clausula, per te, vel per alium, quem ex nunc, &c. Gemin. hic. Subdelegatus tamen, etiam à delegato principis, non potest vllo modo per quamcunque expressionem, alteri vices suas committere, ne in committendo de vno in alterum, videatur dari processus in infinitum. Francus hic.

Cap. 13. Statuimus.

IS, cui aliquid certo loco expediendum committitur, ex iusta causa illud expedire poterit extra locum.

QVIA si talis non posset exequi mandatum citra locum expressum, sæpe propter potentiam, vel malitiam illius, contra quem inquiri debet, siue procedi, seu fautorum eiusdem, mandatum Apostolicum impediretur; & ex dolo, vel fraude, pars illa commodum reportaret. vt in tex. Et quoniam hoc esset malum, & est euitandum. c. plerunque. de rescript. Ideo licet regulariter id, quod committitur expediri certo loco, non possit expediri extra illum locum, ne forma mandati transgrediatur. glos. 1. hic. Si tamen per partis malitiam, vel ob aliam rationabilem causam non posset in loco expresso tale mandatum expediri, conceditur à iure facultas ei, cui facta est commissio, et etiam

extra

extra locum expreſſum, mandatum Apoſtolicum exequatur. vt in tex. Sicut etiam per conſenſum partium tacitum, vel expreſſum, poſſet hoc facere, ſi aſsignatio illius certi loci reſpiceret principaliter partium fauorem. Francus hic. nam partes in concernentibus principaliter eorum fauorem, poſſunt prorogare iuriſdictionem de loco ad locum, & alterare formam commiſsionis. vt not. extr. in c. de cauſis. & c. Petro. ſecus in concernentibus principaliter publicam vtilitatem. d. c. de cauſis. Sed ſi ab epiſcopo, & alio inferiori ordinario fieret talis commiſsio, non poſſet expediri extra locum in ea aſsignatum, ſed in caſu difficultatis eſſet recurrendum ad ipſum ordinarium, qui ſuper hoc prouideret, vt, vel eidem expreſſe committeret facultatem exequendi etiam extra illum locum, vel alio modo, conſuleret negotio; & ratio diuerſitatis eſt; quia ad ipſum ordinarium poteſt de facili haberi recurſus, cum exiſtat in prouincia; quod non ita eſt in Papa, qui committit per vniuerſum orbem. gloſ. 2. hic. Et hinc eſt, quod quando recuſatur delegatus Papæ, eliguntur arbitri ad cognoſcendam cauſam recuſationis, quia eſſet difficile recurrere ad Papam; ſi verò recuſetur delegatus ordinarij, non eliguntur arbitri, ſed recurritur ad ipſum ordinarium, cum id de facili fieri poſsit. vt ſupr. in c. ſi contra vnum.

Cap. 14. Si à ſubdelegato.

QVANDO à ſubdelegato non in totum appellatur, quia non admittit exceptionem, per quam denegatur etiam delegatum habere iuriſdictionem, ad primum delegantem appellabitur.

QVIA appellatio debet interponi ad iudicem, qui habeat iuriſdictionem ſuper eo, propter quod aliquis appellat. c. vt debitus. extr. de appell. Vnde qui appellat ad aliquem, præſupponit illum habere iuriſdictionem ſuper re appellata. Francus hic. Et quoniam ſi ille, qui appellat, denegando delegatum habere iuriſdictionem, appellaret ad ipſum delegatum, per conſequens fateretur ipſum habere iuriſdictionem, quod ante negauerat, & ſic eſſet ſibi ipſi contrarius. vt in tex. Et appellans in eo, quod appellat, fungitur vice actoris. c. cum inter. extr. de except. Et in agendo non licet contraria proponere. c. ſolicitudinem. extr. de appell. quamuis liceat in excipiendo. gloſ. fin. hic. Ideo licet regulariter à ſubdelegato appelletur ad delegatum, qui ſubdelegauit non in totum. ſupr. c. ſi delegatus. Tamen in caſu, quo negatur illum delegatum habere iuriſdictionem, vt euitetur abſurditas contradictionis in appellante, non ad ipſum delegatum, ſed ad primum delegantem eſt appellandum. vt in tex. Sicut ad eundem appellatur etiam in alijs caſibus, in quibus, ſi appellaretur ad delegatum, ſequeretur abſurditas. vt ſupr. in c. ſi is, cui. & c. ſi duo. Sed ſi delegatus non ſubdelegaſſet, & negaretur, eum iuriſdictionem habere, potuiſſet coram ipſo proponi

talis

talis exceptio non iurisdictionis.glos.fin.hic.quia iudex bene potest pronuntiare, an ipse habeat iurisdictionem, vel non; & per hoc nulla sequitur contradictio, vel absurditas.c.super litteris. extr.de rescript. & l. si quis.ff.de iudic.

Cap. 15. Hac constitutione.

CONSERVATORES non possunt deputari, nisi episcopi, vel eorum superiores, aut abbates, seu dignitates, vel personatus in cathedralibus, vel collegiatis ecclesijs, obtinentes.

QVIA isti conseruatores dantur, vt tueantur à manifestis iniurijs, & violentijs, personas, vel loca, quibus à Sede Apostolica conceduntur. vt in tex. Et quoniam personæ inferiores non bene possent alios tueri, cum non ita timeantur ab omnibus, sicut potentes; & propter earum statum, & conditionem, potius vilesceret dignitas eis commissa.arg.c.1.extr. de priuileg. Ideo ne talis concessio delusoria videatur, debet solum istis insignibus personis assignari. vt in tex.& ext. c.pastoralis. Et sic nota vnam differentiam inter delegatum, & conseruatorem, quia delegatus potest esse canonicus ecclesiæ cathedralis, conseruator, non.glos.2.hic.

NVLLVS deputati sibi conseruatoris valet esse conseruator.

QVIA ista mutua defensio est iuri suspecta, ne tales inter se colluderent contra alios.Anchar.hic. Et quoniam est cauendum, ne sub specie boni, nascantur iniuriæ.Clem.1. de relig.dom. Ideo prohibetur, ne quis possit esse conseruator sui conseruatoris. vt in tex. Et hæc est alia differentia inter delegatum, & conseruatorem; quia eius, qui est mihi iudex delegatus, possum esse delegatus, saluo iure recusationis, sed in conseruatore est secus. vt in tex. quod intellige, etiam si non opponatur exceptio, per finem huius tex. qui apponit clausulam irritantem factum, ipso iure.glos.fin.& glos.conseruator, hic.

EIVS, cuius sum subiectus, ecclesiastica, vel temporali iurisdictione, conseruator esse non possum.

QVIA in conseruatore requiritur potestas defendendi alterum ab iniurijs.vt in tex.& supr.c. 1. Et quoniam incongruum videtur, vt subditus habeat ad hoc maiorem potentiam, quàm dominus. c.licet. extr. de suppl. negl. prælat. Non enim est seruus maior domino suo. Ioan. cap. 13. Ideo prohibetur, ne subditus possit esse sui domini conseruator. vt in tex. Et hæc est alia differentia cum delegato; quia (saluo iure recusationis) subditum mihi bene possum impetrare delegatum, conseruatorem, non.glos.ver. vel temporali.

EX-

EXCEPTIS Regibus,& Reginis.

QVIA ſi hæc ſpecialitas in ipſis non eſſet, in hoc eſſent peioris cõditionis,quàm ſubditi, cum non reperiantur multi maiores ipſis Regibus, qui poſſent eſſe eorum conſeruatores, ſicut multi reperiuntur maiores dignitate ipſis ſubditis. arg.c.nouit.extr.de iudic. Et quoniam ſublimes perſonæ maioribus ſunt gratijs honorandæ.c.de multa. ext.de præb. Ideo ſicut Reges, & Reginæ dignitatis altitudine præeminent, ſic prærogatiua gratiæ ipſos conuenit anteferri,vt poſsint eum habere cõſeruatorem,qui in reliquis eis ſubditus exiſtat.vt in tex. & infr. de priuil.c.ne aliqui.

CONSERVATORES huiuſmodi,extra ciuitates, ſeu diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcunque procedere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine diœceſum eorundem trahere non præſumant.

QVIA officium iſtorum conſeruatorum eſt odioſum, cum exorbitet à iure communi; & ſit in præiudicium iudicis ordinarij, qui ex officio tenetur cunctos defendere ab iniurijs.Gemin.hic.§.circa. Vnde iura ciuilia prohibuerunt inſtitui conſeruatores loci. vt in Authent. vt iudic.ſine quo.ſuffr.§.nulli quoque iudici.& §.interdicimus. col.2. &, vt nulli iud.lic.hab.loc.ſer. col.9. Sæpe enim ſub ſpecie aliquos conſeruandi,erant delinquentium occultatores, & aliorum iniuriatores,vt in dictis iuribus ciuilibus. Et ob id etiam prohibetur, ne alij, quam Romani Pontifices,poſſint dare tales conſeruatores generales. Gemin.hic. §. conſeruatores. Ideo ſicut delegato non datur facultas citandi vltra locum commiſsionis. ſupr.de reſcript.c.ſtatutum.§.in nullo. multo minus eſt danda conſeruatoribus magis odioſis. gloſ. hic. ver. non præſumant. Poteſt tamen delegatus,de expreſſo partium cõſenſu,extra locum commiſſum procedere.d.§. in nullo: quod conſeruatores,vt magis odioſi,non poſſunt.d.gloſ.hic.

CONSERVATOR non ſubdelegat, niſi ſecundum formam hic poſitam.

QVIA cum etiam cõſeruator ſit iudex delegatus. gl. 1.ſupr.in c. 1. debet gaudere aliqua facultate ſubdelegandi, quæ à lege conceditur principis delegatis.extr.c.paſtoralis. Sed quoniam eius officium eſt magis limitatum, & odioſum, & non poteſt iudicialem indaginem exercere.ſupr.c.1. Ideo non habet tam amplam facultatem ſubdelegandi,ſicut cæteri à principe delegati; ſed ei certa forma traditur, quam,etiam de partium conſenſu, tranſgredi non poteſt. vt in tex. & Gemin.§.circa.

SI conseruatores de alijs, quàm de manifestis iniurijs, & violentijs, scienter se intromiserint; seu ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso per annum ab officio sunt suspensi.

QVIA forma commissionis diligenter est seruanda. c.cum dilecta. extr. de rescript. præsertim quando committitur officium odiosum. c.odia. infr. de reg. iur. Et quoniam istorum conseruatorum commissio non est, nisi ad defendendum aliquam personam, vel locum, à manifestis iniurijs, & violentijs, in quibus iudicialis indago non sit exercenda. supr. c. 1. Et eorum officium est odiosum, vt dictum est superius. Ideo vltra formam commissionis non debent extendere eorum potestatem. vt in tex. Sed quoniam illam frequenter excedebant. vt in tex. Ideo vt limites sibi traditæ potestatis metu pœnæ diligenter obseruent, contra ipsos transgredientes, huiusmodi pœna suspensionis imponitur. vt in tex.

PARS verò, quæ hoc fieri procurabit, sententiam excommunicationis incurrit.

QVIA cum talis pars grauiter delinquat. Francus. §. conseruatores. Ideo meretur, vt ista grauis pœna ipso iure contra ipsam sit inflicta, vt in tex. & glos. ver. incurrat.

A qua non potest absolui, nisi ei, quem sic fatigauit indebitè, primò satisfaciat integraliter de expensis.

QVIA regulare est, vt expensæ legitimę, & propter causam, de qua agitur, factæ, debeant refici per illum, qui indebitè vocauit partem in iudicium c.calumniam. extr. de pœnis. Sed quoniam vbi offensa est dubia, sufficit excommunicato, dare cautionem de stando iuri, & postea est absoluendus; si verò offensa est manifesta, non debet absolui, nisi prius sufficientem præstet emendam. c.ex parte il. 1. extr. de verb. sign. Ideo cum iniuria sit manifesta in hoc casu. Gemin. §. pars. sunt reficiendæ expensæ ante absolutionem. vt in tex. Sed ex quo Papa sibi non reseruauit hanc absolutionem. vt in tex. poterit episcopus illam concedere. c.nuper. extr. de sent.excom.

OFFICIVM conseruatorum expirat ipso iure, quo ad non cępta negotia, per obitum concedentis.

QVIA per mortem delegantis, re integra, expirat iurisdictio delegati; cum non sit adhuc in eius personam efficaciter illa iurisdictio translata. supr. c. prox. & extr. c.relatum. ita quod non sit necessaria exceptionis obiectio. Gemin. hic. §. officium. Et quoniam etiam conseruatores dicuntur delegati. glos. 1. supr. in c. 1. Ideo etiam eorum officium

cium

cium expirat ipſo iure, ſi ante mortem Papæ, non fuerit in conſeruatorem iuriſdictio per exercitium efficaciter radicata. vt in tex. & Franciſ ver. expirare.

CIRCA expenſas, & perſonas in iudicio interuenientes, eadem ſunt obſeruanda in conſeruatoribus, quæ in alijs delegatis.

QVIA ſpecies ſub genere continetur. c. non æſtimemus. 13. q. 2. & Porphirius. cap. de ſpecie. Et ſtatur regulæ, vbi non reperitur exceptio. gloſ. fin. ſupr. in c. is, cui. Et quoniam conſeruatores continentur ſub generali officio delegatorum. gloſ. 1. ſupr. in c. 1. Ideo vbi inter eos, & cæteros delegatos, non reperitur conſtituta aliqua exceptionis differentia, ſunt ſicut cæteri delegati, tam in expenſis, quam in perſonis, exiſtimandi. vt in tex. & gloſ. penult. hic, quæ enumerat ſeptem differentias inter ipſos conſeruatores, & cæteros delegatos.

SI quid contra præmiſſa agatur, eſt irritum, & inane.

QVIA hic apponitur clauſula irritans omnino acta contra huius decretalis diſpoſitionem. vt in tex. Et quoniam vbi apponitur talis clauſula, ſi contra fiat, factum illud eſt ipſo iure nullum, ſine aliqua ope exceptionis. gloſ. fin. in c. ſtatutum. ſupr. de reſcript. Ideo ſi circa conſeruatorum officium fiat contra id, quod hic reperitur conſtitutum, tale factum eſt ipſo iure nullum. vt in tex. & gloſ. fin. hic.

In Clementinis. Cap. vnic. Iudices.

IVDEX ad receptionem teſtium in ciuili à Papa deputatus, licite ſubdelegat.




VIA cum talis ſit iudex, non poteſt dici nudus miniſter deputatus ſolùm ad teſtium examinationem; ſed eſt delegatus cum iuriſdictione ad teſtes citandos, articulos examinandos, & alia, ad huiuſmodi articulum facientia, explenda. gloſ. 1. hic. Et quoniam principis delegato competit à lege poteſtas ſubdelegandi. extr. c. paſtoralis. Ideo ex quo iſte non eſt nudus miniſter deputatus ſolùm ad examinandum teſtes, quo caſu non poſſet ſubdelegare, cum non haberet iuriſdictionem. extr. c. fin. Sed eſt principis delegatus ad certum articulum cum iuriſdictione, poterit, vt cæteri principis delegati, vices ſuas alteri committere. vt in tex. & d. gloſ. hic.

SIMILITER ſubdelegat executor deputatus ad prouidendum certæ perſonæ, cognitione præmiſſa.

QVIA ex quo perſona, cui eſt prouidendum, eſt certa, non eſt electa induſtria perſonæ talis executoris. c.is, cui.eod. in 6. Et ex quo datur ei poteſtas de meritis perſonæ cognoſcendi, non committitur ei ſolùm nudum miniſterium exequendum; ſed ſimul cum executione facienda, conceditur ei iuriſdictio exercenda. gloſ. hic. ver. repererint. Et quoniam executor datus à principe cum iuriſdictione, dicitur eius delegatus. d.c.is, cui. Et delegatus principis poteſt ſubdelegare, quando eius induſtria in cauſa ſibi commiſſa non eſt electa. extr. c.fin. Ideo talis executor poteſt, vt cæteri principis delegati, vices ſuas alteri demandare. vt in tex. & d.gloſ. repererint.

In Extrauag.commun. Cap.vnic. Sedes.

LITERAE apoſtolicæ impetratæ ad gratias, ſeu ad lites, in aliquibus ciuitatibus, ſeu diœceſibus, dum erant integræ, non obſtante diuiſione facta de ipſis in duas, ſeu plures ciuitates, ſeu diœceſes, debent habere illum vigorem in ſic diuiſis, quem habebant in illis, dum integræ remanebant.



QVIA huiuſmodi diœceſum diuiſionem ſolet facere Sedes Apoſtolica ad diuini cultus augumentum, & populi ſalutem, quando populus eſt in aliquibus locis ſic multiplicatus, quod vnicus paſtor non poteſt ſingulorum vultus inſpicere, & alias boni paſtoris partes implere. vt in tex. Et quoniam Papa non intendit tunc alicui detrimentum afferre. vt in tex. Ideo per huiuſmodi diuiſionem quis non amittit ius, quod per litteras Apoſtolicas ad gratias, ſeu ad lites, in ipſis diœceſibus habebat. vt in tex. & ſupr. in extrauag. Ioan. XXII. de conceſſ. præb. c.1. vbi hæc eadem decretalis replicata habetur.

Liber Primus. Titulus XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

In Decretal. Cap.1. Cum non ignoretis.

LEGATVS Papæ, etiam per ſimplicem querelam, adiri poteſt.

QVIA Legatus Papæ gerit in prouincia ſuæ legationis vices Papæ. vt in tex. Et concurrit de iuriſdictione cum quolibet ordinario

nario existente in sua prouincia, qualiscunque ille sit, siue Abbas, siue Episcopus, siue Archiepiscopus, vel Patriarca; vnde potest exercere ea, quæ per istos exercentur ratione ordinariæ potestatis. Specul. in tit. de legat. §. nunc ostendendum. ver. Legatus. Et quoniam Episcopus potest per simplicẽ querelam adiri. infr. tit. prox. c. 1. Ideo potest similiter adiri etiam Legatus. vt in tex. & not. in c. conquestus. 6. q. 3.

Cap. 2. Studuisti.

DE causa specialiter delegata à Papa, Legatus se intromittere non potest,

QVIA delegatus Papæ in causa sibi commissa gerit vices Papæ specialiter, & in illa est omnibus maior. supr. tit. prox. c. sanè. il 2. Legatus autem generalis in prouincia gerit vices Papæ generaliter. supr. c. prox. Et quoniam mandatum speciale derogat generali. vt in tex. & de rescript. c. 1. Ideo commissionem alteri factam à Papa specialiter, generalis Legatus impedire non potest. vt in tex. Ecclesiasticus enim ordo confunditur, si sua iurisdictio vnicuique non seruetur. c. peruenit. 11. q. 1. Is tamen, qui impetrauit rescriptum ad delegatum, potest conueniri, & præueniri coram Legato, tanquam ordinario, nec proderunt tunc sibi litteræ speciales, ex quo eis non fuit vsus ante citationem sibi factam per Legatum. Abb. hic nu. 3. Et similiter, licet Legatus non debeat se intromittere in causa specialiter à Papa alteri delegata; tamẽ si aliqua causa oriretur de nouo, vel detegatur antiqua, quæ verisimiliter non fuit considerata tempore mandati specialis, & est talis causa, quæ si fuisset tunc considerata, non emanasset verisimiliter illa commissio specialis, in tali casu posset Legatus generalis impedire delegatum specialem, & in illa causa se intromittere. Abb. hic.

Cap. 3. Nisi. & Cap. 4. Quod translationem.

LEGATVS, etiam de latere, ex generali legatione non potest transferre episcopos, vel vnam ecclesiam cathedralem alteri subijcere, & alteri concedere ius primatiæ, vel duos episcopatus vnire, vel vnum diuidere.

QVIA istæ sunt de maioribus causis, quæ in signum priuilegij singularis sunt tantum Summo Pontifici reseruatæ. vt in tex. Et quoniam maiora non committuntur sine speciali mandato. l. Pomponius. & l. mandato. ff. de procur. Et in generali concessione non veniunt ea, quæ verisimiliter quis non esset in specie concessurus. l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. & l. qui peculij. ff. de pecul. Ideo quantumcunque sit magna auctoritas Legati de latere, & multa posit, quæ non possunt

alij

alij Legati, qui dicuntur missi, vel nati. glos.infr.in c.penult.& Abb.hic, sine tamen speciali concessione ad istas maiores causas manus extendere non debet, cum in talibus ei non censeatur concessa potestas. vt in tex. & c. maiores. de baptism. Quæ autem sint reliquæ maiores causæ specialiter Papæ reseruatæ, præter illas in hoc tex. enumeratas. not.hic glos.& enumerantur his versibus.

Restituit Papa solus, deponit & ipse;
Articulos soluit, synodumque facit generalem,
Transfert, & mutat, appellat nullus ab ipso;
Diuidit, ac vnit, eximit, atque probat. glos. hic. Et alias plures enumerat Specul.in tit.de offic.leg.§.nunc ostendendum. & Hostien. in sum.huius tit.

EXCOMMVNICATOS tamen propter manuum iniectionem in clericos, absoluere potest.

QVIA quamuis hæc absolutio Papæ reseruetur.c. si quis suadente..17.q. 4. Ex quo tamen illa tendit in fauorem animarum, vt periculũ moræ euitetur. gl.1. infr.in c.penult. Ex approbatione Romanæ ecclesiæ est inductum, vt ex ipso legationis officio, competat Legatis de latere hæc absoluendi potestas. vt in tex.& de sent.excom.c. ad eminentiam.

Cap.5. Licet.

EX quo legatus retulit causam Papæ, illius desinit esse iudex.

QVIA superioris auctoritas illudi videretur, si dum causa sub eius examine, per relationem sibi factam, pendet, posset inferior aliquid iudicando immutare.c.nomen.2.q.1.& l.1.C.de relat.

Cap.6. Dilectus.

LEGATVS de latere confert beneficium vacans, licet illud spectet ad præsentationem alicuius clerici.

QVIA plus iuris habet in concessione prælatus, quàm in præsentatione patronus.vt in tex. Nam prælatus confert de iure, patronus de gratia; prælatus dat ius in re, patronus ad rem.Abb.hic. Et quoniam Legatus de latere potest conferre beneficium, quod alias contulisset prælatus, præueniendo eum in collatione.c.si à sede. de præb. in 6. Ideo multo magis potest illud conferre, si spectet ad præsentationem clerici, sine ipsius requisitione. vt in tex. nam si vinco fortiorem te, multo magis vincam te. l. de accessionibus. ff. de diuer. & tempor. præscr. Et consideratè dixit de patrono ecclesiastico; nam si patronus est laicus, vel clericus habens præsentationem ratione patrimonij, non potest Legatus conferre beneficium sine consensu illius.c. cum dilectus. de iu-

de iurepatr. nam non debet patronus laicus, qui dotauit, vel fundauit ecclesiam, priuari isto suo iure, præsertim, ne propter hoc alij retraherentur à fundatione, & dotatione ecclesiarum. glos. penult. in d. c. cum dilectus. Papa tamen potest etiam tale beneficium libere conferre; sed non censetur, hoc velle facere, nisi exprimat in litteris. glos. in Clem. 2. ver. apostolicis. de præb.

Cap. 7. Nouit.

LEGATVS in pluribus locis, potest in quolibet dictorum locorum iurisdictionem suam exercere, ita quod facta vnius loci potest in alio explicare.

QVIA Legati iurisdictio est ordinaria in tota prouincia ei commissa. c. 2. eod. in 6. Et quoniam iudex ordinarius potest exercere iurisdictionem in quolibet loco sibi subiecto. c. cum episcopus. de offic. ordin. in 6. & l. 1. ff. de offic. procons. Ideo Legatus in prouincia non transgreditur terminos suæ potestatis, in quacunque parte legationis existat, ibi iurisdictionem exercendo. vt in tex. & glos. 1. in d. c. cum episcopus. Et hæc sunt vera, tam in iurisdictione contentiosa, quàm in voluntaria; sed ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, potest etiam extra prouinciam exercere, contentiosæ verò, non. glos. hic. Contentiosa autem iurisdictio dicitur illa, quæ redditur in inuitos, & exercetur cum causæ cognitione, iudice pro tribunali sedente. Voluntaria verò dicitur illa, quæ exercetur inter volentes tantum, & fit sine causæ cognitione, & absque eo, quod iudex pro tribunali sedeat. glos. hic. & glos. 1. in l. 2. ff. de offic. proconf.

Cap. 8. Volentes.

PRAESENTE Legato de latere, minor Legatus executionem officij sui dimittere debet.

QVIA minor debet deferre reuerentiam maiori. c. denique. dist. 21. vbi dicitur, quod sacerdos non debet benedicere in præsentia episcopi, sed debet ipsi episcopo deferre; vnde celebrando missam, insinuat episcopo, vt benedicat; & si episcopus vult benedicere, non benedicit presbyter; si verò episcopus non vult benedicere, concedit presbytero, vt benedicat. glos. in c. ecce. dist. 95. Et quoniam Legatus de latere est maior cæteris Legatis, cum sit Cardinalis. c. 1. eod. in 6. & glos. infr. in c. penult. & cum destinetur de ipso latere Papæ. vt in tex. Ideo pro Sedis Apostolicæ reuerentia, eo præsente, minor Legatus executionem sui officij dimittere debet. vt in tex. & c. antiqua. §. dominicę. de priuil. Ipso verò recedente, potest minor Legatus sui officij executionem reassumere. glos. hic. quia eius officium per illius præsentiam erat

erat suspensum, non extinctũ.c.peruenit.11.q.1.& l.in hac.C. de donat.

Cap.9. Excommunicatis.

LEGATVS non de latere, sed ratione personæ, extra prouinciam sibi decretam, absoluere nequit excommunicatos pro iniectione manuum in clericos.

QVIA potestas Legati commensuratur ex limitibus priuilegij sibi concessi. Butr.nu.7. Et quoniam Legatis non de latere nulla est concessa potestas super casibus Papæ reseruatis, extra prouinciam eis subiectam.glos.2.hic. Ideo talis absolutio, quæ de iure est Papæ reseruata.c.si quis suadente.17.q.4. extra prouinciam per Legatum non de latere impertiri non potest, nisi de speciali gratia ei à Sede Apostolica talis potestas concedatur.vt in tex.& glos.supr.in c.nouit.

NEC etiam in prouincia, si tales excommunicati aliunde veniãt.

QVIA hæc absoluendi potestas datur tali Legato cum limitatione, vt sit intra prouinciam, & in sibi subiectos, non autẽ in aliunde accedentes. vt in tex. Ideo non debet excedere formam commissionis sibi præfixam.c.sanè.de priuil. Sed nunquid talis Legatus potest absoluere suos subditos, qui alibi excommunicationem incurrerunt? Host.hic censuit, quod non, per istum tex. dum dicit: Aliunde contingat accedere; sed communiter tenetur cõtrarium, vt refert Specul. eod. tit.§.nunc dicamus.ver.illud. nam quemadmodum ipse potest subditos extra territorium delinquentes punire. vt in c. cum contingat. de for. comp.ita & absoluere, gl.supr. in c.nouit. & fac.16.q.3.c.placuit.vbi gl. inquit, quod de delicto commisso extra parochiam, potest proprius sacerdos absoluere parochianum suum. Et sic est dicendum, vt iste tex.intelligatur de venientibus aliunde non subditis. Abb.hic nu.6. Et cum hoc cap.indulgeat istis Legatis beneficium, debet late intelligi.c. olim. de verb.sign.& l.fin.ff.de constit.princ.

LEGATVS vero ratione dignitatis nullos tales absoluit.

QVIA Legatus ratione loci, siue dignitatis, est perpetuus, sicut est dignitas loci, cui inhæret talis legatio.c.quoniã.supr.tit.prox. Et quoniam si isti Legati possent absoluere excommunicatos, clerici illorum locorum perderent priuilegium, quod habent per c. si quis suadente.17.q.4. nam percussores eorum nunquam tenerentur ire ad curiam, cum ibi haberent superiorem, qui eos absolueret. Butr.hic nu.15. Ideo ius noluit concedere, vt qui ecclesiarum suarum prætextu, legationis sibi vendicãt dignitatẽ, valeant alicui (quãuis subdito, & in prouincia sua existenti) huiusmodi absolutionis beneficiũ impertiri, nisi de speciali gratia eis à Sede Apostolica hæc facultas concedatur.vt in tex.

Cap.

Cap. 10. Nemini.

DVRANT Legati statuta, etiam legatione finita.

QVIA Legati Papæ habent iurisdictionem ordinariam in prouincia sibi decreta, in qua æquiparantur proconsulibus, & præsidibus. c.2.infr.in 6. Et sunt in iurisdictione maioris auctoritatis, quam episcopi.glos.1.hic. Et quoniam proconsules, & præsides possunt condere leges,& statuta perpetuò mansura.l.formam.ff.de offic.præfect. prætor.orien.& ff.de offic.præfect.vrb. l.1.§.fin. Et similiter possunt facere episcopi constitutiones in sua diœcesi.c.si quis. de maior. & obed. quæ sint perpetuæ,nisi expresse per successorem reuocentur. glos. in c. à nobis.il 1.de sent.excom. Ideo idem, & multo magis,debet posse Legatus Papæ.vt in tex.siue sit de latere,siue missus,siue datus.glos. hic. & d. c.2.in 6.

FINITVR tamen sui delegati iurisdictio, si citatio nõ præcessit.

QVIA iurisdictio non est in delegatum efficaciter translata,donec, per citationẽ ad minus,nõ fuerit illius exercitiũ per delegatũ, assumptum; sed adhuc censetur solum remanere in delegante.c.licet.& c.gratum.supr.tit.prox. Et quoniam,finita legatione,iurisdictio non est amplius in legato.glos.2. hic. Et nemo potest dare, quod ipse non habet.c.quod autem. de iurepatr. Ideo si ad minus non præcesserit citatio delegati,priusquam finiretur iurisdictio Legati delegantis, causa,ab eo antea commissa,non poterit postea per eius delegatum cognosci. vt in tex.& d.c.licet.

In Sexto. Cap. 1. Officij.

LEGATI non Cardinales, sine speciali mandato, iure legationis, beneficia conferre non possunt.



VIA in mandato generali,quantumcunque pleno, non veniunt requirentia speciale mandatum, nisi aliud exprimatur.c.2.infr.de præben.& l. mandato. ff.de procur. Et quoniam facultas conferendi beneficia, requirit speciale mandatum.infr.c.præsenti.& c.deliberatione: Præsertim vbi facultas illa esset alteri præiudicialis; cum Papa non intendat tollere ius tertij,nisi id exprimat.c.1. supr. de constitut. Et ista facultas in Legato,esset præiudicialis episcopo loci.d.c.præsenti,& glos. fin.hic. Ideo Summus Pontifex remedijs inuigilans subditorum,statuit, vt ecclesiæ Romanæ Legati,quantumcunque plenam legationem obti-

neant, siue ab ipso fuerint missi, siue suarum prætextu ecclesiarum, legationis sibi vendicent dignitatem, ex ipsius legationis munere, conferendi beneficia, nullam habeant potestatem, nisi hoc alicui specialiter duxerit indulgendum. vt in tex. Non enim plus possunt isti Legati, quā eis committatur. extr. c. excommunicatis. Vnde eorum gratiæ, & rescripta sunt aduertenda, an formam commissionis excedant, vel intra illam se contineant. c. porrò. infr. de priuil.

SED Legati Cardinales hoc bene possunt.

QVIA sicut ipsi honoris prærogatiua lætantur; sic vult Summus Pontifex, eos auctoritate fungi ampliori. vt in tex. Ideo iure legationis de latere, eis competit hæc conferendi potestas, sicut & alia eis competunt, quæ non possunt alij Legati missi, vel nati. vt in tex. & extr. c. quod translationem.

Cap. 2. Legatos.

LEGATVS Papæ habet iurisdictionem ordinariam.

QVIA deputatus certo territorio cum generali commissione iurisdictionis, dicitur habere illam ordinariam. c. cum ab ecclesiarum, & ibi glos. 1. extr. de offic. ordin. & glos. in Clem. & si principalis. de rescript. Et quoniam Legati, quibus in certis prouincijs à Papa committitur legationis officium, vt ibidem euellant, & dissipent, ædificent, atque plantent, dicuntur ibi deputati cum generali commissione iurisdictionis. vt in tex. Ideo ad instar proconsulum, cæterorumq. præsidum, quibus certæ sunt decretæ prouinciæ moderandæ, tales Legati sunt prouinciarum sibi cōmissarū iudices ordinarij. vt in tex. & ext. c. fin.

VNDE per mortem Papæ non expirat eius officium.

QVIA iurisdictio ordinaria non expirat morte concedentis. glos. penult. hic. & glos. in l. quia. ff. de iurisd. omn. iudic. Et quoniam Legatus Papæ habet illam ordinariam. vt dictum est superius. Ideo per obitum Papæ concedentis illa non expirat. vt in tex. & not. Innoc. in c. licet. extr. de offic. deleg. Et hoc, siue res sit integra, siue non. Archid. hic. Præterea, Legatus Papæ dicitur Legatus Sedis Apostolicæ. d. glos. hic. Et quoniam ipsa Sedes nunquam moritur. c. liberti. 12. q. 2. Ideo nec ipsius Legati iurisdictio debet per obitum Papæ cessare. vt in tex. & extr. d. c. fin.

Cap. 3. Præsenti.

FINITA legatione, expirant reseruationes legatorum, & omnis processus habitus super illis.

Quia

QVIA sicut ipse, qui desijt esse legatus, non potest amplius talia, quæ ei competebant ratione legationis, per se exercere, multo minus poterunt alij ab eo deputati. Archid. hic in princ. Nec obstat, quod in causa delegata sufficiat præcessisse citationem factam per delegatum legati, vt causa perpetuetur in illo, legatione finita. extr. c. fin. quia ibi tractatur de commissione iustitiæ, quæ nihil noui dat, sed de iure iam quæsito præcipit cognosci; hic vero tractatur de commissione ex gratia super iure quærendo, quod facilius tollitur, quam ius quæsitum. Gemin. hic nu.4. præcipuè, vt subtrahatur legatis occasio ecclesias aggrauandi. Specul. de legato. §. nunc tractemus. ver. cum talis. Et quoniam vbi quis non assumit partes iudicis, nec facit cum causæ cognitione, illud si non sit in esse producto, non assumit vires post decessum iudicis facientis. l. fin. & ibi glos. ff. de pœnis. Ideo reseruationes, quæ conferunt gratiam super beneficijs, sine iudiciali causæ cognitione, si non habuerunt effectum tempore legationis, finita legatione, non poterunt super illis producere effectum. vt in tex. vt sic, principali perempto, corrumpatur etiam gratia ab illo dependens, non dum perfecta. arg. l. duobus. §. exceptio. ff. de iureiur. Gemin. hic. nu.5.

NISI tunc illa beneficia iam vacantia, sint collata.

QVIA per collationem acquiritur beneficiato ius in re. c. fin. infr. de concess. præb. Et quoniam tale ius est in esse producto. d. c. fin. Ideo non sic tollitur, sicut ius quęrendum. vt dictum est superius; & ob id, si aliquis obtinuit beneficium à legato, vel ab eius executore, legatione durante: postea, legatione finita, non debet talis collatio viribus euacuari. vt in tex. & extr. c. fin.

PENDENTE vna sua reseruatione in ecclesia collegiata, vel de beneficio spectante ad collationem alicuius; legatus in eadem ecclesia, vel beneficio spectante ad collationem eiusdem, aliam facere non potest.

QVIA reseruationes beneficiorum sunt odiosæ, propter duo, scilicet; quia per eas datur via ad vacaturas, & quia præiudicant ordinariæ potestati. glos. hic ver. finitur. Et quoniam ob tales causas sunt restringendæ. vt in tex. Ideo prohibetur, ne, postquam legatus in aliqua cathedrali, vel collegiata ecclesia reseruationem aliquam duxerit faciendam, aliam (illa pendente) faciat aliquatenus in eadem; Nec etiam, postquam alibi reseruauerit aliquod beneficium, ad collationem pertinens cuiuscunque, aliud, quod ad illius collationem pertineat (quamdiù reseruatio pendet alterius) sibi quoquomodò reseruet. vt in tex. Huiusmodi autem reseruationes, & gratiæ ad vacatura, hodie omnino sunt ablatę per Concil. Trid. sess. 24. de reform. c. 19.

ET quod fit contra prædicta, irritum decernitur.

QVIA quod fit contra legem, debet pro infecto haberi. l.non dubium. C. de legib. Sed quoniam vbi apponitur clausula irritans ipso facto gesta contra prohibitionem legis, illa sunt nulla eo ipso, absque ope exceptionis. vt not. in c.quia propter. de elect. & Clem. 1.eod. tit. Ideo ad maiorem expresſionem, vt gesta contra hanc constitutionem sint nulla ipso iure, decernitur, vt quicquid contra præmissa contigerit attentari, eo ipso viribus non subsistat. vt in tex.

Cap. 4. Deliberatione.

CATHEDRALES, vel regulares, vel collegiatas ecclesias, legati reseruare, vel conferre non possunt.

QVIA reseruationes, & collationes, quæ fiunt per legatos, sunt tanquam odiosæ, & præiudicantes iuri ordinario, restringendæ. vt supr. c.prox. Et quoniam præcipuè conuenit restringere illas, ne fiant de ecclesijs principalioribus, in quibus, propter maius periculum, cautius est agendum.c.ne pro defectu.extr.de elect. Ideo istas maiores ecclesias legati reseruare, vel conferre prohibentur. vt in tex. quamuis isti legati sint Cardinales.vt supr.c.1.Et quo ad reseruationes, est hodie particularis prohibitio Concil.Trid.sess.24.de refor.cap.19.

IDEM in dignitatibus ecclesiarum cathedralium, quæ sunt maiores post episcopos, si ipsarum prælati per electionem debent assumi.

QVIA etiam ista beneficia sunt principalia, & in eis cautius est agendum. c.de multa. extr.de præb.& c.cum in cunctis.de elect. Et quoniam quando in eis proceditur per electionem, præsumitur, quod melior assumatur, cum sint multi ad danda vota, & ad discutienda plurium merita, & qualitates. Archid. hic. Ideo facilius arctatur ab istis dignitatibus potestas legati, quando illarum electio spectat ad multos, quam si prouisio spectaret ad vnum solum. vt in tex. & glos.2. hic. Sed cum maioritas consideretur circa multa, vt circa ordinem, secundum quem archipresbyter est maior archidiacono; circa administrationem, secundum quam econuerso; & circa alia, quæ not. in c. sedes. extr. de rescript. & in c.1. de offic. archipresb. de qua maioritate erit hic intelligendum? Dic, quod de maioritate prælationis, in qua, licet inspicienda sit consuetudo, de iure tamen archidiaconus præest: Vnde is, qui præest post episcopum capitulo, & conuocat capitulum, & similia facit, hac prohibitione inclusus est.glos.2. hic.

ET contra hoc factum, est irritum.

Quia

QVIA hic apponitur clausula irritans ipso facto. vt in tex. Ideo non est opus, vt contrafactum annulletur ope exceptionis. vt not. supr. in c. prox. & glos. in c. quæ contra. infr. de reg. iur.

§. Prohibemus.

LEGATVS non potest alicui committere, quod recipiat resignationem beneficij, & postea illud conferat.

QVIA per hoc aperiri posset via contra Lateranense Concilium ad beneficia vacatura. vt in tex. nam ille, qui appeteret habere tale beneficium, impetraret commissionem fieri, vt idoneę personæ conferret, & impetraret executorem, de quo bene confideret, vt postea ei illud conferret. Ioan. Andr. hic. Et quoniam per huiusmodi impetrationem, & collationem, quis videretur desiderare mortem proximi, in cuius locum, & beneficium, ille crederet, se esse successurum. c. nulla. extr. de concess. præb. Ideo prohibetur, ne ipse Legatus, in genere, aut in specie, cuiquam concedat, vt ab his, qui beneficia intra legationem eiusdem habentes, ea in illius manibus voluerint libere resignare, ipsorum resignatione recepta, illa valeat etiam idoneis conferre personis. vt in tex. & glos. ver. cuicunque.

ET contrafactum, vel faciendum, decernit irritum.

QVIA per huiusmodi decretum irritationis, contrafactum redditur nullum ipso iure, absque ope exceptionis, vt dictum est superius. Sed quoniam constitutiones, & leges dant formam futuris negotijs, & non trahuntur ad facta præterita, nisi in eis nominatim de præteritis caueatur. c. fin. extr. de constitut. & l. leges. la 2. C. de legib. Ideo ad prouidendum etiam circa præteritas, & tunc pendentes huiusmodi illicitas resignationes, & collationes (per alia iura quo ad mentem bene prohibitas, licet non nominatim expressas. vt in d. c. nulla.) clarius statuitur, vt etiam ad tales præteritas hæc constitutio extendatur. vt in tex. & Gemin. §. fin.

Cap. 5. Collatio.

COLLATIO Legati per taciturnitatē prioris beneficij vitiatur.

QVIA sicut impetrans beneficium à Papa, tenetur de priori beneficio, quod habet, quantumcunque illud modicum sit, facere mentionem; alias gratia censetur subreptitia, nisi sit facta motu proprio Papæ. c. si motu. infr. de præb. sic tenetur facere mentionem ille, qui impetrat à Legato. glos. hic. nam si impetrans expressisset, se aliud beneficium obtinere, vel litteras ad istud non habuisset, vel saltem non ita de facili. c. postulasti. extr. de rescript. Cum ille, qui est beneficiatus, regula-

gulariter non reputetur habilis ad aliud beneficium. c.is, cui.infr. de prab. Et quoniam subreptio vitiat gratiam.c.super litteris.extr. de rescript. Ideo collatio beneficij per Legatum Sedis Apostolicæ alicui facta, nullius momenti existit, si in ea non fuerit habita mentio de alio beneficio, quod primitus ille obtinebat. vt in tex. Si tamen Legatus conferret ex motu proprio, cum tunc non possit imputari subreptio impetranti, & Legatus sit in casu, quo habet conferendi potestatem, collatio sic facta teneret. Gemin. hic num.6. Sicut etiam valet collatio facta per episcopum, non facta mentione de priori beneficio, quando est in casu, quo ipse potest illud conferre habenti aliud beneficium. Clement.2.de offic.ordin.

Liber Primus. Titulus XXXI.

DE OFFICIO IVDICIS ORDINARII.

In Decretal. Cap.1. Pernitiosam.

EPISCOPI in suis diœcesibus possunt crimina inquirere, & punire.



QVIA Episcopus in sua diœcesi habet merum imperium.c.si quis episcopus.& ibi glos.2.q.7.& c.nouit.de iudic. Et quoniam inquirere de criminibus, & illa punire, est meri imperij.l.imperium.ff.de iurisd.omn. iudic. Ideo vt sua diœcesis purgetur malis hominibus, & peccata euitentur, potest episcopus ex officio inquirere,& punire. vt in tex.& d.c.nouit. Inquisitio autem ista est facienda secundum quod canones censent. vt in tex. nam inquisitio specialis, & ordinaria non debet fieri contra certam personam, nisi præcedat infamia.c.qualiter.de accusat. Inquisitio verò generalis, & extraordinaria, quæ fit, quando incerta sunt delicta, & personæ, vt visitando diœcesim, vel prouinciam.c.sicut olim.de accusat. & c.Romana.§.sanc. de censib.in 6. vel quando maleficium est certum, sed ignoratur, quis fecerit.vt in l.congruit.ff.de offic.præsid. ipsa potest fieri, etiam infamia non præcedente.c.bonæ il 2.& ibi glos.de elect. & c.1. de postul. prælat. & Bart. in l. 2. §. si publico. ff. de adulter. Et quo ad crimina, quando episcopus procedere possit, est distinguendum, quod quædam sunt crimina mere ecclesiastica, de quibus iudex sæcularis nullo modo se intromitte-

mittere poteſt, vt eſt crimen hæreſis. c. vt inquiſitionis.§. prohibemus. de hæret.in 6. Quædam ſunt crimina mixta,de quibus vterque iudex cognoſcere poteſt,vt eſt ſacrilegium.c.cum ſit generale. de for.compet. & c.felicis.de pœnis. in 6. Regulariter verò de alijs criminibus, quæ non ſunt mera eccleſiaſtica , vel mixta , non ſe ingerit iudex eccleſiaſticus contra laicos in terris imperij , niſi directe quo ad pœnitentiam imponendam,& ad delictum prohibendum.vt in c.nouit. de iudic. Niſi delictum ſit notorium, nam tunc , cum deprehendatur negligentia iudicis ſæcularis,poteſt iudex eccleſiaſticus procedere.d.c.nouit.& c.1.§. notoria.de cenſib.in 6. Et quo ad religioſos exemptos, non iudicabit de eis epiſcopus,niſi cum ratione criminis perdunt priuilegium exemptionis, vt cum delinquunt in loco non exempto. c.ex tuarum.de priuileg.in 6. Textus enim hic debet intelligi de ſubditis,dum dicit , poſſe epiſcopum inquirere,& punire,ſecundum, quod canones cenſent. Butr. hic nu. 12. Et ex quo tenetur iudicare ſecundum canones , debet iudicare ſecundũ allegata, & probata, ſecundum , quod canones diſponunt , & non ſecundum quod iudex , vt priuata perſona nouit. gloſ. 3. hic , & c.iudicet. 3. q. 7. Vbi tamen iudex haberet indubitatam conſcientiam contra probata , ſi illam deponere non poteſt , debet euitare dare ſententiam,ne peccet contra conſcientiam,& ne puniat innocentem.Butr. nu. 21. de quo articulo,vide plene per S.Tho.& ibi Caiet.2.2.q.67.art. 2.& Couar.lib.1.c.1.variar.reſolut.

ET cum opus fuerit,inuocare brachium ſæculare.

QVIA vtraque poteſtas,ſcilicet,eccleſiaſtica, & ſæcularis,debet ſe ad inuicem adiuuare, vt mali extirpentur , & eccleſia Dei innoxia conſeruetur.c.principes.23.q.5.& c.cum ad verum. diſt. 96. Et quoniam delinquentes ſpectantes ad forum eccleſiaſticum , aliquando non ſatis reuocantur à malo per ſolam pœnam illius.c. 2. de maledic. Ideo cum opus fuerit , debet iudex eccleſiaſticus conuocare ſæculare auxilium , non ad præiudicandum , ſed potius ad ea , quæ Deo ſunt placita,proſequendum.vt in tex.& c.adminiſtratores.23. q. 5. Hoc enim ſolum bene agitur, & plectendo , & ignoſcendo , vt vita hominum corrigatur.c.prodeſt.23.q.5.Vnde iudex ſæcularis debet bannire, & animaduertere in rebelles, & inobedientes iudici eccleſiaſtico , non curantes de excommunicatione, & alijs eius pœnis : Et eccleſiaſticus debet interdicere, & excommunicare ſubditos rebelles, & proſcriptos à iudice ſæculari , vel aliter ſe ad inuicem adiuuare,ſecundum quod qualitas, & iuſtitia cauſæ requirit. Abb. hic num.14. Eſt tamen in hoc differentia inter eccleſiaſticum,& ſæcularem, quia eccleſiaſticus poteſt per excommunicationem compellere ſæcularem ad dandum ſibi familiam , & auxilium ſuum,ſed ſæcularis non poteſt compellere eccleſiaſticum . Innoc. hic. quia eccleſiaſticus maior eſt eo . c.qualiter. de iudic. & c. legimus. diſt.

dist.92. Est etiã & alia differentia, quia ecclesiasticus nõ tenetur iuuare iudicem sæcularem, puta, excommunicando eius rebelles, nisi prius fiat sibi fides de processu; nam non debet excommunicare, nisi præmittat admonitionem, & ex iusta causa, sed iudex sæcularis debet obtemperare ecclesiastico, licet non faciat sibi fidem de processu; & hoc, quando ecclesiasticus petit auxilium in iudicio, & est casus, in quo iudex sæcularis non potest cognoscere. Innoc. hic; vt est in crimine hæresis, quod, cum sit mere ecclesiasticum, non potest neque directè, neque indirectè iudex sæcularis cognoscere, sed pura, & nuda executio ad eum pertinet ad requisitionem iudicis ecclesiastici. c. vt inquisitionis. §. prohibemus. de hæret. in 6. Et idem dic per illum tex. vbi alia crimina essent merè ecclesiastica, sed vbi non essent mere ecclesiastica, tunc si traditur aliquis curiæ sæculari, vt quando clericus degradatur, iudex sæcularis non debet eum punire, nisi fiat sibi fides de processu, quia ille efficitur de foro suo, & habet eum iudicare vt subditum, non autem est purus executor, & in isto casu loquitur tex. in Authent. de sanctiss. episc. in §. si verò crimen. Sed si non traditur sibi, vt sit de foro suo, sed iudex ecclesiasticus petit, vt tanquam executor suam sententiam exequatur, debet illam exequi, licet sibi non fiat fides de processu. c. 2. de except. in 6. Verùm si iudex sæcularis sciret illam sententiam esse iniustam, non teneretur illam exequi, saltem in causa criminali. Abb. hic nu. 12. quia non debet esse executor ad malum, sed ad bonum. l. non tantum. ff. de appell. Et similiter, si condemnatus per iudicem ecclesiasticum appellauit ad superiorem, non tenetur sæcularis impendere auxilium ad impediendum progressum appellationis; quia tenetur illud impendere contra rebelles, & resistentes iudici ecclesiastico de facto; secus contra resistentes de iure. Abb. hic. Et in dubio præsumendum est pro appellante, vt Sedi Apostolicæ, ad quam ille recurrit, deferatur. c. directæ. de appell.

Cap. 2. Si sacerdos.

ORDINARIVS, qui scit non vt iudex, sed vt Deus, vel homo, subditum esse criminis reum, indeterminate poterit, sed non nominatim eum arguere, vel punire.

QVIA illud dicitur ordinarius scire vt Deus, quod scit in foro pęnitentiario per confessionem. c. omnis. de pęnit. Illud dicitur scire vt simplex homo, quod per aliquem sensum corporeum apprehendit vt testis. c. cum causam. de testib. Illud dicitur scire vt iudex, quod ordine iudiciario est sibi probatum. c. quoniam. de probat. Et quoniam confessor debet omnino cauere, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat peccatorem. d.c. omnis. Et quis non debet iudicare secundum conscientiam, quam habet de re per aliquem sensum extra iudicium, sed debet iudicare secundum allegata, & probata. vt not.

vt not.ſupr.in c.prox. Ideo neque de eo, quod ſcit vt Deus, neque de eo, quod ſcit vt priuatus homo, poteſt ordinarius vt iudex aliquem nominatim arguere, vel punire, ſed ſecundum allegata in iudicio, debet procedere.vt in tex.& gloſ.3.ſupr.in c.prox.Et vide plenius per S. Tho. part.3. q.8. artic.6.& Sotum in 4.ſent.diſt. 12.q.1. art.6. Bene tamen poteſt indeterminate, & in genere talem arguere, exemplo Domini Noſtri Ieſu Chriſti,qui dixit: Vnus veſtrum me traditurus eſt; Et melius eſſet,ſi homo ille natus non fuiſſet; non tamen Iudam à communione remouit. vt in tex. Matth. cap.26. Et poteſt talem in genere punire, vt dicendo; Quicunque fecerit tale factum, ſit excommunicatus. vt in tex. Et perinde habetur,ac ſi,proprio nomine expreſſo,eſſet excommunicatus, quantum ad Deum; ſed quantum ad eccleſiam non,à qua per hoc ſolum ille non vitabitur. gloſ. hic ver. nominatim. Talis enim admonitio, & correctio facta in genere poteſt prodeſſe, vt ille, qui ſcit ſe eſſe in delicto,corrigatur;& cũ nominatim,vel aliquo ſigno determinato,ipſe non exprimatur, apud alios non infamatur. c.ſi peccauerit. 2. q.1. & c.non vos. 5. q.5. Ideo ſuperior, qui præcipuè debet incumbere ſaluti ſubditorum. ſupr. c.1. huiuſmodi modum corrigendi debet tenere. vt in tex. & d.c.ſi peccauerit. Sed quæritur, nunquid hæc generalis excommunicatio, de qua dictum eſt ſuperius, ſit ferenda, præcedente competenti monitione? Dic, quod ſic. Abb. hic nu.11. nam nec in genere, nec in ſpecie debet ferri excommunicatio, niſi præcedente trina monitione. c.Romana. ver. ſed nec. de ſent. excom. in 6. Sed quid ſi epiſcopus dicat, excommunico vnum de illis, qui tale factum fecerunt? Dic, quod nullus eſt excommunicatus. gloſ. penult. hic. quia poteſtas, & voluntas debent concurrere ad expletionem cuiuſcunque rei. c.cum ſuper. de offic. deleg. & l.multum. C.ſi ſibi, vel alteri. Sed iſte excommunicans non habuit intentionem excommunicandi, niſi vnum, ergo non debet eſſe vterque excommunicatus; nec debet eſſe vnus ex illis,ex quo neſcitur,de quo ſenſerit. Abb. hic. nam præſertim in iſtis ſpiritualibus intentio debet eſſe pura, & certa. c.retulerunt. de conſecr. diſt.4. & ſententia incerta rei iudicatę auctoritatem non continet. l. penult. & fin. C.de ſent. quæ ſine cert. quant. Et faciunt iſta ad interrogationem, quid ſi ſacerdos volens communicare populum, & habebat ante ſe vndecim hoſtias, quas tamen putabat eſſe decem, protulit ſimpliciter verba conſecrationis, nunquid omnes vndecim ſint conſecratæ, vel decem tantum,vel nulla? Et ſalua determinatione eccleſiæ; Dic,quod ſi habebat animum conſecrandi omnes, licet erraret in numero, omnes erunt conſecratæ, quia non deficit intentio; Sed ſi habebat animum conſecrandi decem, & non plures, nulla erit conſecrata, quia incertitudo vitiat, cum non appareat, quas ex illis vndecim voluerit conſecrare. Abb. hic in fin. & not. in rubricis Miſſalis. cap.de defectibus intentionis. Sed an ſacerdos poſsit conſecrare totum panem, qui ſit in

Hhh pla-

platea? Dic, quod non, quia derisorium esset, & contra mentem Christi Domini nostri, vt plus sacerdos conficiat, quam sit opus fidelibus. Butr. hic. in fin.

Cap. 3. Cum ab ecclesiarum.

SI ordinarius subiectus episcopo profert in sibi subiectum iustam censuram ecclesiasticam, episcopus illam seruare debet.

QVIA ad reprimendam peruersorum malitiam, censuræ ecclesiasticæ sunt in canonibus constitutæ, quas, sicut latas à se in subditos vellet episcopus obseruari, ita ritè latas ab alijs ordinarijs; quamuis ei subiectis, debet ipse obseruare. infr. c.ad reprimendam. Ecclesiasticus enim ordo confunditur, si sua iurisdictio vnicuique non seruetur. c.peruenit. 11. q. 1. Et quoniam censura lata per superiorem semper præsumitur iusta, donec contrarium non probatur. glos.penult. hic. Quod tamen procedit, si non fuit appellatum, nam si fuerit appellatum ab excommunicatione, licet appellatio non suspendat vinculum, vt in c. pastoralis. de appellat. suspendit tamen præsumptionem iustitiæ; vnde oportet, quod superior probet causam iustam, sicut contingit in alijs sententijs. vt not. Innoc. in c. bonæ il 2. de postul. præl. & Abb. hic. Et quia excommunicatus in vno loco, est vbique excommunicatus, cum excommunicatio afficiat personam, & eam sequatur, vt lepra leprosum. c. 1. de treg. & pac. & c.cito. 1.q.1. Ideo censura ecclesiastica (siue sit excommunicationis, siue suspensionis, siue interdicti, quæ pœnæ ecclesiasticæ sub tali nomine censuræ comprehenduntur. c. quærenti. de verb. sign.) donec præsumitur per vnum ordinarium ritè lata, debet etiam per alium, quamuis eius superiorem, obseruari. vt in tex. & d.c. ad reprimendam.

ET illam sine satisfactione, & conscientia proferentis relaxare non debet.

QVIA vbi certum est, censuram ecclesiasticam esse iustam, est facienda remissio pro absolutione ad illum, qui protulit eam, nisi ipse requisitus, malitiose deneget absolutionis beneficium exhibere. c. venerabilibus. §. sanè. de sent. excom. in 6. Vel nisi esset periculum in mora, quo casu superior absoluit, recepto prius iuramento de parendo secundum formam ecclesiæ. c. sacro.de sent. excom. Vbi verò certum est, censuram esse iniustam, non fit remissio ad illum, qui protulit eam. Si verò est dubium, potest fieri relaxatio, sed honestius est remittere. d. §. sanè. Et quoniam talis censura præsumitur iuste, & rationabiliter lata, vt dictum est superius. Ideo superior illius, qui eam protulit, non debet sine congrua satisfactione, & absque conscientia ipsius proferentis, illam relaxare. vt in tex. Si tamen eam relaxet, absolutio

tenet

tenet. glos.fin. hic. quia episcopus concurrit in iurisdictione cum istis prælatis inferioribus non exemptis. Abb.hic.nu.9. & infr. in c. penult. nu.6. Vnde habet iurisdictionem illum absoluendi; & licet ipse superior faciat contra ius litigatoris, quando absoluit illum, quem deberet remittere ad suum ordinarium sibi subiectum, qui protulit censuram, non tamen facit contra ius constitutionis, dicti §. sanè. & sic absolutio per eum lata tenet. d.glos.hic. Remissio autem fit regulariter ad excommunicatorem, ad eius honorem seruandum.c. ab excommunicato. ver. deferatur, de rescript. nam minor pudor est, quod quilibet corrigat factum proprium, quàm corrigatur ab alio.c.qualiter.de accus.

Cap.4. Cum vos.

SI ordinatio vacantis ecclesiæ ex iusta causa differtur, est ibi per episcopum œconomus ponendus.

QVIA si in ecclesia vacante œconomus non poneretur, qui illius bona custodiret, & fructus in ecclesiæ vtilitatem expenderet, aut futuro successori, vel alteri, prout de iure fuerint debiti, reseruaret, per alios facile indebitè vsurparentur. vt in tex. & c. ne pro defectu. de elect. Et quoniam cura prouidendi, ne talia bona dissipentur, regulariter ad eum pertinet, ad quem pertinet instituere rectorem.c.fin.eod. in 6. Et ius instituendi in beneficijs, de iure communi, spectat ad episcopum.c.ex frequentibus.de institut. Ideo quando est iustum impedimentum, propter quod ibi non potest de rectore prouideri, debet interim episcopus curare, vt per œconomum bona illa conseruentur. vt in tex. Et similiter debet facere alius prælatus, ad quem spectet in vacanti beneficio instituere.glos.penult. hic. Cum enim propter decentiam dignitatis, & alias occupationes; non possint prælati per seipsos hoc facere, debent facere per alium, scilicet œconomum. c. qui per alium. de reg.iur.in 6.

ETIAM si ecclesia sit iuspatronata.

QVIA patronus nō debet se intromittere in rebus ecclesiæ, nisi ad defensionem.c.decernimus.& c.filijs. 16.q.7. Ideo ipse non habet custodiam bonorum ecclesiæ vacantis, sed ille, ad quem pertinet instituere, qui cū non possit per propriam personā hoc exercere, debet facere per œconomum. vt in tex. & dictum est superius. Sed intellige de patrono laicó, qui non habeat talia bona custodire, nisi ex priuilegio, vel ex consuetudine approbata per Sedem Apostolicam, ei talis custodia competeret. Abb. hic nu. 4. nam patronus ecclesiasticus ipse habet illa, ecclesia vacante, custodire. c. cum & plantare. §. in ecclesijs. de priuil. Vnde in iurepatronatus ecclesiasticorum non est per episcopum talis œconomus ponendus. arg. à contrario sensu huius tex. Et per

Hhh 2 patro-

patronum ecclesiasticum intellige eum, qui habet iuspatronatus ratione ecclesiæ; nam si ei competeret ratione patrimonij, quamuis esset persona ecclesiastica, esset censendus in hoc iure, tanquam laicus. c. cum dilectus. de iurepatr. Et talis œconomus est ponendus, etiam intra tempus præfixum patrono ad præsentandum, si interim sit periculum, ne bona ecclesiæ dissipentur. Butr. hic, qui examinat diuersa impedimenta, per quæ institutio impeditur fieri intra tempus regulariter præfixum à iure, & tamen non fit deuolutio iuris instituendi ad alios, & similiter habetur in c. quoniam. de iurepatr. Non valentibus enim agere non currit tempus. c. imputari. de reg. iur. in 6. & l. 1. §. fin. C. de annal. except. Ideo tunc non obstat tempus assignatum. in c. 2. de concess. præb.

Cap. 5. Ex parte.

SI constat ordinario, quod absolutus à Papa suppressit veram causam, quare fuerat excõmunicatus, debet illum remittere ad Papã.

QVIA supprimenti veritatem absolutio surrepta non prodest. c. officij. & c. cum pro causa. de sent. excom. Excõmunicatio enim, & absolutio sumunt vires ab intentione superioris excommunicantis, vel absoluentis. Abb. hic nu. 6. Vt est etiam in alijs rescriptis, & gratijs obtentis. c. super litteris. de rescript. Et quoniam ille, qui absoluit pro vna causa, non præsumitur absoluere pro alia, nisi hoc exprimat. glos. hic. sicut idem est dicendum in absolutione à quolibet peccato, vt nisi peccator expresserit delictum cum suis qualitatibus, quæ habeant grauare delictum, non consequitur veram absolutionem. c. 1. de pœnit. dist. 5. quod intellige de circumstantijs, quæ peccati speciem mutãt. Conc. Trid. sess. 14. can. 7. & dic, vt latius declarat Nauar. in Manual. c. 6. Et quia inferior non debet absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ, nisi in mortis articulo. infr. c. pastoralis. §. præterea. Et quamuis esset excommunicatio, à qua absoluere posset, ex quo Papa apposuit manus, & impetrans tale vitium subreptionis apud eum commisit, inferior se ingerere non debet. c. 2. de rescript. & Butr. hic. Ideo non debet episcopus talem adhuc excommunicatum absoluere, sed pro absolutione debet illum ad Papam remittere, qui manus apposuit, & ad quem spectat talis absolutio, vt in tex. & c. quod super. de fide instrum.

SI verò sibi non constat, est tamen sibi vrgens suspicio contra eum, debet cogere eum se purgare.

QVIA vbi quis laborat infamia apud bonos, & graues viros, & si nullus appareat accusator, ad remouendam illam vrgentem suspicionem, quæ est contra eum, est sibi per episcopum canonica purgatio indicenda. c. nos inter. de purg. canon. & c. omnibus. 2. q. 5. Et quoniam esse excommunicatum, est maxima infamia. c. cito. v. q. 1. Ideo ex quo talis adhuc probabiliter timetur excommunicatus, ne in suæ a-

nimæ

nimæ præiudicium, & aliorum scandalum tali laboret infamia, est per episcopum compellendus, vt canonice se purget, quod fuerit veritatem confessus,& per consequens rectè absolutus.vt in tex.& c.cum in iuuentute.de purg.can.

Cap.6. Significauit.

SI ex desidia,vel malitia delegati Papæ,quis perseuerat in peccato, ordinarius loci potest supplere.

QVIA delegato non intelligitur data potestas nutriendi aliquem in peccato,quam nec (si vellet) Papa dare posset.c. qui resistit.& c.si dominus.11.q.3. Et quoniam in defectum aliorum iudicum, ordinarius semper potest insurgere, & in fauorem animarum occurrere,vt euitetur peccatum.supr.c.1.& de iudic.c.nouit. Ideo si ex defectu delegati quis perseuerat in peccato, poterit per episcopum illius cura suppleri.vt in tex.& c.licet. de for. compet. & vide Concil.Trid.sess.24. de refor.matr.c.8.

NON obstante,quod causa fuerit delegato commissa.

QVIA licet regulariter ordinarius non possit se intromittere in causa alteri delegata,ex quo per commissionem alteri factam, de eius manibus est erepta. c. studuisti. de offic.leg. Speciale tamen est in fauorem animarum,vt possit alterius iudicis,etiam delegati, ad euitandum peccatum,supplere defectum,vt dictum est superius.Ideo in tali casu ordinarius reassumit iurisdictionem, non vt definiat causam, sed vt conuincat partes non prosequentes illam, & remanentes in peccato.glos.ver.desidia.& Abb. nu.5. Vbi verò non immineret peccatum,vt puta, quia causa esset pecuniaria, tunc,delegato Papæ negligente,ordinarius non se intromittit, sed recurrendum est ad ipsum Papam. Host. hic. Sicut similiter est faciendum in causis exemptorum à iurisdictione episcopi. Abb.in c.penult.nu.6.de offic.ord. Et plenius quo ad priuilegia exemptorum.vide in c.tuarũ.& c.cum & plantare.de priuil.

Cap.7. Quanto.

ORDINARIVS supplet negligentiam abbatis non reuocantis monachum vagabundum.

QVIA regulares non manentes in claustro, grauiter peccant. c. fin.d regular. nam sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus.c.placuit il 2. 16.q.1. Et quoniam correctio monachorum primo loco spectat ad abbatem.c.ea,quæ.de statu monachor.& c. reprehensibilis. de appell. Et abbate negligente, vt euitetur peccatum,supplet episcopus.vt not.supr.in c.prox. qui, & de causis crimina-

minalibns monachorum, de quibus non possit cognoscere abbas, semper cognoscit. Innoc.hic. Monasteria enim omnia in diœcesi constituta subsunt episcopo quo ad legem iurisdictionis, nisi speciali priuilegio sint munita, licet quo ad legem diœcesanam sint exempta.c. cum pro vtilite.16.q.1. & glos. in sum. 10.q.1. Et quia delictorum coërctio pertinet ad legem iurisdictionis. glos.infr. in c.dilectus. Ideo vbi deficit abbas, cui primò monachi subijciuntur, corrigit episcopus.glos.penult.hic. Et sic si abbas fuerit negligens in reuocando monachum ad claustrum, vt ille remoueatur à peccato, & vt euitetur scandalum, quod alijs ex tali euagatione infertur, debet Episcopus per suspensionem officij, & beneficij, appellatione remota, cogere illum ad redeundum in monasterium. vt in tex.& c. de persona. 11.q.1. Et vocatur hic beneficium monachorum, panis, vinum, vestiarium, & similia; cum alia beneficia ipsi non habeant. Abb.antiquus hic. Prohibetur enim talibus monachis, qui inciderint in huiusmodi suspensionem, vt, postquam fuerint ad claustrum reducti, non comedant, vel bibant cum alijs monachis, sed soli separatim ab illis.d.c.fin. de regular.

Cap.8. Ad reprimendam.

AB vno Episcopo excommunicatus, ab alijs est vitandus.

QVIA excommunicatio afficit personam, & eam sequitur vbique, sicut lepra leprosum.c.cito. 1.q.1. Maior enim excommunicatio separat ab ecclesia.c.si quem.de sent. excom. Et quoniam in orbe est tantum vna ecclesia.c.vnam sanctam.de maior.& obed.in extrauag.com.& c.loquitur.24.q.1. Ideo non potest quis in vno loco esse extra ecclesiam, quin sit vbique extra illam. c.quisquis. 4.q.5. Vnde sicut excommunicatus est euitandus in diœcesi episcopi excommunicantis, ita est euitandus in qualibet alia diœcesi per totum orbem.vt in tex. & c.1.de treug. & pac. Et ob id excommunicatorum nomina vicinis omnibus sunt palàm, & publice annuntianda.c.curæ.11. q.3. Quos euitare debent alij episcopi etiam ex ea ratione; quia sicut ipsi volunt, vt similes pœnæ per eos latæ in subditos, ab alijs obseruentur, ita latas ab alijs debent ipsi obseruare.vt in tex.ne neruus ecclesiasticæ disciplinæ infringatur.c.peruenit.11.q.1. Et per regulam; Quod quisque iuris in alium statuerit, eodem iure ipse vtatur.l.1.& toto tit.ff.quod quisque iur.

ET Archiepiscopus per querelam aditus non absoluet, nisi primò remittat.

QVIA aditio per viam querelæ non facit tantam præsumptionem in fauorem adeuntis, sicut facit appellatio in fauorem appellantis; cum appellatio fiat intra decẽ dies, & si sit ab interlocutoria, debet in scriptis eius causa rationabilis assignari.c.1.de appel.in 6.aditio ve-

tio verò per querelam fit per solam arreptionem itineris ad superiorem, quocunque tempore, & causa non adducta. glos.penult.hic. Ideo licet Archiepiscopus possit absoluere excommunicatum, quando ille appellauit ad ipsum.c.per tuas. de sent. excom. non tamen debet illum absoluere, quando ille per simplicem querelam eum adiuit. vt in tex. Si tamen absolueret, absolutio teneret, ex quo est facta à superiore, licet iniustè.c.venerabilibus.§.sanè.de sent.excom.in 6. Vnde tunc remanet regula communis, vt excommunicatus remittatur pro absolutione ad excommunicatorem.vt not.supr.in c.cum ab ecclesiarum. & glos.in d. c.per tuas. Sed cum excommunicationis sententia per appellationis obiectum non suspendatur.vt in tex. Et cum illa sententia trahat secum executionem.c.pastoralis.de appell. dices, quid ergo operatur appellatio à sententia excommunicationis? cum appellatio interponatur ad impediendam executionem sententiæ prolatæ per iudicem à quo. d. c. pastoralis.& de iureiur.c.venientes. Respondeo, quod duo sunt effectus principales appellationis. Primus in eo, quod secundum canones suspendit iudicatum.d.c. pastoralis. quod secundum leges ciuiles dicitur per appellationem potius extingui; cum appellatio faciat, vt non videatur pronuntiatum.l.1.in fin.ff. ad Turpil. & l.2.ff. de pœnis. Secundus effectus est in eo, quod deuoluit causam ad superiorem.c. non solū. & c.si à iudice. de appell. in 6. Vnde licet appellatio in sententia censuræ non operetur primum effectum; quia non suspendit vinculum sententiæ.vt in tex. bene tamen operatur secundum effectum; quia deuoluit causam ad superiorem, vt ipse cognoscat, an iustè, vel iniustè talis fuerit excommunicatus.vt in tex.& d.c.per tuas. Et ob id ista appellatio non est frustratoria, cum pariat vnū principalē effectum. Sed & sententia excommunicationis non transit in rem iudicatam quo ad effectum irretractabilem; nam potest retractari etiam post mille annos, & idem est in qualibet sententia censuræ, vt in suspensione, & interdicto. c.fin. de pœnis. quinimo si excommunicatus ex diurno tempore efficeretur deterior, deberet iudex ex officio illam sententiam relaxare. vt not.Ioan.Andr.in c.1.de sent.excom.in 6. & Abb. in c. ab excommunicato.de rescript.& S.Thom.in 4.sent.dist. 18. Sed quo ad alios effectus, sententia excommunicationis transit in rem iudicatam, quemadmodū & aliæ sententiæ.Abb.hic nu.6. Et ob id debet interponi intra decem dies, sicut fit in appellatione ab alijs sententijs, alias postea talis non audiretur per viam appellationis; sed per viam querelæ. glos. hic. ver. suspendatur. Excommunicatus autem recurrens per viam querelæ, potest semper absolui; quia istæ censuræ diriguntur in animam propter peccatum, & separationem à gratia Dei. c.nemo.& c.nullus.12.q.3.sed non potest quis inuitus separari perpetuò à gratia Dei, quia Deus nunquam claudit gremiū redeunti.c.dixi.de pœnit.dist.1. vnde Deus dixit per Ezechiel.cap.33. Peccator in quacunque hora conuersus fuerit, &

inge-

ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. vt in c. ponderet. dist. 50. Et in Euangelio Dominus dixit ad Petrum interrogantem, quotiens fratri essent dimittenda peccata: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Matth. cap. 18. Ideo per consequẽs debet reconciliari etiam per ecclesiam, quæ similiter nunquam claudit gremium redeunti. c. super eo. de hæret. in 6.]

Cap. 9. Duo simul.

DE causis subditorum Archiepiscoporum, & Episcoporum suorum, Patriarcha non cognoscit, nisi per appellationem legitimam, aut vigore consuetudinis, seu priuilegij.

QVIA in sacris canonibus est definitum, Primates, vel Patriarchas, nihil iuris, vel priuilegij, habere præ cæteris Episcopis, vel Archiepiscopis, nisi quantum sacri canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo, vel Apostolica Sedes eos, vel eorũ ecclesias, speciali priuilegio decreuerit honorare. vt in tex. & c. conquestus. 9. q. 3. Et quoniam in sacris canonibus disponitur, vt quemadmodum se habent subditi Episcoporum ad Archiepiscopum, ita se habeant subditi Archiepiscoporum ad Patriarcham; nam sicut sunt multæ diœceses sub cura Archiepiscopi, ita quod Archiepiscopus est Metropolitanus, & superior omnium aliorum Episcoporum, & diœcesum; ita multæ prouinciæ sunt sub cura cuiuscunque Patriarchæ, ita quod Patriarcha est iudex ordinarius omnium Archiepiscoporum, qui sunt in suo patriarchatu. c. antiqua. de priuil. Et quia Archiepiscopus non se ingerit de subditis Episcoporum, nisi per appellationem. infr. c. pastoralis. Ideo nec Patriarcha debet se ingerere de subditis Archiepiscoporum, & Episcoporum, nisi per appellationem, nisi hoc ei competat alio iure speciali. vt in tex. & d. c. conquestus. Speciale enim ius consuetudinis rationabilis, & præscriptæ, dat iurisdictionem, & derogat iuri scripto positiuo. c. fin. de consuet. & c. cum contingat. de for. comp. Et Papa potest per suum priuilegium eximere vnam ecclesiam à iurisdictione sui superioris, & eam alteri subijcere. c. frater. 16. q. 1. & c. nunc. 9. q. 3. quod tamen non solet facere, nisi quando subest rationabilis causa. glos. in c. omnes. dist. 22. & glos. 3. in c. 1. dist. 10.

Cap. 10. Quod sedem.

ARCHIEPISCOPVS impeditus, potest consecrationem sui suffraganei alteri committere.

QVIA Episcopi, & Archiepiscopi nihil habent, quod delegare non possint, excepto vsu pallij; dummodo ea, quæ sunt ordinis episcopalis, alteri Episcopo demandent; & ea, quæ sunt iurisdictionis, delegent

perso-

personæ habenti qualitates requisitas ad illum actum exercendum. glos. in c. peruenit. dist. 95. & glos. in c. aqua. de consecr. eccles. Et quoniam hæc demandatio eis competit iure proprio. infr. c. prox. in princ. nam de iure est, vt quilibet ordinarius possit in aliquibus se releuare per commissionem alteri fiendam. l. vnic. C. qui pro sua iurisd. Ideo indifferenter tenet eorum demandatio, siue sint impediti, siue non; licet de honestate deberent per seipsos exercere, quando non sunt impediti. Host. hic Et ob id tex. hic facit mentionem de commissione, quam Archiepiscopus facit impeditus, vt appareat, etiam de honestate eum posse tunc demandare. Butr. & Abb. hic.

ET consecrandus tenetur ab illo commissario munus consecrationis recipere.

QVIA subrogatum sapit naturam subrogantis. c. ecclesia. vt lite pend. Et quoniam suffraganeus consecrandus posset compelli ab Archiepiscopo ad recipiendam consecrationem ab eo, si ipsemet vellet eum consecrare. c. si Archiepiscopus. de tempor. ordin. Ideo ex quo Archiepiscopus potest in consecratione facienda alterum subrogare, eodem modo debet consecrandus compelli ad recipiendam illam ab isto, qui gerit vices Archiepiscopi. vt in tex. & c. suffraganeis. de elect. Delusoria enim videretur iurisdictio, si coërtionem aliquam non haberet. c. pastoralis. de offic. deleg.

Cap. 11. Pastoralis.

ARCHIEPISCOPVS causam ad se per appellationem delatam subditis suffraganei committere potest.

QVIA causa potest delegari tam subdito, quàm non subdito, licet non subditus cogi non possit ad delegationem acceptandam, sicut potest cogi subditus. glos. in l. vnic. ver. resedissent. C. qui pro sua iurisd. & l. eum, qui, & ibi glos. 1. ff. de iurisd. omn. iudic. Ideo si subditus suffraganei vult acceptare delegationem causæ ab Archiepiscopo, dummodo aliud impedimentum ei non obsit, quo ad esse eius subditum, vel non subditum, delegatio tenet. vt in tex. & glos. ver. nullam. Delegare enim causam, est actus voluntariæ iurisdictionis, quæ quatenus exercetur in volentem, potest exerceri etiam in non subditum. Butr. hic.

NON tamen ad ipsam suscipiendam compellere potest.

QVIA Archiepiscopus in subditos sui suffraganei (exceptis quibusdam articulis) nullam habet potestatem, licet Episcopus suffraganeus sit ei Metropolitana lege subiectus. vt in tex. Et quoniam iste casus recipiendi commissionem causarum ab Archiepiscopo, non

est de articulis exceptis, in quibus Archiepiscopus habeat potestatem in subditos sui suffraganei.glos.hic.ver.exceptis,quæ enumerat,quinam sint isti articuli excepti. Ideo non potest Archiepiscopus compellere subditum sui suffraganei ad suscipiendam ab eo alicuius causæ delegationem.vt in tex. Compellere enim est actus contentiosæ iurisdictionis, quæ non exercetur in non subditum. Butr.hic. Archiepiscopus namque est iudex ordinarius totius prouinciæ collectiuè, & vniuersaliter, non autem distributiue,& singulorum, nisi Episcoporum tantum, & nisi in casibus exceptis, quo ad episcoporum subditos. glos.1.& Butr.hic. Sed ex quo ipse est iudex episcoporũ, posset,si expediret,compellere episcopum, vt ipse compelleret proprium subditum ad acceptandam delegationem ab Archiepiscopo fiendam.glos.ver.nullam. & Butr.hic. vnde Archiepiscopus pinguius ius habet in episcopis, quàm in episcoporum subditis.glos.1.hic. Et sic non habet locum illa regula, si vinco vincentem te,tanto magis vincam te,de qua habetur in c.auctoritate. de concess.præb.in 6. & ratio est,quia illa regula non procedit,quando eadem vis,quæ est in vincente, non concurrit in vincentem te vt not.Cyn. in Authent.licet.C. de natur. liber. & Roman. in consil.436. Sed nunquid idem iuris est in episcopo circa subditos suorum subditorum? certe non; quia Episcopus est iudex ordinarius omnium de sua diœcesi. c.de persona.11.q.1. Et concurrit cum suis prælatis accumulatiuè; vnde inter eos est locus præuentioni,nisi esset consuetudo, vel priuilegium in contrariũ,vt est in exemptis.& regularibus.Butr.hic.& not.supr.in c.1.

§. Præterea.

MORTVO delegato Papæ, qui excommunicauit reum, vel actorem in possessionem induxit,si eius successor in delegatione succedit, absoluere, & restituere possessionem poterit.

QVIA: qui succedit alteri in onere, & honore alicuius officij,partibus, quibus ille fungebatur, etiam ipse in tali officio fungi debet. vt in tex. & l.mortuo. ff.de iudic. Et quoniam ipse delegatus, qui reum propter contumaciam excommunicauit, posset eidem,volenti iuri parere, absolutionis beneficium impertiri. vt in tex. & c.venerabilibus. §.secus.de sent. excom.in 6. Et similiter si petitorem contra contumacem,causa rei seruandæ,in possessionem petitorum induxit, posset intra annum reo comparenti possessionem restituere, sufficienti cautione recepta, & parti refectis expensis. vt in tex.& c. quoniam. §. fin. vt lite non contest. Ideo eadem debet posse etiam ille, qui tali delegato in onere, & honore successit. vt in tex. & c. quoniam abbas. de offic. delegat.

ALIAS solus Papa restituet, & absoluet.

Quia

QVIA delegatus Papæ in causa sibi specialiter commissa est maior quocunque ordinario. vt in tex. & c.sanè il 2. de offic. deleg. Et quoniam, cessante peccato, ordinarius non supplet officium delegati.supr. c.significauit. Et ab excommunicatione lata ab homine ille dumtaxat,qui excommunicauit, vel successor, seu superior,absoluere potest, licet absolutio non sit specificè ipsi excommunicatori reseruata. Abb. hic. Ex quo infertur, quod ab excommunicatione lata à Papa nullus absoluere potest,nisi ipse Papa, vel successor; secus dic in excommunicatione lata per constitutionem, seu à lege, vel statuto, quia tunc est concessum, vt quilibet episcopus superior excommunicati absoluere possit, si absolutio non sit statuenti reseruata. c.nuper. de sent. excom. Ideo ex quo delegatus in tali causa est maior legato, & ordinario, non poterunt isti absoluere à sententijs censurarum latis per ipsum delegatum, nec relaxare tenutam, seu possessionem datam per ipsum, sine mandato Papæ. vt in tex. & Butr.nu.5.

PRAETERQVAM in mortis articulo.

QVIA generalis reseruatio absolutionis non extenditur ad casum mortis. c.eos, qui.de sent.excom. in 6. & c. si quis suadente. 17. q. 4. Ne, si extenderetur, quis pęnitens sine absolutione decederet; Cum excommunicato imponatur, vt sit pœna medicinalis,non vt sit capitalis.vt in c. 1. de iudic. & not.supr. in c.ad reprimendam. Ideo in mortis articulo nulla est criminum, aut casuum reseruatio; sed omnes sacerdotes possunt absoluere quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris. glos. hic ver. præterquam. & Concil. Trid. sess. 14, cap.7. de casuum reseruat. Debet tamen ille, si conualuerit, quamcito commode poterit, præsentare se postea illi, à quo, tali periculo cessante, fuisset absoluendus, mandatum ipsius super illis, pro quibus fuerat excommunicatus, humiliter recepturus, & satisfacturus, pro vt iustitia suadebit, ne censuræ ecclesiasticę videatur illusum; alids in eandem sententiam reincidit ipso iure. d.c.eos,qui. Laico autem,si deest sacerdos, quis potest tempore necessitatis confiteri, & per talem confessionem iste confitens fit dignus venia ex sacerdotis desiderio. c. quem pœnitet. de pęnit. dist.1. Mundati sunt enim leprosi, dum irent ostendere ora sacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Luc.cap.17. Non tamen potest laicus istum sacramentaliter absoluere c.qui vult. de pęnit. dist. 6. nam laicus non habet claues ecclesiæ. de sum.Trinit. c. 1. §. vna, & vide in hoc articulo Sotum lib.4. sent. dist. 18. q.4. art. 1. Et cum ecclesiæ constiterit de talibus signis contritionis,per quam iste confitens laico, si decedat, est absolutus quo ad Deum; si erat excommunicatus, absoluetur post mortem etiam apud ecclesiam, ab eo, à quo fuerat viuus absoluendus, & hæredes eius compellentur per ecclesiam ad satisfaciendum pro eo. c.à nobis il 2. de sent. excom. Tunc autem quis di-

citur esse in articulo mortis, quando verisimiliter imminet periculum mortis, siue sit mortis naturalis per corporis indispositionem, siue violentæ per pugnam, vel per naufragium, aut per partum in muliere. d. glos. hic. & c. sanctum. de consecr. dist. 4.

NE tamen currat annalis præscriptio, reus coram ordinario, vel publicis personis, de stando iuri cautionem præstabit.

QVIA contumax, contra quem fuit actor missus in possessionem causa rei seruandæ, si comparet coram iudice intra annum, & præstet cautionem iudicio sisti, & congruas reficiat expensas, recuperat possessionem; si verò intra annum hæc facere neglexerit, post annum actor constituetur verus possessor, dumtaxat super proprietate aduersæ parti legitima defensione reseruata. c. quoniam. §. fin. vt lite non contest. & l. si quis. §. penult. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Et quoniam imputari non debet ei, per quem non stat, si non facit, quod per eum fuerat faciendum. c. imputari. de reg. iur. in 6. Ideo ex quo delegatus, qui erat iudex causæ, est mortuus, & ibi non est alius, coram quò sit causa prosequenda, ne talis, qui vult comparere, & facere quod in se est intra annum sibi concessum à iure ad comparendum, sine culpa iure suo priuetur, statuitur, vt in tali casu possit coram ordinario loci, vel si eius copiam habere nequiuerit, coram publicis, & honestis personis (vt quasi præscriptionem interrumpat annalem) offerre, ac præstare, quod iuri parebit, cautionem, vt sic post annum recuperare possessionem per Sedem Apostolicam mereatur. vt in tex. Publicæ autem personę in hoc casu intelliguntur tabelliones, vel alij habentes dignitatem cum iurisdictione. Abb. hic. & Specul. in tit. de 1. & 2. decreto. §. iam de effectu.

Cap. 12. Licet.

PAPA per rescriptum, quo mandat ordinario, vt subditos suos corrigat, non facit ex hoc ipsum delegatum.

QVIA ordinarius iam tenebatur ex officio propriæ potestatis suos corrigere subditos. supr. c. 1. Et quoniam vbi superior mandat iudici inferiori, vt id faciat, quod iam facere tenebatur, intelligitur hoc mandare ad excitandum eius officium ordinarium, non ad dandam ei nouam auctoritatem cum præiudicio alterius. infr. c. penult. nisi ex forma mandati aliud appareat, puta, si diceret, auctoritate nostra facias, vel delegamus, aut committimus tibi, vel si mandet ea, ad quæ talis iudex non tenebatur saltem ita pręcise, nam tunc videretur eum facere delegatum. Abb. hic. Et quia causæ delegatio in ordinario, qui iure suo procedere potest, esset præiudicialis archiepiscopo; nam si appellatur ab illo procedente tanquam ordinario, appellatur ad archie-

archiepiſcopum. ſupr. c.duo; ſi appellatur tanquam à delegato, appellatur ad Papam delegantem. c.ſuper. §.porrò. de offic. deleg. Et Papa non intendit alteri præiudicare, niſi hoc exprimat. c.ex tuarum. de vſu pall. Et reſcriptum recipit vires ab intentione reſcribentis. c.ſuper litteris. de reſcript. Ideo ne fiat præiudicium archiepiſcopo in appellatione interponenda, mandatum epiſcopo directum in materia ordinariæ poteſtati ſubiecta, intelligitur in dubio eſſe antiquæ poteſtatis excitatiuum, non nouæ conceſſiuum. vt in tex. & infr. d. c.penult.

IDEO ab eo poterit appellari ad proximum ſuperiorem, ſicut ſi Papa nullum mandatum feciſſet.

QVIA per huiuſmodi mandatum Papa non intendit alicuius iuriſdictioni derogare. vt in tex. Et quoniam appellatio eſt gradatim de minori ad maiorem interponenda. c.anteriorum. 2.q.6. licet ad Papam poſsit ſemper etiam mediatè appellari. c. ſi quis. d.q.6. cum ipſe ſit ordinarius omnium. c.cum nobis. de elect. Ideo ex quo talis procedit in cauſa vt ordinarius, ſicut ad proximum ſuperiorem appellaretur, ſi tale mandatum non interueniſſet, ita ad eundem poteſt appellari, tali mandato non obſtante: cum per illud non mutetur iuriſdictio, & non fiat alicui præiudicium. vt in tex. & c.cum olim. de conſuet.

Cap. 13. Irrefragabili.

PRAELATI ſubditos corrigunt, & reformant, appellatione remota.

QVIA appellatio fundata eſt ſuper grauamine, vt vbi non eſt grauamen, ibi non debeat eſſe appellatio. c.vt debitus. de appellat. Et quoniam ille, qui corrigit, non grauat, niſi modum excedat. c. reprehenſibilis. & c. de priore. de appellat. Ideo non poteſt appellari à correctione prælati, niſi in corrigendo ipſe excederet modum. vt in tex. & ſupr. c.prox. Præterea, fauendum eſt prælatis, vt ad corrigendos ſubditorum exceſſus, maxime clericorum, & reformandos mores, prudenter, ac diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. vt in tex. & c.quamuis. infr. de reg. iur. Et quoniam ſi in corrigendis exceſſibus non eſſet appellationis diffugium interclusum, ſæpe delinquentes interponerent appellationem ad ſubterfugiendam debitam correctionem, & ſic remanerent in peccatis. c.cum ſpeciali. de appell. Ideo vt correctionis, & reformationis officium prælati libere valeant exercere, ſtatuitur, vt executionem ipſorum nulla conſuetudo, vel appellatio valeat impedire; niſi formam in talibus exceſſerint obſeruandam. vt in tex. & ſupr. c.prox. Si verò ſuperior excederet modum in corrigendo, bene poſſet appellari. d.c.reprehenſibilis; quia ille, qui corrigit vltra modum, grauat ſubditum. gloſ. in c. ad noſtram. de appell.

appell.

appell. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem. prouerb. cap. 30. Et vbi quis grauatur, ibi appellatio est concedenda.d.c.cum speciali.§. porrò. & de offic. deleg. c.super. §.verum. Qua autem ratione prælati subditorum excessus corrigere debeāt nouissime præscripsit Conc.Trid. sess.13. de reform. cap.1.

VEL consuetudine non obstante.

QVIA consuetudo, per quam disrumperetur neruus ecclesiasticæ disciplinæ, est potius dicenda corruptela, & vt talis extirpanda. c.cum inter. de consuet. Et quoniam ista consuetudo esset subterfugium ad nutriendum in peccatis, vt dictum est superius. Ideo sub eius prætextu non potest appellatio contra debitam correctionem interponi. vt in tex. & c.cum decorem. de vita,& honest. cler.

SI tamen capitulum consueuit corrigere excessus canonicorum, si intra terminum ab episcopo præfigendum non facit, ipse episcopus hoc faciet.

QVIA immediatus superior regulariter supplet negligentiam inferioris.supr.c.quanto. Et res facile redit ad naturam suam.c.ab exordio. dist. 35. Et quoniam immediatus superior canonicorū est episcopus.c.nouit.de his,quæ fi.à præl.& c.nulla.de concess. præb. & ad ipsum de iure communi spectat correctio in diœcesi. supr.c.1.& 11. q.1.c.de persona. Ideo ex quo per competentem terminum præfixum ab episcopo,conuincitur capitulum de negligentia corrigendi, remouetur impedimentum consuetudinis, & reuertitur iurisdictio ad ipsum episcopum ordinarium,& immediatum superiorem.vt in tex.& Concil. Trid.sess.24.de reform. cap.20. Vbi enim lex, vel consuetudo dant in specie alicui iurisdictionem, adimendo eam ab ordinario generali, videntur eam illi conferre, in quantum est vigil, & solicitus in corrigendo,aliàs ipse ordinarius potest illam exercere. Abb.hic. & est tex. in c. cæterum. de iudic. vbi patet, quòd si dominus feudi est negligens in exercendo iustitiam inter vasallos, ordinarius loci potest supplere. & glos.hic.ver.per capitulum.

§. Cæterum.

SI canonici sine manifesta, & rationabili causa (maxime in contemptum episcopi) cessant à diuinis, episcopus cessationem non seruabit.

QVIA licet de iure communi, interdicere ecclesiam, siue suspendere, vt in ea cessetur per aliquod tempus à diuinis, non spectet ad solos canonicos, sed ad episcopū cum assensu capituli. c.quæsiuit.de his,quæ.fi. à maior.par.cap, De iure tamen speciali, & ex consuetu-

ſuetudine poteſt ad canonicos ſpectare.c.ſi canonici. & c.quamuis.eod. in 6. Sed quoniam ſi talis ceſſatio fieret ſine manifeſta, & rationabili cauſa, & præcipuè ſi fieret in contemptum epiſcopi, eſſet contra bonos mores, diminueret cultum diuinum, & grauamen adduceret eccleſijs. d. c.ſi canonici. Ideo ſtatuitur, vt epiſcopus ceſſationem per canonicos indebite inductam non ſeruet. vt in tex. Si verò ſubeſt rationabilis cauſa, pro qua canonici ceſſant ab officianda eccleſia, & in ea ſuſpendunt organa ſua; tunc non debet epiſcopus illam ceſſationem infringere, arg. huius tex. à contrario ſenſu; quia epiſcopus debet ſtudere, ne iuſta pœna eccleſiaſtica vileſcat. Archid. in d.c.ſi canonici.& c. vt priuilegia. de priuil. in 6. Et hodie qualiter debeant fieri iſtæ ceſſationes, dic, vt not. in d.c.ſi canonici.& d.c.quamuis.

ET metropolitanus vice Papæ cognoſcet.

QVIA de iure ordinario Archiepiſcopus, ſiue Metropolitanus non poteſt cognoſcere de cauſa, quam habet Epiſcopus contra ſuum ſubditum, cum Metropolitanus non habeat iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, niſi per viam appellationis, & in quibuſdam caſibus exceptis. ſupr. c.paſtoralis. Et quoniam iſta cauſa eſt criminalis, & criminaliter mota, cum in ea agatur ad pœnam. vt in tex. & Butr. nu.20. Ideo non poſſunt eligi arbitri, qui de ea cognoſcant. gloſ. hic. ver. ſuper. ſicut fit in cauſis ciuilibus, quas epiſcopi habent cum ſuis clericis. c.ſi clerici. 11.q.1. Et quia eſt cauſa, in qua eſſet periculum, ſi epiſcopus ipſe cognoſceret, ne orirentur ſcandala inter ipſum, & capitulum, præſertim ſi ceſſatio fuiſſet facta in odium epiſcopi, qui videretur eſſe iudex, & actor. d. gloſ. hic. Ideo de ea non debet cognoſcere epiſcopus. vt in tex. Præſertim, cum ſit cauſa grauis, cuius grauitatis reſpectu deberent ei aſſiſtere canonici, iuxta c.epiſcopus. 15.q.7.& eſſet abſurdum, vt ipſi aſſiſterent in propria correctione, ne viderentur eſſe iudices, & rei. d.gloſ. hic. Ideo cum talis cauſa non poſſit cognoſci à Metropolitano tanquam ordinario, nec ab aliquo arbitro per epiſcopum, & capitulum eligendo, nec per ipſum epiſcopum habentem intereſſe, & in hoc exiſtentem priuum conſilio canonicorum; ne deſit in prouincia, qui huiuſmodi delictum corrigat, per hanc decretalem datur auctoritas metropolitano, vt in tali cauſa tanquam delegatus Papæ procedat. vt in tex. Quæ delegatio, cum ſit facta per viam iuris, non expirat, re integra, morte delegantis. Innoc. hic; ſicut expirat illa, quæ datur ab homine. c.gratum. de offic.deleg. nam homo moritur, & eodem modo cum eo extinguitur delegatio, quæ per eius exercitium adhuc non fixit radicem in perſona delegati. d.c. gratum. Lex autem nunquam moritur, ſed ſemper loquitur. l.Ariani. C.de hæret. ſicut in ſimili, diſpoſitio facta nomine dignitatis non perit per mortem hominis diſponentis, ſicut periret, ſi eſſet facta nomine proprio. c.ſi gratiosè. de reſcript. in 6. In alijs

verò

verò causis criminalibus, quas habet episcopus contra subditum suum, si subditus notorie excesserit contra episcopum, tunc potest episcopus esse iudex in causa propria in odium ipsius tam temerè delinquentis, & in existimationem episcopalis dignitatis. Innoc.in c.ex parte. de verb. sign.& Abb.in c.cum venissent.de iudic. Si verò delictum non sit notorium,ad prouidendum,ne clericus fortasse innocens damnetur per episcopum indignatum,& ad videndum, ne episcopus fortasse offensus careat iudice contra clericum puniendum; tunc tam per episcopum, si querelatur de clerico, quàm per clericum si sentiat se grauari ab episcopo, est concilium prouinciale adeundum. c.si episcopus. il 1.11.q.3. Vel coram Papa omnium ordinario se debent conuenire. c.cuncta. 9.q. 3.Et sic episcopus potest subditum suum criminaliter conuenire coram concilio prouinciali,cui præest Archiepiscopus, non tamen potest illum conuenire corã solo Archiepiscopo.d.c.si Episcopus.& de accus.c.sicut.

§. Prouideant.

PRAELATVS in impositione pœnæ, cauere debet à quæstu pecuniæ.

QVIA si prælatus de facili in correctione excessuum, imponeret pœnam pecuniariam, oriretur suspicio, quod correctionem faceret non propter Deum, sed propter quæstum pecuniæ ex propriæ cupiditatis,& auaritiæ radice.c.licet. de pœnis. Et quoniam non solum ab auaritia,quæ est idolorum seruitus. Apost.ad Ephes.cap.5. Sed etiam à suspicione auaritiæ debent omnes ecclesiastici, præsertim prælati,cauere.c.auaritiæ.de præb. Ideo ne,in impositione pœnæ,prælati de auaritia notentur,illam ad proprium quęstum conuertere non debent.vt in tex. & d. cap. licet. Auaro enim nihil est scelestius; & nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Ecclesiastic. cap. 10. Si tamen prælatus videret pecuniariam pœnam magis timeri,quam spiritualem,illam imponere posset; at non debet ipsam conuertere in propriam vtilitatem, sed in vsus pios,nisi euidenter indigeret. Host.& Abb.hic. & simile habetur in l.penult.C. de modo mulctar. vbi dicitur,quod iudex pecuniariam pœnam potest applicare ad opera publica, puta, ad refectionem murorum,pontium, & similium; & si specialiter non deputat ad opera publica, sed simpliciter mulctat,seu condemnat,commodum applicatur fisco,& non ipsi iudici.Et de hac materia vide late per Host.& Io.And. in c.1.de homicid.in 6.

ET ab omni alio grauamine.

QVIA præceptoris nimia sęuitia, culpæ adsignatur.l.præceptoris ff.ad leg.Aquil. Et qui nimis emungit,elicit sanguinem.Prouerb. cap. 30. & scriptum est: Noli esse nimis iustus. Ecclesiast. cap. 7. Leuiter

uiter enim castigatus reuerentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiæ increpatio, nec increpationem recipit, nec salutem. c.cum beatus.dist.45. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto c.disciplina.d.dist.45. Ideo in impositione pœnæ non debet prælatus grauare subditũ.vt in tex. & c.1.& tota dist.45. Vnde ab eo, qui excedit modum in corrigendo, tanquam à grauamen inferente, potest appellari. c.super.§.verum. de offic.deleg. Et licet pœnam impositam à lege iudex, absque causa, non possit minuere, vel augere. Abb.in c.de causis. de offic.deleg.in dubio tamen potius sunt pœnæ molliendæ, quàm exasperandæ.l.si præses.ff.de pœnis.

Cap. 14. Quoniam.

CVM in ciuitate, vel diœcesi sunt populi diuersarum linguarum, episcopus debet prouidere eis per viros idoneos, qui secundum varietatem linguarum officia eis celebrent, & sacramenta ministrẽt.

QVIA ad pastorem pertinet inuigilare, ne oues de suo grege pereant.c.tres personas.23. q. 4. Non enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit.c.quamuis.infr. de reg.iur.& Aug.de pastor.cap.8. Inquit enim Deus per Ezechielem: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: Quod infirmum fuit, non consolidastis.& quod ægrotum, non sanastis. cap. 34. Et quoniam episcopus est pastor omnium, qui sunt in sua diœcesi.c. qui episcopatum.8. q.1.& supr.hoc tit.c.1. Episcopus enim dicitur esse in ecclesia, & ecclesia in episcopo, vt si quis cum episcopo non sit, dicatur in ecclesia non esse.c.scire.7.q.1. Ideo ad episcopum pertinet prouidere, ne aliqui sint in sua diœcesi, quibus desint ea, quæ requiruntur ad salutem.c.clemens. 8.q. 1. Et quia ipse non potest per se ipsum exercere omnia, quæ pro spirituali administratione subditorum requiruntur.c.fin.de offic. archipresb. Ideo debet impartiri suum onus cum diuersis ministris aptis ad quodlibet spirituale officium peragendum.c.mandata. de præsumpt. Et quia oportet eum, qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, vt pro ingenio discentium possit aptare semetipsum, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. c. oportet. 8.q.1. Ideo vbi in ciuitate, vel diœcesi sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores, debent episcopi talium locorum eis prouidere viros idoneos, qui secundum diuersitatem rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter, & exemplo.vt in tex. In his enim, quæ non generant periculum animarum, nec ecclesiasticæ derogant honestati, vnusquisque populus in suis moribus, & ritibus sustinetur.c. cum secundum. de tempor.ordin.& c.fin.de baptism.

ET si vrgens est necessitas, constituet sibi vicarium pontificem illius linguæ.

QVIA vbi imminet necessitas, receditur à regulis iuris communis, quibus illa intelligitur non adstringi. c.2. de obseruant. ieiun. Et quoniam vbi parochiani essent Græci, & Episcopus loci esset Latinus, ibi esset necessarius vicarius, qui intelligeret linguam, & ritus Græcos, & qui esset episcopus, vt posset illis Græcis pontificalia exhibere. Butr. hic. nu. 22. Cum Græci à Latinis ordinari non debeant; nec econtra, si in ritu ordinandi sunt diuersi. d.c. cum secundum. Ideo licet regulariter vicarius episcopi non debeat esse alter episcopus, ne in vna diœcesi videantur esse duo capita. c. in apibus. 7.q.1. Et ne peruertatur ordo ecclesiasticus, vt vnus episcopus sub alio episcopo existat. Clem. in plerisque. de elect. vbi tamen est necessarium, vt vicarius episcopi sit alter episcopus, talem sibi vicarium episcopus loci constituere debet. vt in tex. Sed quia quilibet episcopus, qui habet diœcesim, tenetur in suo episcopatu residere. c. pastoralis. 7.q.1. Ideo iste vicarius, vel debet creari episcopus de nouo, vel debet assumi de illis episcopis, qui sunt sine administratione episcopatuum, qui vulgariter nullatenenses nuncupantur. Abb. hic.

NON tamen propter hoc eadem diœcesis debet habere duos episcopos.

QVIA tota diœcesis censetur vnum corpus, cuius in spiritualibus caput est episcopus. c. solitæ. de maior. & obed. & c. scire. 7.q.1. Et quoniam vnum corpus non debet habere diuersa capita, quasi monstrum. vt in tex. & d.c. in apibus. Ideo iste episcopus datus propter diuersitatem rituum, & linguæ, debet esse per omnia obediens, & subiectus episcopo diœcesano, qui eum assumpsit, tanquam eius vicarius. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 15. Inter.

EPISCOPI, qui per se non possunt, tenentur assumere idoneos, qui suppleant suo loco, quo ad prædicationes, visitationes, & confessionum auditiones.

QVIA inter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium; nam sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur. vt in tex. eo quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. cap. 4. Et quoniam sæpe contingit, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias (ne dicatur propter defe-

defectum scientiæ, qui in eis reprobandus est omnino, nec vllo pacto tolerandus) per seipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas diœceses,& effusas.vt in tex.& c.vt singulæ.de offic. archipresb. Ideo sancitur,vt episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendũ assumant,potentes in opere,& sermone,qui plebes sibi commissas vice ipsorum (cum per se ijdem nequiuerint) solicitè visitantes,eas verbo ædificent, & exemplo; quibus ipsi cum indiguerint, congrue necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu, compellantur desistere ab incępto. vt in tex.& Conc.Trid. sess.5.cap.2. Necessaria tamen quo ad victum istis,qui visitant vice episcopi,sunt prouidenda per ipsos visitatos.c.si episcopus.eod.in 6. Sed in cæteris,qualia essent equi,famuli, & vestitus, tenetur prouidere episcopus,qui deputat.vt in tex.& Concil.Trid.sess.24.de refor.cap.3.

ET vt possint Episcopi reperire tales, præcipitur in ecclesijs cathedralibus,& collegiatis tales institui.

QVIA bona ecclesiastica illis sunt dispensanda, qui pro ecclesia sunt apti ad elaborandum.c.videntes. 12.q.1. Et quoniam si tales prius non educarentur, cum veniret occasio illis vtendi, vel non reperirentur, vel non ita prompti haberentur. c.omnis. 12. q.1. & Conc.Trid.sess.23.cap.18.de refor. Cum non entis nullæ sint qualitates. l.eius. ff.si cert. pet. Et cum debeant esse socij consolationum, qui sunt passionum.Apost.2.ad Corinth.c.1. Ideo vt tales viri idonei ad coadiuuandum episcopum, & ad salutem animarum secum cooperandum, possint in occasionibus prompti haberi, præcipitur, vt in ecclesijs cathedralibus, & collegiatis,ab episcopis isti ordinentur. vt in tex. & c. quia. de magistr.

Cap. 16. Conquerente.

EPISCOPVS in ecclesijs suæ diœcesis debet esse contentus iuribus episcopalibus.

QVIA scriptum est de episcopis: Pascite, qui in vobis est gregem Dei,prouidentes non coactè,sed spontaneè,secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. S.Petr. epist.1.cap. 5. Et quoniam aliqui episcopi ita grauabant subditos,& ecclesias,quod potius exactores,quàm pontifices in ecclesia Dei videbantur.c.quia cognouimus. 10. q.3. Ideo fuerunt per canones expressa, quæ debeat à clericis,vel laicis, episcopus in sua ciuitate,& dięcesi habere.vt in tex.& 10. q.3. toto tit. vt,per talium præstationem,episcopis subsidium,& reuerentia;& subditis, & ecclesijs non nimium grauamen præbeatur. c.cum Apostolus. de censib.

E T quæ sint talia iura episcopalia, hic declaratur.

QVIA per huiusmodi declarationem præcluditur via in posterum litigandi, vel ad minus lites diminuentur, dum episcopus scit distinctè, quid petere possit, & subditi non ignorant, quid debeant præstare. glos. 1. & 2. hic. Et quoniam ad superiorem spectat materiam discordiæ amputare. Auth. de mand. princ. §. demum. coll. 3. Et iudex debet primo loco, si potest, partes ad concordiam reuocare. c. fin. de transact. & l. 1. ff. de noui oper. nunc. Ideo vtile fuit hic exprimere, & specificare, quæ iura sint episcopis debita, & quando, & à quibus debeantur. vt in tex. & c. cum inter. de verb. signific. Et præter expressa in hoc tex. vide latius de talibus iuribus. infr. in c. dilectus. & de præscript. c. de quarta.

Cap. 17. Vt iuxta.

E P I S C O P V S visitans monasteria non introducat sæculares.

QVIA indecens est, vt in monasteriorum visitatione intersint sæculares, per quos posset in claustro dissolutionis materia prouenire. vt in tex. & c. in nona. 16. q. 7. Et quoniam monasteriorum visitatio fit ad monasticæ obseruantiæ conseruationem, & reformationem. c. cum olim. de accusat. Ideo ne potius illa dissoluatur, quàm reformetur, in monasteriorum visitatione est de plano, & sine iudiciorum strepitu, & laicorum interuentu, procedendum. vt in tex. & d. c. cum olim. Et quid hodie possint episcopi circa visitandos, & corrigendos monachos, statuit Concil. Trid. sess. 21. de refor. c. 8.

S E D duos, aut tres canonicos suos cum aliquibus religiosis, secum introducat.

QVIA in inquisitione, & reformatione, quales fiunt in visitatione, episcopus debet adhibere consilium sui capituli, & illorum, qui in talibus officijs sunt exercitati. c. qualiter il 2. de accusat. & c. si quid. dist. 86. Sed quoniam in visitatione esset nimis graue monasterijs, & locis visitandis, si omnes canonici cum episcopo ducerentur; & esset in diminutionem diuini cultus ecclesię cathedralis, si omnes canonici inde remouerentur. Abb. hic. Ideo statuitur, vt loco capituli sufficiant duo, vel tres canonici in habitu decenti, cum aliquibus alijs religiosis viris, quos episcopus viderit expedire, qui in monasteriorum visitatione cum ipso episcopo introducantur. vt in tex. & in extrauag. commun. cap. 1. eod. tit. Statuitur autem, vt cum eo adsint ad minus duo, vel tres canonici. vt in tex. quia in ore duorum, vel trium, stat omne verbum. Ioan. cap. 8. Et quia non esset decens episcopali dignitati, si absque tali consiliariorum numero episcopus visitaret; præsertim cum aliquando visitet mo-

tet monasteria, in quibus sunt monachi, episcopo de odio erga ipsum, suspecti. d.extrauag. Et hæc quo ad personas interueniendas cum episcopo in visitatione monasterij virorum; qui verò debeant secum interuenire in visitatione monialium, habetur in Clem.attendentes.de statu monach. Et quas personas debeat habere cum ipso in visitatione capituli ecclesiæ cathedralis, habetur in d.extrauag. com. Et quot possit secum ducere in visitatione reliquarum ecclesiarum diœcesis, habetur in c. cum apostolus. de censib.& nouissime in Concil.Trid. sess. 24. de refor. cap.3.

Cap. 18. Dilectus.

LEX diœcesana, & lex iurisdictionis sunt diuersæ.

QVIA licet lex diœcesana ex lata vocabuli significatione comprehendat etiam ea, quæ sunt iurisdictionis, vt probatur in c. auditis. de præscript. lex tamen diœcesana stricte sumpta est species distincta à lege iurisdictionis, ambæ contentæ sub generali lege diœcesana. glos.hic; nam ad legem iurisdictionis pertinent datio curæ animarum, delictorum coerctio, ordinatio ecclesiarum, siue consecratio altarium, & uirginum, confectio chrismatis, & generaliter omnium sacramentorum, & ordinum collatio, quæ consistunt in dando, & similia, quæ enumerantur. supr.in c.conquerente. Ad legem uerò diœcesanam strictè sumptam spectat vocatio ad synodum,& ad sepulturas mortuorum, cathedraticum, tertia, vel quarta mortuariorum, quarta decimarum, & hospitium, & consimilia, quæ consistunt in recipiendo. d. glos. hic; & glos. in c.1. 10. q. 1. A tali lege diœcesana strictè sumpta, fauore religionis, ipso iure omnia monasteria sunt exempta. 10. q. 1. c. 1. & q. 3.c. inter cætera; nec ad talia facienda cogi possunt. 18.q.2.c. quam sit. A lege verò iurisdictionis non sunt exempta, nisi speciali priuilegio sint munita; sed omnia monasteria, in sua diœcesi constituta, subsunt episcopo quo ad legem iurisdictionis. c.hoc tantum, & c.cognouimus. 18. q.2.& c.interdicimus.16.q.1. Sæculares verò ecclesiæ subsunt episcopo, quo ad vtramque legem. c.de his. & c.antiquos. 10.q.1. Præstant tamen monasteria episcopo seruitiũ ex prima institutione. c. Eleutherius. 18.q.2. Et etiam ratione visitationis.c.cum ex officij.de præscript.Vel quod debetur ex consuetudine. c.seruitium. 18.q.2.& c.quæsitum.1.q.3. Capellę verò monasteriorum, seu regularium, subsunt episcopo quo ad vtramque legem, sicut aliæ capellæ diœcesis. supr. c.conquerente, & de priuil. c.cum & plantare. §.in ecclesijs, nisi pleno iure subsint monasterijs, & sint exempta monasteria cum eorum capellis. c.quoniam, & c. ex ore. de priuil. Vnde ratione capellarum non exemptarum monachi tenentur venire ad Synodum. d.c.ex ore. Sed & Abbas ad synodum venire tenetur. c.quod super. de maior. & obed. Quod intelligas de eo, qui populum habet, secus de his, qui non habent populum. 18. dist. palea.

palea. episcopus. & 18.q.2.c.fin.§.canonica. Et quoniam vna species differt ab alia, & quælibet differt à suo genere. Porphirius in prædicabilib.cap.de genere, & cap. de differentia. Ideo,siue lex diœcesana sumatur tanquam genus comprehendens sub se legem diœcesanam specifice sumptam, & legem iurisdictionis, suas species; siue sumatur specifice, & strictè,tanquam vna species, semper differt à lege iurisdictionis,quæ est alia species.d.glos.hic.& glos.10.q.1.in princ. Sed quæritur, quomodo collatio ordinum, consecratio virginum, & ecclesiarum, & alia, quæ sunt ordinis episcopalis, dicantur esse de lege iurisdictionis? Nam non videtur hoc posse procedere; quia si essent iurisdictionis,possent delegari non habenti ordinem episcopalem, & in contrarium est tex.in c.aqua.de consecr.eccl. vel altar. vbi dicitur, quod ista non sunt iurisdictionis,sed ordinis episcopalis. Respondetur,quòd effectus istorum sacramentorum procedit ex ordine episcopali, & non ex iurisdictione; vnde Legatus Papæ non episcopus non potest ista conferre, quantumcunque habeat iurisdictionem ampliorem episcopo.c.suffraganeis.& c.transmissam.de elect. Sed quatenus ista applicantur ad personam ordinati, sunt iurisdictionis; quia episcopus non potest ordinare nisi illum, in quem habet iurisdictionem; & per eum, qui contrarium facit,licet imprimatur character,quia talis ordinans non caret potestate conferendi,non tamen datur exercitium ordinis. cap. nullus. de paroch.& 9.q.2. per totum. Immo punitur episcopus, qui ordinat non subditum.c.fin.de tempor.ordin.in 6. Et hoc respectu ista dicuntur de lege iurisdictionis distincta à lege diœcesana. glos. hic. & Innoc.in c.1. de statu regular. nam propter iurisdictionem, quam episcopus habet in suos subditos, debent ipsi ab eo, & non ab alio episcopo,recipere ista sacramenta,nisi sint exempti.c.veniens.de præsumpt.

VNDE res iudicata in vna,non obstat agenti in alia.

QVIA ex diuersis non fit illatio.l.Papinianus.ff.de minor. Et quoniam verba sententiæ sunt strictè intelligenda, ita quod non debent habere illum intellectum,quem ex lata vocabuli significatione possent habere; sed debent restringi ad illum intellectum,quem possunt habere strictè. Abb.hic,& Anchar.consil. 173. Ideo sententia lata super lege diœcesana, est intelligenda de lege diœcesana strictè sumpta, pro vt est species distincta à lege iurisdictionis; & sic non comprehendit sub se legem iurisdictionis,vt comprehenderet lex diœcesana generaliter sumpta.vt in tex.& glos.10.q.1.in princ.

Cap. 19. Graue.

PER rescriptum, quo Papa mandat ordinario,vt corrigat clericos suæ diœcesis,non datur ei iurisdictio super exemptos.

Quia

QVIA per tale mandatum Papa non intendit dare ordinario nouam iurisdictionem in præiudicium alterius; sed excitare suam antiquam, ne in ea exercenda ille esset negligens. supr. c. licet. Et quoniam ius commune non tollit priuilegium. l. fistulam. §. fin. & ibi gl. ff. de seruit. rust. præd. Et per generale mandatum posterius concessum, priori speciali, scilicet priuilegio exemptionis, non derogatur, cum de illo in generali mentio non habeatur. c. 1. de rescript. Ideo per tale mandatum ordinariæ iurisdictionis excitatiuum, non ampliatur iurisdictio episcopi in eos, qui ex iure speciali ab ipso sunt exempti, vt in tex. & d. c. licet. Immo etiam propter negligentiam prælati immediati exemptorum, potestas non deuoluitur ad episcopum, cum non sit ordinarius illorum, nec in eos aliquam habet iurisdictionem, sed deuoluitur ad superiorem illius prælati exempti, vt sic, si abbas exemptus est remissus in corrigendo monachos suos, non fiat deuolutio potestatis ad episcopum, sed recurrendum est ad Papam; si verò non esset abbas exemptus, tunc, data eius negligentia, corrigeret episcopus. glos. hic. ver. corrigere. & c. sicut. de supplen. negl. prælat. & nouissimè vide Concil. Trid. sess. 21. de reformat. c. 8.

Cap. 20. His, quibus.

ORDINARIVS, cui competit absoluere ab excommunicatione, potest alijs absolutionem demandare.

QVIA ordinarius loci, & delegatus principis, habent facultatem alteri committendi ea, quæ ipsis competunt facienda. supr. c. quod sedem. & de offic. deleg. c. pastoralis. Et quoniam de iure canonico sunt delegabilia tam ea, quæ sunt meri, quàm ea, quæ sunt mixti imperij. glos. in c. peruenit. dist. 95. excepto vsu pallij. c. ad hoc. de auct. & vsu pall. Et sicut excommunicatio quandoque est meri, quandoque est mixti imperij. Abb. hic. ita & absolutio, nam par potestas est in ligando, & in soluendo. c. verbum. de pœnit. dist. 1. Ideo illi, qui ordinario iure, vel delegato à principe, possunt absoluere, possunt etiam, cũ viderint expedire, committere alteri, vt absoluat. vt in tex. Dummodo delegatus habeat iurisdictionem, & non sit ei commissum à principe nudum ministerium. c. fin. de offic. deleg. & vide Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reseruat. & sess. 24. de refor. cap. 6.

In Se-

appell. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem. prouerb. cap. 30. Et vbi quis grauatur, ibi appellatio est concedenda.d.c.cum speciali.§. porrò. & de offic. deleg. c.super. §.verum. Qua autem ratione prælati subditorum excessus corrigere debeāt nouissime præscripsit Conc.Trid. sess.13. de reform. cap.1.

V E L consuetudine non obstante.

QVIA consuetudo, per quam disrumperetur neruus ecclesiasticæ disciplinæ, est potius dicenda corruptela, & vt talis extirpanda. c.cum inter. de consuet. Et quoniam ista consuetudo esset subterfugium ad nutriendum in peccatis, vt dictum est superius. Ideo sub eius prætextu non potest appellatio contra debitam correctionem interponi. vt in tex. & c.cum decorem. de vita,& honest. cler.

S I tamen capitulum consueuit corrigere excessus canonicorum, si intra terminum ab episcopo præfigendum non facit, ipse episcopus hoc faciet.

QVIA immediatus superior regulariter supplet negligentiam inferioris.supr.c.quanto. Et res facile redit ad naturam suam.c.ab exordio. dist. 35. Et quoniam immediatus superior canonicorū est episcopus.c.nouit.de his,quæ fi.à præl.& c.nulla.de concess. præb. & ad ipsum de iure communi spectat correctio in diœcesi. supr.c.1.& 11. q.1.c.de persona. Ideo ex quo per competentem terminum præfixum ab episcopo,conuincitur capitulum de negligentia corrigendi, remouetur impedimentum consuetudinis, & reuertitur iurisdictio ad ipsum episcopum ordinarium,& immediatum superiorem.vt in tex.& Concil. Trid.sess.24.de reform. cap.20. Vbi enim lex, vel consuetudo dant in specie alicui iurisdictionem, adimendo eam ab ordinario generali, videntur eam illi conferre, in quantum est vigil, & solicitus in corrigendo,aliàs ipse ordinarius potest illam exercere. Abb.hic. & est tex. in c. cæterum. de iudic. vbi patet, quòd si dominus feudi est negligens in exercendo iustitiam inter vasallos, ordinarius loci potest supplere. & glos.hic.ver.per capitulum.

§. Cæterum.

S I canonici sine manifesta, & rationabili causa (maxime in contemptum episcopi) cessant à diuinis, episcopus cessationem non seruabit.

QVIA licet de iure communi, interdicere ecclesiam, siue suspendere, vt in ea cessetur per aliquod tempus à diuinis, non spectet ad solos canonicos, sed ad episcopū cum assensu capituli. c.quæsiuit.de his,quæ.fi. à maior.par.cap, De iure tamen speciali, & ex consuetu-

ſuetudine poteſt ad canonicos ſpectare.c.ſi canonici. & c.quamuis.eod. in 6. Sed quoniam ſi talis ceſſatio fieret ſine manifeſta, & rationabili cauſa, & præcipuè ſi fieret in contemptum epiſcopi, eſſet contra bonos mores, diminueret cultum diuinum, & grauamen adduceret eccleſijs. d. c.ſi canonici. Ideo ſtatuitur, vt epiſcopus ceſſationem per canonicos indebite inductam non ſeruet.vt in tex. Si verò ſubeſt rationabilis cauſa, pro qua canonici ceſſant ab officianda eccleſia, & in ea ſuſpendunt organa ſua; tunc non debet epiſcopus illam ceſſationem infringere, arg. huius tex. à contrario ſenſu; quia epiſcopus debet ſtudere, ne iuſta pœna eccleſiaſtica vileſcat. Archid.in d.c.ſi canonici.& c. vt priuilegia. de priuil. in 6. Et hodie qualiter debeant fieri iſtæ ceſſationes, dic, vt not. in d.c.ſi canonici.& d.c.quamuis.

ET metropolitanus vice Papæ cognoſcet.

QVIA de iure ordinario Archiepiſcopus, ſiue Metropolitanus non poteſt cognoſcere de cauſa, quam habet Epiſcopus contra ſuum ſubditum, cum Metropolitanus non habeat iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, niſi per viam appellationis, & in quibuſdam caſibus exceptis.ſupr. c.paſtoralis. Et quoniam iſta cauſa eſt criminalis, & criminaliter mota, cum in ea agatur ad pœnam.vt in tex.& Butr. nu.20. Ideo non poſſunt eligi arbitri, qui de ea cognoſcant.gloſ.hic.ver. ſuper. ſicut fit in cauſis ciuilibus, quas epiſcopi habent cum ſuis clericis. c.ſi clerici.11.q.1. Et quia eſt cauſa, in qua eſſet periculum, ſi epiſcopus ipſe cognoſceret, ne orirentur ſcandala inter ipſum, & capitulum, præſertim ſi ceſſatio fuiſſet facta in odium epiſcopi, qui videretur eſſe iudex, & actor.d.gloſ.hic. Ideo de ea non debet cognoſcere epiſcopus. vt in tex. Præſertim, cum ſit cauſa grauis, cuius grauitatis reſpectu deberent ei aſſiſtere canonici, iuxta c.epiſcopus.15.q.7.& eſſet abſurdum, vt ipſi aſſiſterent in propria correctione, ne viderentur eſſe iudices, & rei. d.gloſ.hic. Ideo cum talis cauſa non poſſit cognoſci à Metropolitano tanquam ordinario, nec ab aliquo arbitro per epiſcopum, & capitulum eligendo, nec per ipſum epiſcopum habentem intereſſe, & in hoc exiſtentem priuum conſilio canonicorum; ne deſit in prouincia, qui huiuſmodi delictum corrigat, per hanc decretalem datur auctoritas metropolitano, vt in tali cauſa tanquam delegatus Papæ procedat. vt in tex. Quæ delegatio, cum ſit facta per viam iuris, non expirat, re integra, morte delegantis. Innoc. hic; ſicut expirat illa, quæ datur ab homine. c.gratum.de offic.deleg.nam homo moritur, & eodem modo cum eo extinguitur delegatio, quæ per eius exercitium adhuc non fixit radicem in perſona delegati.d.c. gratum. Lex autem nunquam moritur, ſed ſemper loquitur.l.Ariani.C.de hæret. ſicut in ſimili, diſpoſitio facta nomine dignitatis non perit per mortem hominis diſponentis, ſicut periret, ſi eſſet facta nomine proprio.c.ſi gratioſè.de reſcript.in 6. In alijs verò

verò causis criminalibus, quas habet episcopus contra subditum suum, si subditus notorie excesserit contra episcopum, tunc potest episcopus esse iudex in causa propria in odium ipsius tam temerè delinquentis, & in existimationem episcopalis dignitatis. Innoc.in c.ex parte. de verb. sign.& Abb.in c.cum venissent.de iudic. Si verò delictum non sit notorium, ad prouidendum, ne clericus fortasse innocens damnetur per episcopum indignatum,& ad videndum, ne episcopus fortasse offensus careat iudice contra clericum puniendum; tunc tam per episcopum, si querelatur de clerico, quàm per clericum si sentiat se grauari ab episcopo, est concilium prouinciale adeundum. c.si episcopus. il 1.11.q.3. Vel coram Papa omnium ordinario se debent conuenire. c.cuncta. 9.q. 3.Et sic episcopus potest subditum suum criminaliter conuenire coram concilio prouinciali, cui præest Archiepiscopus, non tamen potest illum conuenire corã solo Archiepiscopo.d.c.si Episcopus.& de accus.c.sicut.

§. Prouideant.

PRAELATVS in impositione pœnæ, cauere debet à quæstu pecuniæ.

QVIA si prælatus de facili in correctione excessuum, imponeret pœnam pecuniariam, oriretur suspicio, quod correctionem faceret non propter Deum, sed propter quæstum pecuniæ ex propriæ cupiditatis,& auaritiæ radice.c.licet. de pœnis. Et quoniam non solum ab auaritia, quæ est idolorum seruitus. Apost.ad Ephes.cap.5. Sed etiam à suspicione auaritiæ debent omnes ecclesiastici, præsertim prælati, cauere.c.auaritiæ.de præb. Ideo ne, in impositione pœnæ, prælati de auaritia notentur, illam ad proprium quęstum conuertere non debent. vt in tex. & d. cap. licet. Auaro enim nihil est scelestius; & nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Ecclesiastic. cap. 10. Si tamen prælatus videret pecuniariam pœnam magis timeri, quam spiritualem, illam imponere posset; at non debet ipsam conuertere in propriam vtilitatem, sed in vsus pios, nisi euidenter indigeret. Host.& Abb.hic. & simile habetur in l.penult.C. de modo mulctar. vbi dicitur, quod iudex pecuniariam pœnam potest applicare ad opera publica, puta, ad refectionem murorum, pontium, & similium; & si specialiter non deputat ad opera publica, sed simpliciter mulctat, seu condemnat, commodum applicatur fisco,& non ipsi iudici. Et de hac materia vide late per Host.& Io.And. in c.1.de homicid.in 6.

ET ab omni alio grauamine.

QVIA præceptoris nimia sęuitia, culpæ adsignatur.l.præceptoris ff.ad leg.Aquil. Et qui nimis emungit, elicit sanguinem. Prouerb. cap. 30. & scriptum est: Noli esse nimis iustus. Ecclesiast. cap. 7. Leuiter

uiter enim castigatus reuerentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiæ increpatio, nec increpationem recipit, nec salutem. c.cum beatus.dist.45. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto c.disciplina.d.dist.45. Ideo in impositione pœnæ non debet prælatus grauare subditũ.vt in tex. & c.1.& tota dist.45. Vnde ab eo, qui excedit modum in corrigendo, tanquam à grauamen inferente, potest appellari. c. super.§.verum. de offic.deleg. Et licet pœnam impositam à lege iudex, absque causa, non possit minuere, vel augere. Abb.in c.de causis. de offic.deleg.in dubio tamen potius sunt pœnæ molliendæ, quàm exasperandæ.l.si præses.ff.de pœnis.

Cap. 14. Quoniam.

CVM in ciuitate, vel diœcesi sunt populi diuersarum linguarum, episcopus debet prouidere eis per viros idoneos, qui secundum varietatem linguarum officia eis celebrent, & sacramenta ministrẽt.

QVIA ad pastorem pertinet inuigilare, ne oues de suo grege pereant.c.tres personas.23. q. 4. Non enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit.c.quamuis.infr. de reg.iur.& Aug.de pastor.cap.8. Inquit enim Deus per Ezechielem: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: Quod infirmum fuit, non consolidastis. & quod ægrotum, non sanastis. cap. 34. Et quoniam episcopus est pastor omnium, qui sunt in sua diœcesi.c. qui episcopatum.8. q.1.& supr.hoc tit.c.1. Episcopus enim dicitur esse in ecclesia, & ecclesia in episcopo, vt si quis cum episcopo non sit, dicatur in ecclesia non esse.c.scire.7.q.1. Ideo ad episcopum pertinet prouidere, ne aliquĩ sint in sua diœcesi, quibus desint ea, quæ requiruntur ad salutem.c.clemens. 8.q. 1. Et quia ipse non potest per se ipsum exercere omnia, quæ pro spirituali administratione subditorum requiruntur.c.fin.de offic. archipresb. Ideo debet impartiri suum onus cum diuersis ministris aptis ad quodlibet spirituale officium peragendum.c.mandata. de præsumpt. Et quia oportet eum, qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, vt pro ingenio discentium possit aptare semetipsum, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. c. oportet. 8.q.1. Ideo vbi in ciuitate, vel diœcesi sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores, debent episcopi talium locorum eis prouidere viros idoneos, qui secundum diuersitatem rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter, & exemplo.vt in tex. In his enim, quæ non generant periculum animarum, nec ecclesiasticæ derogant honestati, vnusquisque populus in suis moribus, & ritibus sustinetur.c. cum secundum. de tempor.ordin.& c.fin.de baptism.

ET si vrgens est necessitas, constituet sibi vicarium pontificem illius linguæ.

QVIA vbi imminet necessitas, receditur à regulis iuris communis, quibus illa intelligitur non adstringi. c.2. de obseruant. ieiun. Et quoniam vbi parochiani essent Græci, & Episcopus loci esset Latinus, ibi esset necessarius vicarius, qui intelligeret linguam, & ritus Græcos, & qui esset episcopus, vt posset illis Græcis pontificalia exhibere. Butr. hic. nu. 22. Cum Græci à Latinis ordinari non debeant, nec econtra, si in ritu ordinandi sunt diuersi. d.c. cum secundum. Ideo licet regulariter vicarius episcopi non debeat esse alter episcopus, ne in vna diœcesi videantur esse duo capita. c. in apibus. 7. q. 1. Et ne peruertatur ordo ecclesiasticus, vt vnus episcopus sub alio episcopo existat. Clem. in plerisque. de elect. vbi tamen est necessarium, vt vicarius episcopi sit alter episcopus, talem sibi vicarium episcopus loci constituere debet. vt in tex. Sed quia quilibet episcopus, qui habet diœcesim, tenetur in suo episcopatu residere. c. pastoralis. 7. q. 1. Ideo iste vicarius, vel debet creari episcopus de nouo, vel debet assumi de illis episcopis, qui sunt sine administratione episcopatuum, qui vulgariter nullatenenses nuncupantur. Abb. hic.

NON tamen propter hoc eadem diœcesis debet habere duos episcopos.

QVIA tota diœcesis censetur vnum corpus, cuius in spiritualibus caput est episcopus. c. solitæ. de maior. & obed. & c. scire. 7. q. 1. Et quoniam vnum corpus non debet habere diuersa capita, quasi monstrum. vt in tex. & d. c. in apibus. Ideo iste episcopus datus propter diuersitatem rituum, & linguæ, debet esse per omnia obediens, & subiectus episcopo diœcesano, qui eum assumpsit, tanquam eius vicarius. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 15. Inter.

EPISCOPI, qui per se non possunt, tenentur assumere idoneos, qui suppleant suo loco, quo ad prædicationes, visitationes, & confessionum auditiones.

QVIA inter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium; nam sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur. vt in tex. eo quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo; quod procedit de ore Dei. Matth. cap. 4. Et quoniam sæpe contingit, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias (ne dicatur propter defe-

defectum scientiæ, qui in eis reprobandus est omnino, nec vllo pacto tolerandus) per seipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas diœceses, & effusas. vt in tex. & c. vt singulæ. de offic. archipresb. Ideo sancitur, vt episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendũ assumant, potentes in opere, & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum (cum per se ijdem nequiuerint) solicitè visitantes, eas verbo ædificent, & exemplo; quibus ipsi cum indiguerint, congrue necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu, compellantur desistere ab incępto. vt in tex. & Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. Necessaria tamen quo ad victum istis, qui visitant vice episcopi, sunt prouidenda per ipsos visitatos. c. si episcopus. eod. in 6. Sed in cæteris, qualia essent equi, famuli, & vestitus, tenetur prouidere episcopus, qui deputat. vt in tex. & Concil. Trid. sess. 24. de refor. cap. 3.

ET vt possint Episcopi reperire tales, præcipitur in ecclesijs cathedralibus, & collegiatis tales institui.

QVIA bona ecclesiastica illis sunt dispensanda, qui pro ecclesia sunt apti ad elaborandum. c. videntes. 12. q. 1. Et quoniam si tales prius non educarentur, cum veniret occasio illis vtendi, vel non reperirentur, vel non ita prompti haberentur. c. omnis. 12. q. 1. & Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de refor. Cum non entis nullæ sint qualitates. l. eius. ff. si cert. pet. Et cum debeant esse socij consolationum, qui sunt passionum. Apost. 2. ad Corinth. c. 1. Ideo vt tales viri idonei ad coadiuuandum episcopum, & ad salutem animarum secum cooperandum, possint in occasionibus prompti haberi, præcipitur, vt in ecclesijs cathedralibus, & collegiatis, ab episcopis isti ordinentur. vt in tex. & c. quia. de magistr.

Cap. 16. Conquerente.

EPISCOPVS in ecclesijs suæ diœcesis debet esse contentus iuribus episcopalibus.

QVIA scriptum est de episcopis: Pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. S. Petr. epist. 1. cap. 5. Et quoniam aliqui episcopi ita grauabant subditos, & ecclesias, quod potius exactores, quàm pontifices in ecclesia Dei videbantur. c. quia cognouimus. 10. q. 3. Ideo fuerunt per canones expressa, quæ debeat à clericis, vel laicis, episcopus in sua ciuitate, & diœcesi habere. vt in tex. & 10. q. 3. toto tit. vt, per talium præstationem, episcopis subsidium, & reuerentia; & subditis, & ecclesijs non nimium grauamen præbeatur. c. cum Apostolus. de censib.

E T quæ sint talia iura episcopalia, hic declaratur.

QVIA per huiusmodi declarationem præcluditur via in posterum litigandi, vel ad minus lites diminuentur, dum episcopus scit distinctè, quid petere possit, & subditi non ignorant, quid debeant præstare. glos.1.& 2.hic. Et quoniam ad superiorem spectat materiam discordiæ amputare. Auth. de mand. princ. §. demum. coll. 3. Et iudex debet primo loco, si potest, partes ad concordiam reuocare. c.fin.de transact.& l.1. ff. de noui oper. nunc. Ideo vtile fuit hic exprimere, & specificare, quæ iura sint episcopis debita, & quando, & à quibus debeantur. vt in tex. & c.cum inter. de verb. signific. Et præter expressa in hoc tex. vide latius de talibus iuribus.infr. in c.dilectus. & de præscript. c.de quarta.

Cap. 17. Vt iuxta.

E P I S C O P V S visitans monasteria non introducat sæculares.

QVIA indecens est, vt in monasteriorum visitatione intersint sæculares, per quos posset in claustro dissolutionis materia prouenire. vt in tex.& c.in nona. 16. q.7. Et quoniam monasteriorum visitatio fit ad monasticæ obseruantiæ conseruationem, & reformationem. c.cum olim.de accusat. Ideo ne potius illa dissoluatur, quàm reformetur, in monasteriorum visitatione est de plano, & sine iudiciorum strepitu, & laicorum interuentu, procedendum. vt in tex. & d.c. cum olim.Et quid hodie possint episcopi circa visitandos,& corrigendos monachos, statuit Concil.Trid. sess.21. de refor.c.8.

S E D duos, aut tres canonicos suos cum aliquibus religiosis, secum introducat.

QVIA in inquisitione, & reformatione, quales fiunt in visitatione, episcopus debet adhibere consilium sui capituli, & illorum, qui in talibus officijs sunt exercitati. c.qualiter il 2.de accusat. & c.si quid. dist.86. Sed quoniam in visitatione esset nimis graue monasterijs,& locis visitandis, si omnes canonici cum episcopo ducerentur; & esset in diminutionem diuini cultus ecclesię cathedralis,si omnes canonici inde remouerentur. Abb.hic. Ideo statuitur, vt loco capituli sufficiant duo, vel tres canonici in habitu decenti, cum aliquibus alijs religiosis viris, quos episcopus viderit expedire,qui in monasteriorum visitatione cum ipso episcopo introducantur. vt in tex. & in extrauag. commun.cap.1. eod. tit. Statuitur autem, vt cum eo adsint ad minus duo, vel tres canonici. vt in tex.quia in ore duorum,vel trium,stat omne verbum. Ioan. cap.8. Et quia non esset decens episcopali dignitati, si absque tali consiliariorum numero episcopus visitaret; præsertim cum aliquando visitet mo-

tet mo-

tet monasteria, in quibus sunt monachi, episcopo de odio erga ipsum, suspecti. d.extrauag. Et hæc quo ad personas interueniendas cum episcopo in visitatione monasterij virorum; qui verò debeant secum interuenire in visitatione monialium, habetur in Clem.attendentes.de statu monach. Et quas personas debeat habere cum ipso in visitatione capituli ecclesiæ cathedralis, habetur in d.extrauag. com. Et quot possit secum ducere in visitatione reliquarum ecclesiarum diœcesis, habetur in c. cum apostolus. de censib.& nouissime in Concil.Trid. sess. 24. de refor. cap.3.

Cap. 18. Dilectus.

LEX diœcesana, & lex iurisdictionis sunt diuersæ.

QVIA licet lex diœcesana ex lata vocabuli significatione comprehendat etiam ea, quæ sunt iurisdictionis, vt probatur in c. auditis. de præscript. lex tamen diœcesana stricte sumpta est species distincta à lege iurisdictionis, ambæ contentæ sub generali lege diœcesana. glos.hic; nam ad legem iurisdictionis pertinent datio curæ animarum, delictorum coercitio, ordinatio ecclesiarum, siue consecratio altarium, & uirginum, confectio chrismatis, & generaliter omnium sacramentorum, & ordinum collatio, quæ consistunt in dando, & similia, quæ enumerantur. supr.in c.conquerente. Ad legem uerò diœcesanam strictè sumptam spectat vocatio ad synodum,& ad sepulturas mortuorum, cathedraticum, tertia, vel quarta mortuariorum, quarta decimarum, & hospitium, & consimilia, quæ consistunt in recipiendo. d. glos. hic; & glos. in c.1. 10. q. 1. A tali lege diœcesana strictè sumpta, fauore religionis, ipso iure omnia monasteria sunt exempta. 10. q.1. c.1. & q. 3.c. inter cætera; nec ad talia facienda cogi possunt. 18.q.2. c. quamsit. A lege verò iurisdictionis non sunt exempta, nisi speciali priuilegio sint munita; sed omnia monasteria, in sua diœcesi constituta, subsunt episcopo quo ad legem iurisdictionis. c.hoc tantum, & c.cognouimus. 18. q.2.& c.interdicimus.16.q.1. Sæculares verò ecclesiæ subsunt episcopo, quo ad vtramque legem. c.de his. & c.antiquos. 10. q.1. Præstant tamen monasteria episcopo seruitiũ ex prima institutione. c. Eleutherius. 18.q.2. Et etiam ratione visitationis.c.cum ex officij.de præscript.Vel quod debetur ex consuetudine. c.seruitium. 18.q.2.& c.quæsitum.1.q.3. Capellę verò monasteriorum, seu regularium, subsunt episcopo quo ad vtramque legem, sicut aliæ capellæ diœcesis. supr. c.conquerente, & de priuil. c.cum & plantare. §.in ecclesijs, nisi pleno iure subsint monasterijs, & sint exempta monasteria cum eorum capellis. c.quoniam, & c. ex ore. de priuil. Vnde ratione capellarum non exemptarum monachi tenentur venire ad Synodum. d.c.ex ore. Sed & Abbas ad synodum venire tenetur. c.quod super. de maior. & obed. Quod intelligas de eo, qui populum habet, secus de his, qui non habent populum. 18. dist.

palea.

palea. episcopus. & 18.q.2.c.fin.§. canonica. Et quoniam vna species differt ab alia, & quælibet differt à suo genere. Porphirius in prædicabilib.cap.de genere, & cap. de differentia. Ideo,siue lex diœcesana sumatur tanquam genus comprehendens sub se legem diœcesanam specifice sumptam, & legem iurisdictionis, suas species; siue sumatur specifice, & strictè,tanquam vna species, semper differt à lege iurisdictionis,quæ est alia species.d.glos.hic.& glos.10.q.1.in princ. Sed quæritur, quomodo collatio ordinum, consecratio virginum, & ecclesiarum, & alia, quæ sunt ordinis episcopalis, dicantur esse de lege iurisdictionis? Nam non videtur hoc posse procedere; quia si essent iurisdictionis,possent delegari non habenti ordinem episcopalem, & in contrarium est tex.in c.aqua.de consecr.eccl. vel altar. vbi dicitur, quod ista non sunt iurisdictionis,sed ordinis episcopalis. Respondetur,quòd effectus istorum sacramentorum procedit ex ordine episcopali, & non ex iurisdictione; vnde Legatus Papæ non episcopus non potest ista conferre, quantumcunque habeat iurisdictionem ampliorem episcopo.c.suffraganeis.& c.transmissam.de elect. Sed quatenus ista applicantur ad personam ordinati, sunt iurisdictionis; quia episcopus non potest ordinare nisi illum, in quem habet iurisdictionem; & per eum, qui contrarium facit,licet imprimatur character,quia talis ordinans non caret potestate conferendi,non tamen datur exercitium ordinis. cap. nullus. de paroch.& 9.q.2. per totum. Immo punitur episcopus, qui ordinat non subditum.c.fin.de tempor.ordin.in 6. Et hoc respectu ista dicuntur de lege iurisdictionis distincta à lege diœcesana. glos. hic. & Innoc.in c.1. de statu regular. nam propter iurisdictionem, quam episcopus habet in suos subditos, debent ipsi ab eo, & non ab alio episcopo,recipere ista sacramenta,nisi sint exempti.c.veniens.de præsumpt.

VNDE res iudicata in vna,non obstat agenti in alia.

QVIA ex diuersis non fit illatio.l.Papinianus.ff.de minor. Et quoniam verba sententiæ sunt strictè intelligenda, ita quod non debent habere illum intellectum,quem ex lata vocabuli significatione possent habere; sed debent restringi ad illum intellectum,quem possunt habere strictè. Abb.hic,& Anchar.consil. 173. Ideo sententia lata super lege diœcesana, est intelligenda de lege diœcesana strictè sumpta, pro vt est species distincta à lege iurisdictionis; & sic non comprehendit sub se legem iurisdictionis,vt comprehenderet lex diœcesana generaliter sumpta.vt in tex.& glos.10.q.1.in princ.

Cap. 19. Graue.

PER rescriptum, quo Papa mandat ordinario,vt corrigat clericos suæ diœcesis,non datur ei iurisdictio super exemptos.

Quia

QVIA per tale mandatum Papa non intendit dare ordinario nouam iurisdictionem in præiudicium alterius; sed excitare suam antiquam, ne in ea exercenda ille esset negligens. supr. c. licet. Et quoniam ius commune non tollit priuilegium. l. fistulam. §. fin. & ibi gl. ff. de seruit. rust. præd. Et per generale mandatum posterius concessum, priori speciali, scilicet priuilegio exemptionis, non derogatur, cum de illo in generali mentio non habeatur. c. 1. de rescript. Ideo per tale mandatum ordinariæ iurisdictionis excitatiuum, non ampliatur iurisdictio episcopi in eos, qui ex iure speciali ab ipso sunt exempti, vt in tex. & d. c. licet. Immo etiam propter negligentiam prælati immediati exemptorum, potestas non deuoluitur ad episcopum, cum non sit ordinarius illorum, nec in eos aliquam habet iurisdictionem, sed deuoluitur ad superiorem illius prælati exempti, vt sic, si abbas exemptus est remissus in corrigendo monachos suos, non fiat deuolutio potestatis ad episcopum, sed recurrendum est ad Papam; si verò non esset abbas exemptus, tunc, data eius negligentia, corrigeret episcopus. glos. hic. ver. corrigere. & c. sicut. de supplen. negl. prælat. & nouissimè vide Concil. Trid. sess. 21. de reformat. c. 8.

Cap. 20. His, quibus.

ORDINARIVS, cui competit absoluere ab excommunicatione, potest alijs absolutionem demandare.

QVIA ordinarius loci, & delegatus principis, habent facultatem alteri committendi ea, quæ ipsis competunt facienda. supr. c. quod sedem. & de offic. deleg. c. pastoralis. Et quoniam de iure canonico sunt delegabilia tam ea, quæ sunt meri, quàm ea, quæ sunt mixti imperij. glos. in c. peruenit. dist. 95. excepto vsu pallij. c. ad hoc. de auct. & vsu pall. Et sicut excommunicatio quandoque est meri, quandoque est mixti imperij. Abb. hic. ita & absolutio, nam par potestas est in ligando, & in soluendo. c. verbum. de pœnit. dist. 1. Ideo illi, qui ordinario iure, vel delegato à principe, possunt absoluere, possunt etiam, cũ viderint expedire, committere alteri, vt absoluat. vt in tex. Dummodo delegatus habeat iurisdictionem, & non sit ei commissum à principe nudum ministerium. c. fin. de offic. deleg. & vide Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reseruat. & sess. 24. de refor. cap. 6.

In Se-

In Sexto. Cap. 1. Romana.

ARCHIEPISCOPVS non potest sibi constituere officiales in diœcesibus suffraganeorum suorum.



VIA Metropolitanis, ne suorum suffraganeorum ingrediantur diœceses, vt in eis auctoritate propria iudicent, disponant, aliquidue aliud agant, canonica prohibent instituta. vt in tex. & extr. c. pastoralis. Et quoniam qui non potest per se gerere actum, non potest etiam per interpositam personam. c. sicut. dist. 46. & ff. de admi. re. ad ciui. perti. l. 2. §. 1. Ideo sicut Archiepiscopus non potest per seipsum in istis diœcesibus talia facere, ita non potest illa per suos officiales exercere. vt in tex. & glos. in c. episcopus gubernationem. dist. 87. Si enim Archiepiscopis hoc permitteretur, esset nimis perturbatio iurisdictionis episcopalis, cum semper esset prompta contentio inter istos officiales, & episcopum diœcesis. Innoc. hic.

ETIAM pro futuris causis per appellationem deuoluendis ad ipsum.

QVIA tractus futuri temporis non spectat ad iudicem. l. 1. ff. de vsur. Et hac ratione rescripta non conceduntur super futuris cōtrouersijs. c. fin. extr. de rescript. Et quoniam nemo dat, quod non habet. c. Daibertum. 1. q. 7. Ideo cum in causis, in quibus non dum extitit appellatum, Archiepiscopus non habeat iurisdictionem actu, sed solo habitu. d. c. pastoralis. ante existentem appellationem, illas alteri committere non potest. vt in tex. & c. quod autem. extr. de iurepatr.

NISI de consuetudine hoc habeat.

QVIA consuetudo rationabilis, & præscripta præiudicat iuri positiuo. c. fin. extr. de consuet. Et quoniam illa potest dare iurisdictionem etiam priuatæ personæ. c. dilecti. extr. de arbitr. & c. cum contingat. de for. compet. Ideo fortius potest prorogare iurisdictionem Archiepiscopi, vt possit in diœcesi sui suffraganei officiales constituere. vt in tex. & c. conquestus. 9. q. 3. Cum in quibusdam casibus iam ipse habeat iurisdictionem in tali diœcesi. d. c. pastoralis. Appellatione autem consuetudinis, in dubio intelligitur de præscripta. glos. hic. ver. consuetudine. & Gemin. §. non sic. num. 4.

ET tunc etiam tales officiales inhibere non possunt, priusquam fuerit appellatum.

Quia

QVIA talis consuetudo dat iurisdictionem Archiepiscopo, vt ante appellationem possit huiusmodi officiales cõstituere, qui post appellationem cognoscant, non autem quod possit eos sic constituere, vt ante appellationem in causa se ingerant, cum nec ipsemet Archiepiscopus tunc possit causam cognoscere. Gemin.hic. nu.2. Et quoniam si aliquis Archiepiscopus prætenderet sub prætextu alicuius consuetudinis constituere tales, qui possent cognoscere etiam ante appellationem, illa esset irrationabilis, & nimium præiudicialis episcopo. Innoc.hic nu.1.& Archid.ver.inhibemus. Ideo prohibetur, vt ante appellationem, sub quouis consuetudinis prætextu, tales officiales cognoscere non possint. vt in tex. Ne plus possit Archiepiscopus per alium, quàm possit per seipsum.c.potest quis.infr.de reg.iur.

§. Officiales.

DONEC Archiepiscopus de facili potest haberi, officialis eius suffraganeum excommunicare, suspendere, aut interdicere non potest.

QVIA pontificali dignitate præditis, ob reuerentiam sacri officij, quod exercent, plurimum conuenit deferri, & eos plus alijs decet honorari. c.2. supr. de offic. deleg. Et quoniam plus defertur dignitati episcopali, si suffraganeus delinquens puniatur per Archiepiscopum, qui ratione propriæ dignitatis est eius superior, quam si puniatur per officialem, qui episcopo est inferior dignitate, licet in officio, quod pro Archiepiscopo exercet, sit ei superior. glos hic. ver. non attentent. Ideo ad deferendum episcopali dignitati, præcipitur, ne officialis Archiepiscopi proferat in suffraganeum aliquam pœnam, dum per ipsummet Archiepiscopum potest in illum eiusdem pœnæ sententia proferri. vt in tex.& d.c.2.de offi. deleg.

Cap. 2. Si canonici.

CANONICI, qui à diuinis cessare possunt consuetudine, vel alio iure, si cessare volunt, causam suæ cessationis exprimant in instrumento publico, vel patentibus litteris, suo, vel alio authentico sigillo munitis.

QVIA talis cessatio non est facienda sine manifesta, & rationabili causa. extr.c.irrefragabili.§.cæterum. Et super ea debet interuenire tractatus, & seruari forma tradita, infr.in c.quamuis. non enim pro pensione subtracta, vel pro alia minima offensa debet fieri, sed propter grauem iniuriam, puta, si fiant statuta contra libertatem ecclesiasticam, vel si ponantur talliæ, aut collectæ clericis, vel si detineatur clericus, aut alia persona ecclesiastica per sæcularem balliuum, & his similia. glos.hic ver. causa. Et quoniam ista non bene possent probari sine authentica

ſcriptura, in qua appareat, an talis cauſa interuenerit, & an tractatus ceſſandi fuerit ſeruatus. vt in tex. & c.vt circa. ſupr.de elect. Ideo ſi canonici ex iure ſpeciali habeant hanc facultatem ceſſandi, (cum de iure communi non competat eis,ſed epiſcopo. d.c.irrefragabili) debent per ſcripturam authenticam in vno de prædictis modis facere de tali legitima ceſſatione conſtare. vt in tex. & infr. d.c.quamuis.

ET exhibeant illud, vel illas illi, contra quem ceſſant.

QVIA ſi cauſa ceſſandi,quam canonici expreſſerint,non fuerit inuenta canonica, præter alias pœnas per ipſos incurrendas, tenentur ei, contra quem ceſſauerint, de damnis, & iniurijs ſatisfacere; ſi autem cauſa fuerit canonica iudicata, is, qui occaſionem ceſſationi dedit, ad omne intereſſe dictis canonicis, & eccleſiæ, cui debitum officium,eius culpa,fuit ſubtractum, ad certam quantitatem taxandam, & in diuini cultus augumentum conuertendam, ſuperioris arbitrio condemnatur. vt in tex.& d.c.quamuis. Et quoniam in omni actu,in quo vertitur intereſſe partis, eſt regulariter ei citatio facienda. c.qualiter il 2. extr. de accuſat. & l.de vnoquoque. ff. de re iudic. Et hæc exhibitio ſcripturæ ceſſationis parti facienda, eſt quaſi quædam requiſitio ei facta, vt poſsit deliberare ſuper ſatisfactione capitulo impendenda. Archid. hic. Ideo canonici volentes à diuinis ceſſare, debent conficere duo inſtrumenta, ſeu ſcripturas authenticas,primam, in qua exprimant cauſam ceſſationis; ſecundam, de exhibitione, & aſſignatione illius inſtrumenti facta ei, contra quem ceſſare proponunt. Durand.hic nu.22. An autem cauſa ceſſandi fuerit legitima, erit arbitrio iudicis diſcernenda. Archid. hic, & not.infr. in d.c. quamuis.

HOC prætermiſſo, vel expreſſa cauſa non inuenta legitima, quicquid medio tempore perceperint ab eccleſia, reſtituant.

QVIA beneficium datur propter officium c.extirpandæ.diſt.81.vt qui altario deſeruiunt, de altario viuant. Apoſt.1. ad Corinth. cap.9. Et quoniam canonici, qui ceſſauerunt ſine his requiſitis, cenſentur ex eorum culpa indebite à diuinis ceſſaſſe, & eccleſiam ſolitis defraudarunt officijs. gloſ.hic.ver.tenebuntur. Ideo cum non præſtiterint eccleſiæ ſeruitia, propter quæ eis fructus aſsignantur, de illis viuere non debent,& ad reſtitutionem tenentur.vt in tex.& infr. c.quamuis. Et quia vbi clericus ex ſua culpa priuatur fructibus eccleſiæ,illi debent conuerti ad eiuſdem eccleſiæ vtilitatem, cui debitum obſequium eſt ſubtractum. c.penult. extr. de cleric. non reſid. Reſtitutio enim eſt facienda ei, cui res aufertur. c.cum tu.extr.de vſur. Ideo tales fructus ſunt conuertendi in diuini cultus augumentum,arbitrio ſuperioris, in eadem eccleſia, à qua fuit indebite ceſsatum. vt in tex.& d.c.quamuis.

ET

ET quæ percipere debent, non percipiant.

QVIA qui admittitur ad agendum, multo magis est admittendus ad excipiendum. l.1. §. quod ait. ff. de superfici. Et quoniam contra istos canonicos datur actio ecclesiæ ad repetendum fructus per eos male perceptos tempore, quo indebite in ea cessarunt à diuinis, vt dictum est superius. Ideo multo magis eidem ecclesiæ competit exceptio ad non soluendum eis fructus non perceptos. vt in tex. & c.qui ad agendum. infr. de reg.iur.

ET satisfaciant de iniurijs illi, contra quem cessant.

QVIA iniuria alicui illata, loco rei sibi ablatæ computatur. Institut.de iniur. §.pęna. Et quoniam res ablata est restituenda proprio domino. c.cum tu. extr.de vsur. Ideo ei, contra quem iniustè cessarunt, canonici de damnis, & iniurijs satisfacere debent. vt in tex. Et quoniam secundum cuiusque dignitatis gradum, vitæque honestatem, crescit, aut minuitur iniuriæ æstimatio. d.§. pęna. Ideo ille, contra quem cessatum est, æstimabit iniuriam hoc modo; potius voluisse cen tum, vel similia, perdidisse de meo, quàm hanc iniuriam pati, & iudex postea taxabit quantitatem, scilicet quanti, consideratis circunstantijs, sibi videbitur iniuria æstimanda, & deinde faciet iurare partem, vt declaret, se noluisse pro ista quantitate sic taxata, illam sustinuisse iniuriam, & postea iudex condemnabit iniuriantem in illa quantitate. glos. hic ver. damnis. & Gemin. in §.scituri.

CAVSA legitima inuenta, tenetur ille ad interesse canonicis, & ad certam quantitatem ecclesiæ, superioris taxandam arbitrio.

QVIA qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. c.fin. extr.de iniur. Et quoniam qui occasionem iustæ cessationi dedit, fuit in culpa, vt canonici perderent fortasse eleemosinas, & alia emolumenta, & quòd ecclesiæ debitum officium subtraheretur. vt in tex. Et qui damnum dat, debet parti reficere interesse. l.qui repertorium. §. si tutor. ff.de administr.tutor. Ideo is, qui dedit causam iustæ cessationi, debet condemnari canonicis ad omne interesse, quod sunt passi, & ecclesiæ debet condemnari ad certam quantitatem superioris arbitrio taxandam, vt conuertatur in futurum ad diuini cultus augumentum in recompensationem præteriti seruitij, & officij culpa illius ei subtracti. vt in tex. & glos. ver. damnis.

ET reprobatur consuetudo, qua imagines sanctorum in dicta cessatione spinis, & vrticis supponebantur.

QVIA sacras imagines propter reuerentiam illorum, quos imago figurat, honorare, & venerari debemus; non quod credatur in-

esse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. cap. venerabiles. de consecrat.distinct.3.& Concil.Trid.sess.25.de inuocat.& venerat.sanctor. Et quoniam tractare imagines Sanctorum irreuerenti ausu est detestabilis error horrendæ indeuotionis. vt in tex. & c. perlatum.d.dist. 3. Ideo omnino prohibetur, & reprobatur abusus prosternendi per terram imagines Sanctorum in aggrauationem cessationis à diuinis.vt in tex.sicut ob eandem causam signum Saluatoris in solo, aut silice, vel marmoribus humi positis, sculpere, vel pingere nō licet.l.vnic. C.nemini lice.sign.Saluat.& vide S.Tho.2.2.q.84.art.1.

ET contrarium facientes, sunt grauiter puniendi.

QVIA pœna est imponenda delinquentibus, tum vt castigetur eorum præterita culpa.c.disciplina.dist. 45. tum, vt in futurum is, qui fuit culpa stultus, fiat pœna sapiens.c.qui ea.dist.38. tum, vt pœna vnius sit metus aliorum.c.qua propter. 2.q.7. Et quoniam sic indecenter pertractare sacras imagines, erat abusus penitus detestandus.vt in tex. Ideo in eos, qui talia perpetrauerint, debet ferri vltrix, & dura sententia, quæ delinquentes sic puniat grauiter, quod alios à similium præsumptione compescat. vt in tex.& Ioan.de Anania in c.2.extr. de maledicis.

Cap.3. Ordinarij.

ORDINARII locorum possunt compellere suos subditos obtinentes plures dignitates, vel ecclesias, quibus animarum cura imminet, seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, vt intra certum tempus, pro facti qualitate, ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio, dispensationes sufficientes super illis simul retinendis exhibeant.

QVIA licet regulariter nemo sit cogendus edere titulum suæ possessionis.l.cogi.C.de petit.hæred.& 2.q.5.§.1. Hoc tamen fallit, vbi quis possidet contra iuris communis dispositionem. c. dudum.extr.de decim.& c.contra morem.dist.100. Nam propter præsumptionem, quæ tunc est contra eum, quod non iustè possideat, transfertur in eum onus probandi, se legitime possidere.l.ciuile. C.de furt. Et quoniam habere simul plura beneficia, maximè curata, & dignitates, est contra iuris communis dispositionem.c.de multa. extr. de præb. & c. quia nonnul-

nonnulli.de cleric.non resid. Ideo possunt ordinarij compellere illos,qui talia plura beneficia possident,ad ostendendum,quomodo legitimè possideant.vt in tex.& glos.fin.in c.ex insinuatione.extr. de procur. Et hodie non solum ordinarij hoc possunt, sed ad id ex præcepto sub pœnis tenentur.infr.in extrauag.commun.c.2.& Concil.Trid.sess.7. de reform. cap.5. Præsumptio enim transfert onus probandi quandoque ad reum. l.siue possidetis.C.de probat. Et hæc habent locum etiam in minoribus beneficijs,nisi essent talia,quæ de iure simul teneri possent. glos.hic. ver. animarum. Quæ autem possint plura retineri, dic,vt in c.gratia. supr. de rescript.& Concil.Trid.sess.24.de refor.cap.17.

QVAS si non ostenderint,perinde procedatur,ac si nullas haberent.

QVIA paria sunt non esse,& non apparere, quo ad iudicis processum.l.Rutilia.& l.in lege.ff.de contrahen. empt. & c. solemnitates.de consecr.dist. 1. Et quoniam sola possessio non sufficit in ecclesiasticis beneficijs,nisi adsit canonica institutio.c.ex frequentibus. extr. de institut. Et ipsa non præsumitur adesse, quando intra debitum tempus non probatur in casu,quo venit probanda.glos.hic.ver.& ipso. Ideo ex quo talia beneficia censentur vacare,& per tales illicitè detineri, poterunt per legitimos collatores alijs idoneis libere conferri. vt in tex. & d.c.de multa. Si tamen beneficiatus ex iusto impedimento non potuit intra tempus assignatum ostendere titulum, excusatur, & poterit illud postea ostendere.glos.ver.libere. quia iustè impedito, non currit tempus.c.cupientes.§.quod si.supr.de elect.& l.contra.C.de inoffic.test.

ET si ostenderint,& sufficientes,non amplius molestentur.

QVIA sufficiens dispensatio facit licitum, quod aliàs esset illicitum.glos.penult.in c.dudum il 2.extr.de elect. Et quoniam temerarium esset,velle molestare legitimè possidentem.c.1.extr. de calumn.& l.eum.ff. de iudic. Ideo si dispensatio exhibita euidenter appareat sufficiens,exhibens nequaquam in beneficijs huiusmodi,quæ canonicè obtinet,erit postea molestandus. vt in tex.& c.vt circa.§.alioquin. supr.de elect. Dispensatio autem dicitur sufficiens, quando est concessa ab habente potestatem;& qui sit ille in hoc casu,habetur in d.c.de multa.& supr.de rescript.c.gratia.Et quod sit facta cum expressione eorum, quæ poterant retardare concedentē.c.non potest.infr.de præb. Et quod sit facta ex causa iusta.glos.penult.in c.non est.extr.de voto.& glos.in c. vt constituerentur.dist.50.

PROVISO, ne in prædictis beneficijs cura negligatur animarū.

QVIA dispēsatio super talibus, semper datur,vel dari intelligitur, secundum istas duas modificationes,scilicet,ne in concessis beneficijs cura animarum negligatur, & ne debitis obsequijs ipsa beneficia

neficia defraudentur. glos.hic.ver.cura.& Gemin.§. cæterum. Et quoniam ad episcopum, & ordinarium loci, spectat prouidere, ne Dei cultus minuatur, & ne animarum cura negligatur.ext.c.irrefragabili. Ideo licet, quo ad remouendum talem beneficiatum, ordinarius non habeat potestatem, propter dispensationem licitè obtentam; in his tamen, quæ spectant ad obsequium Dei, & curam animarum, bene habet potestatem; nec ad ipsum, super talibus impediendum, se extendit dispensatio. vt in tex.& d.glos.hic.& c.cum ex eo.supr.de elect.

SI autem dubitetur de dispensatione, ad Sedem Apostolicam recurratur.

QVIA si ipsi ordinarij possent in talibus de validitate dispensationis Apostolicæ iudicare, periculum esset, ne sæpe, sub prætextu pietatis, indebite vexarent dispensatos. Durand.hic num.26. Et quoniam eius est interpretari, cuius est condere.c.in audientia. extr.de sent.excom.& l.1.C. de legib. Ideo si de sufficientia talis dispensationis dubitetur, erit ad Apostolicam Sedem recurrendum, cuius est æstimare, quem modum sui beneficij esse velit. vt in tex. & c.cum venissent. extr.de iudic.

TALIBVS plura similia beneficia obtinentibus, aliud non conferatur beneficium, nisi ostensa dispensatione sufficienti.

QVIA cum tales habeant ista plura beneficia contra iuris communis dispositionem, si non ostendunt legitimam dispensationē, præsumuntur illicite possidere, vt dictum est superius. Et quoniam propter talem præsumptionem, quæ est contra eos, censentur inhabiles ad beneficium ecclesiasticum obtinendum.glos.hic.ver.ostendatur.& c.is, cui.infr.de præb. Ideo donec non auferunt illam malam præsumptionem, & ostendant per dispensationem se legitime possidere, aliud beneficium eis conferri non potest, etiam si fuerit casus, in quo aliàs ipsis potuisset conferri.vt in tex.& c.cum iam dudum.ext.de præb.

ET tunc ita demum conferatur, si per dispensationem possunt illud cum alijs retinere.

QVIA dispensatio, tanquam exorbitans à iure communi, est odiosa, & eius concessio est strictè intelligenda.c.1. supr. de fil. presb. Et quoniam per strictam verborum intelligentiam dispensatio super obtentis, non comprehendit obtinenda; cum aliud sit acquirere, aliud retinere. l.quemadmodum. ff.de acquir.possess. Ideo si non apparet, quod dispensatio se extendat etiam ad aliud simile beneficium obtinendum, per illam concessam super iam obtentis, non datur facultas ad alia obtinenda.vt in tex.& c.non potest.infr.de præb.

VEL

VEL si prioribus renuntiauerint.

QVIA renuntiatio beneficij sponte,& liberè facta, & à superiore admissa,ita separat beneficiatum à beneficio, vt ille quo ad tale beneficium censeatur mortuus.c.ex transmissa.extr.de renunt. Et quoniam non entis nullæ sunt qualitates.l.eius, qui.ff.si cert.petat. Et cessante causa,cessat effectus.c.cum cessante. extr. de appellat. Ideo cum iste non fuerit in culpa in præteritum, ex quo per dispensationem legitimè possedit; & cum ei non obstent amplius beneficia,quæ habebat,ex quo illa legitimè renuntiauit,nō debet impediri, quin in posterum possit ad aliud beneficium promoueri, vt in tex.& c.cum inter.extr. de renunt. Hoc autem,quod hic dicitur de renuntiatione prius facienda,habet locum, quando quis obtinebat talia plura beneficia ex dispensatione.glos.fin.hic. nam quando quis obtinebat vnum tantum de iure communi,per adeptionem secundi vacat primum simile,ipso iure: & absque alia renuntiatione tenet collatio secundi. d.c. de multa. & nouissimè Concil.Trid.sess.7.de refor.cap.4.

ALITER collatio facta non teneat.

QVIA per adeptionem posterioris similis beneficij,talia,quæ obtinebantur per dispensationem,non vacant ipso iure.glos.fin.hic. Et dispensatio non se extendit ad illa retinenda, & ad aliud consequendum, vt dictum est superius, & glos.hic.ver.aliter. Et quoniam si illa prius non renuntiarentur, ordinarius cōferret beneficium habenti aliud incompatibile.vt in tex.quod facere non potest.d.c.de multa. Ideo si ille,qui vult obtinere aliud simile à prælato, non ostendat sufficientem dispensationem ad istud aliud obtinendum cum retentione priorum, vel si non renuntiat prioribus, antequam aliud ei conferatur, collatio postea ei facta de alio, tanquam facta inhabili, nullius est momenti. vt in tex.& Clem.si plures.de præb,

Cap.4. Quia.

PRAECIPIT Papa,ne prælati subditis interdicant, ne statum ecclesiarum, & personarum, superioribus inquirentibus manifestent; nec eos ad id celandum iuramentis,promissionibus,obligationibus, aut alijs pœnis adstringant.

QVIA plerique prælati non sine multa temeritatis audacia præcipiebant suis subditis, ne ipsorum superioribus, aut Apostolicæ Sedis Legatis,vel Inquisitoribus, ad inquirendum, corrigendum, & reformandum in eorum ecclesijs,monasterijs, siue locis,ab Apostolica Sede deputatis,veritatem aperirent, eosq. sub varijs pœnis, & obligationibus ad criminum occultationem adstringebant. vt in tex. & c. olim.

olim.extr. de accusat. Et quoniam iste erat modus nutriendi populum in peccatis,& superiorum auctoritatem illudendi.vt in tex. Ideo ad obuiandum malitiæ talium prælatorum, sub grauibus pœnis inhibetur prælatis, ne de cætero similes prohibitiones facere audeant, vt in tex. & d.c.olim.

ET decernit,quod contra factum fuerit,irritum,& inane.

QVIA licet valeant pactum, & iuramentum de non accusando, quando illa tendunt solum ad excludendam partem accusare volentem.c.quemadmodum.extr.de iureiur.& c.veniens. de accusat. non tamen valent,quando tendunt ad præcludendam iudici viam indagandæ veritatis.c.1.extr. de crim. fals. Et quoniam prælati faciebant subditis istas prohibitiones ad celandam superioribus veritatẽ, vt dictum est superius. Ideo tales prohibitiones, & promissiones, tanquam illicitæ, & contra bonos mores, decernuntur non valere. vt in tex. & d.c. olim. Et apponitur clausula,irritans, vt in tex. quia tunc contrafactum est nullum absque ope exceptionis.vt not.in Clem.1.de elect.

ET sententias, iuramenta, promissiones, uel pœnas non ligare.

QVIA debemus vti rebus eo modo,ad quem sunt institutę.c.is autem.22.q.2 Et quæ sunt institutæ ad bonum,non sunt peruertendæ ad malum.c.sicut.ext.de iureiur. Et quoniam sententiæ, iuramenta,promissiones, & pœnæ,non sunt instituta, vt essent vincula iniquitatis,sed vt sint iustitiæ instrumenta.c.inter cætera.22.q.4.& glos.in c. non est obligatorium. infr. de reg. iur. Ideo non debet eis aliquis vti ad impediendam iustitiam,& nutrienda peccata;in quo casu,sicut ista non sunt obligatoria.d.c.non est. ita ad maiorem expressionem,decernuntur non ligare,nec valere.vt in tex.& c.fin.extr.de testib.& vide nouissime sancita per Concil.Trid.sess.24.de refor.cap.10.

ET præsumptores præcipit pœna condigna à superioribus eisdem puniri.

QVIA delinquentium temeritas non debet transire impunita. vt in tex. Sed quos Dei timor à malo non reuocat, saltem coercere debet seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Et quoniam huiusmodi pręlati grauiter peccant,cum loco corrigendi subditos,& deferendi honorem eorum superioribus, nutriant illos in peccatis, & istos illudant, vt dictum est superius. Ideo à superioribus, vel legatis, seu Inquisitoribus ad corrigenda illa populorum delicta potestatem habentibus, animaduersione cōdigna etiam tales prælati præcipiuntur castigari. vt in tex. Qui enim recipit potestatem ad corrigendum aliquod delictum, recipit illam etiam in eos, qui impediunt eius iurisdictionem.c.sane,il 2.extr.de offic.deleg. Sed cum certa pœna contra

tra tales hic non exprimatur, intelligitur relicta arbitrio ipsius superioris corrigentis.c.de causis.extr.de offic.deleg.

Cap. 5. Vt litigantes.

IVRISDICTIO Archiepiscopo attributa in vna diœcesi, sibi in alijs non prodest.

QVIA Archiepiscopus non potest exercere iurisdictionem in diœcesi sui suffraganei, nisi in casibus quibusdam exceptis, licet ipse sit iudex ordinarius omnium suffraganeorum. supr.c.1. & extr.c.pastoralis. Sed bene per consensum alicuius suffraganei, & partium litigantium subditarum ipsius suffraganei, & per consuetudinem præscriptam, potest Archiepiscopus prorogare suam iurisdictionem in in aliqua diœcesi vltra id, quod sibi de iure communi conceditur. supra c.1.& c. conquestus. 9.q.3. Et quoniam ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus.ff.de minor. Et alteri per alterum non debet iniqua conditio fieri. c.non debet.infr.de reg.iur. Ideo, licet Archiepiscopo tribuatur in aliquo casu maior iurisdictio in vna diœcesi, quàm iure metropolitico ipse habeat in tota prouincia; non per hoc infertur, quod eadem iurisdictio sit extendenda in reliquis diœcesibus, in quibus sibi non fuit talis iurisdictio specialiter concessa, & in quibus per particularem consuetudinem, illam non acquisiuit. vt in tex.& supr. d.c.1. & ad hæc vide Concil.Trid.sess.24.de refor.cap.3.

Cap.6. Si episcopus.

SI Episcopus, vbi de iure id potest, suam diœcesim visitat per alium, habet illi in necessarijs prouidere.

QVIA populi visitandi tenentur visitatori solum victualia ministrare. c.1.& 2. infr. de censib. & Concil.Trid. sess. 24. cap. 3. Et quoniam onus visitandi regulariter spectat ad ipsum episcopum.extr. eod.c. inter cætera: Sed quando ipse est legitime impeditus, ad eum releuandum, & ad populo subueniendum, conceditur à iure, vt per alium idoneum possit hoc officium adimplere. c.episcopum. 10.q.1. Ideo ex quo ille exequitur officium ipsius episcopi, ne pro necessariorum defectu compellatur desistere ab incœpto, debet ipse episcopus, qui per eum releuatur, ei administrare necessaria, præter victum. vt in tex. & d. c. inter cætera. Vt, scilicet, episcopus paret illi suo nomine visitanti, equos, familiam, vestes, & alia opportuna, sicut pararet sibi ipsi, si personaliter visitaret; & si victualia non possent haberi à subditis, nisi cum scandalo, tunc episcopus deberet ei prouidere etiam de victualibus.glos.hic.ver.prouidere, & Archid.in fin.

VISITATI autem in victualibus prouidebunt ipsi vicario visitanti.

QVIA secundum Apostolum: Non est magnum, si ab eo metantur temporalia, per quem spiritualia seminantur. 1. ad Corinth. cap. 9. Et quoniam si episcopus personaliter visitasset, populi deberent ei administrare victualia, tanquam procurationem debitam ratione visitationis. c. cum venerabilis. extr. de censib. nisi esset particularis consuetudo, vt nihil ab eis reciperetur. Concil. Trid. d. cap. 3. Ideo sicut populi deberent prouidere episcopo de victualibus, ita debent prouidere eius vicario in visitandi officio ipsi subrogato. vt in tex. & d. c. inter cætera.

ET non episcopo.

QVIA ista victualia, & procuratio, debentur visitanti, ratione personæ. d. c. cum venerabilis. vbi habetur, quod tunc debentur, cum visitator accesserit. Et quoniam non est ferendus, qui lucrum amplectitur, onus verò ei annexum non sustinet. l. vnic. §. pro secundo. C. de caduc. tollen. Et ad quem spectat onus, debet spectare commodum. c. charitatem. 12. q. 2. Ideo cum episcopus personaliter non visitat, nihil prorsus ab his, qui per illum, quem deputat, fuerint visitati, exigere poterit, aut debebit. vt in tex. Sed sufficit, quod ille, qui visitauerit, moderate pro tempore, quo visitat, victualia recipiat. d. c. inter cætera, & Concil. Trid. d. cap. 3.

Cap. 7. Cum episcopus.

IN quolibet loco diœcesis non exempto, per se, & per alium, potest episcopus pro tribunali sedere, & liberè exequi, quæ ad ipsius spectant officium.

QVIA episcopus habet iurisdictionem ordinariam in tota sua diœcesi. vt in tex. & c. de persona. 11. q. 1. Et quoniam illa iurisdictio delusoria videretur, si in loco iurisdictionis episcopus non posset exercere ea, quæ spectant ad ipsius officium. c. præterea. & c. sane il 2. extr. de offic. deleg. Ideo exercitium iurisdictionis episcopalis non est restringendum ad aliquem locum particularem diœcesis; sed vbique, secundum quod requirit qualitas loci, & iurisdictionis exercendæ exposcit occasio, potest episcopus ius reddere, & alia ad eius officium spectantia libere exercere. vt in tex. & c. nouit. extr. de offic. leg. In loco tamen exempto non potest episcopus cathedram collocare, vt ibi exerceat iudicia. c. luminoso. 18. q. 2. quia locus à iurisdictione episcopi exemptus, quo ad ea, in quibus est exemptus, æquiparatur loco existenti extra diœcesim. c. per exemptionem. infr. de priuil. & Federic. consil.

16. Ad

16. Ad cognoscendum autem locum exemptum, vide. c.si Papa. d.tit. de priuil. Et quia episcopus, quo ad iurisdictionem episcopalem per totam diœcesim, habet intentionem fundatam de iure communi. vt in tex. & extr. c.1. Ideo qui dicit se exemptum, tam quo ad locum, quàm quo ad personas, debet ostendere priuilegium exemptionis. c.cum personę. infr. de priuil. & c.contra morem. dist. 100. Et quia de iure canonico omnia sunt delegabilia, excepto vsu pallij. vt not. extr. in c. quod sedem. Et quis potest facere per alium, quod potest per seipsum. c.potest.infr. de reg.iur. Ideo sicut episcopus potest in talibus locis suæ diœcesis exercere iurisdictionem per seipsum, ita potest facere ibi illam exercere per alium. vt in tex. & extr. c. inter cætera. sed licet nullus alius, præter episcopum, in tota sua diœcesi habeat sub eo iurisdictionem.glos.2. hic. In parte tamen bene potest illam habere. c.fin.extr. de offic. archid. & dist.25. c.perlectis.

Cap.8. Quamuis.

CANONICI, qui à diuinis cessare possunt, cum cessare voluerint, vocabunt absentes, sicut si immineret electio facienda, cum quibus de cessatione deliberabunt.

QVIA cessatio à diuinis non est facienda sine manifesta, & rationabili causa, ne indebite solita ecclesiæ officia dimittantur. extr. c.irrefragabili, & supr. c.si canonici. Et quoniam istud est graue negotium, cum tractetur de cultu diuino, qui potius est augendus, quam sit per intermissionem officiorum minuendus. c.ex parte. extr. de constitut. Et quia in grauibus ecclesię negotijs per canonicos expediendis, sunt vocandi omnes canonici, qui possunt commode interesse, vt simul omnes, ad quos spectat tale negotium, plenius deliberent, quid sit agendum; sicut fit in casu electionis faciendæ, in qua vocantur omnes canonici existentes in prouincia. c.coram. extr.de elect. Ideo vltra ea, quæ super huiusmodi cessatione sunt seruanda per d.c.irrefragabili. & d. c. si canonici; vt euitentur multæ fraudes, quæ in ea interueniebant, plura hic præcipiuntur adhibenda, inter quæ est vocatio canonicorum existentium in prouincia, vt simul cum alijs canonicis maturius deliberent, an talis cessatio sit tunc facienda. vt in tex.

ET si deliberant cessare, requirent prius eum, contra quem cessant, vt irrogatam offensam emendet.

QVIA cessatio à diuinis non fit ex eo, quod ipsa principaliter intendatur; sed fit, vt per eam ecclesia, & ecclesiastici cessantes, ab irrogata eis offensa releuentur. d.c.si canonici. Et quoniam in quantum fieri potest, talis cessatio est euitanda. d.c.irrefragabili. Ideo antequam cessetur, est requirenda pars, vt offensam emendet, ne detur

per illam causa ad cessandum. vt in tex.& d.c.si canonici.

QVOD si fecerit, non cessabunt.

QVIA cessante causa, cessat effectus. c. cum cessante.extr. de appellat. Ideo ex quo causa cessationis erat offensa irrogata, vt dictum est superius; cessante offensa per emendam, debet etiã omitti ipsa cessatio. vt in tex.& d.c.irrefragabili.§.cæterum.

ALIOQVIN cessare poterunt.

QVIA qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam. c. cum ecclesia. extr.de elect. Et quoniam ex consuetudine, vel priuilegio, potest tale ius cessandi spectare ad canonicos, licet de iure communi spectet ad episcopum.d.§.cæterum. Ideo vbi canonici hoc habent de iure speciali, si seruauerint formam hic traditam super tali cessatione, poterunt ad se releuandos à percepta offensa, istud medium adhibere. vt in tex.

ITA quòd à cessatione infra mensem vtraque pars, & cessans, & contra quam cessatur, iter arripiat eundi ad Papam, vel per se, vel per procuratores sufficienter instructos.

QVIA cum non deceat, vt per huiusmodi cessationem ecclesia diu solitis fraudetur officijs. d.c.ex parte. per superiorem est prouidendum, vt quamcitius fieri potest talis cessatio remoueatur. vt in tex. Et quoniam ista est causa affecta sedi Apostolicæ. Archid. hic in fin. Ideo assignatur partibus competens terminus vnius mensis ad iter arripiendum per se, vel per idoneos procuratores, ad Papam super tali causa informandum. vt in tex. & simile habetur in c.1. & c. cupientes. supr.de elect. Admittuntur autem procuratores. vt in tex. quia vbi in causa non agitur criminaliter, ius concedit, vt quis possit per alium, quod posset per seipsum. vt not.in c.1.de procur.

NISI interim interuenerit concordia inter ipsos.

QVIA partes dissidentes magis sunt hortandæ ad pacem, quàm ad iudicium.c.studendum.dist.90. Quid enim aliud agit iudex, quàm vt controuersias partium dirimat, à quibus si ipsæ sponte recesserint, debebit id ratum habere.l.1.§.inde.ff.de oper.nou.nunt. Et quoniam ista cessatio permittitur, vt ecclesiastici offensi releuentur ab irrogata iniuria.d.§.cæterum. Ideo si interuenerit concordia inter ipsos canonicos, & partem offendentem, poterunt canonici à tali cessatione recedere, & solita diuina officia in ecclesia reassumere. vt in tex.& supr.d. c.si canonici.

ET continuatis dietis quam citò poterunt, se coram Papa præsentent.

Quia

QVIA cum fuerit iſtis partibus aſsignatus terminus vnius menſis ad iter ad Sedem Apoſtolicam arripiendum, erat aſsignandus alius terminus ad ſe coram Papa præſentandum; vt in ſimili fit in cauſa electionis.ſupr.de elect.c.cupientes. Sed quoniam in his non poteſt omnibus competenter iſdem terminus aſsignari; cum ſit habenda ratio viarum,& temporis,ætatis,& ſexus,ac valetudinis.d.c.cupientes.& l.continuus. §. cum ita.ff. de verb. oblig. Ideo cum non potuerit conuenienter aſsignari partibus certum tempus ad ſe coram Papa præſentandum; ſatis eſt,quòd poſt iter arreptum,per eas non ſtet, quin ſe præſentent,quam citò commode poterunt. vt in tex.& d. c.cupientes. Quando autem intelligantur hoc commode poſſe,relinquendum eſt arbitrio ſuperioris.ſupr.c.ordinarij. Quod enim legibus omiſſum eſt, non omittetur religione iudicantium.l.quæſitum.ff.de teſtib.

VT vtraque parte præſente,vel altera contumaciter abſente, Papa diffiniat negotium.

QVIA partium aſſertione cauſarum merita panduntur. c. tum ex litteris.extr.de in integr.reſt. Et quoniam contumax habetur pro præſenti. c.fin.extr.de dol.& contum. Ideo ſiue ambæ partes venerint, ſiue vna ſit contumax, poterit talis ceſſationis cauſa definiri. vt in tex. & d.c.ſi canonici.

ET culpabiles puniat.

QVIA conueniens eſt, vt qui fuit culpa ſtultus, fiat pœna ſapiens.c.qui ea.diſt.38. Ideo, examinato negotio apud Sedem Apoſtolicam, pars,quæ culpabilis inuenta fuerit,punietur:vt, pœna docente,cognoſcat, quantum exceſſerit, quæ ceſſationi factæ rationabiliter,cauſam dedit; vel quæ ſine rationabili, & manifeſta cauſa ceſſauit.vt in tex. Pœna autem, vltra eam de reficiendo omne intereſſe parti,quæ iniuſte fuit damnum paſſa. vt in d.§.cæterum. & d.c.ſi canonici. erit alia ad arbitrium Summi Pontificis, pro vt ipſe viderit magis expedire. vt in tex. Pœna enim debet menſurari ſecundum culpam. c. diſciplina. diſt. 45. Et quia in tali ceſſatione poteſt eſſe ex vna parte maior culpa vna vice,quàm alia.d.c. ſi canonici. Ideo non exprimitur omnis pęna, quæ contra partem in tali ceſſatione delinquentem ſit imponenda, ſed aliqua relinquitur arbitrio ipſius ſuperioris terminanda. vt in tex.

ET ſi pars ceſſans prædicta non ſeruet,ceſſatio non ſeruetur.

QVIA vbi non ſeruatur forma à iure tradita in actu faciendo, non valet actus.c.quia propter.extr.de elect. Cum formâ ſit,quæ dat eſſe rei.l. Iulianus. §.ſed &. ff. ad exhiben. Et quoniam ea, quæ hic traduntur obſeruanda, imponuntur tanquam neceſſariò ſpectantia

ctantia ad formam cessationis. Archid. hic in fin. Ideo si pars à diuinis cessans, supradicta tam in cessando, quàm in veniendo, siue mittendo ad Sedem Apostolicam, non seruauerit, nec cessatio erit seruanda; sed, ea non obstante, (vt prius) in ipsa ecclesia erit celebrandum. vt in tex. Nota igitur in summa, quod ad hoc, vt fiat cessatio valida, necesse est hæc interuenire. Primo, quòd qui cessant, habeant de consuetudine, vel alio iure, vt cessare possint. Secundò, quod vocentur absentes ad tractandum de cessatione. Tertiò, quod super illa tractent. Quartò, quod de cessando deliberent. Quintò, quod sit manifesta offensa, propter quam cessant. Sextò, quod sit rationabilis. Septimò, quod ante cessationem, instrumento publico, vel patentibus litteris authentico sigillo munitis, causam cessationis exprimant. Octauò, quod illud instrumentum, vel litteras tradant ei, contra quem cessant. Nonò, quod requirant illum, vt emendet competenter iniuriam, vel offensam, propter quam cessare volunt; quod si non fecerit, tunc habet locum cessatio. Et post cessationem debet vtraque pars arripere iter ad Sedem Apostolicam intra mensem, per se, vel per procuratores sufficienter instructos; & ex tunc, continuatis diebus, habent tempus arbitrarium, quo commode posśint ire. Si hæc omnia non fuerint seruata, cessatio non tenet; & contra partem delinquentem habent locum supradictæ pœnæ. vt in tex. & glos. fin. hic.

Cap. 9. Præsenti.

PRAELATVS non debet occupare bona vacantis dignitatis, vel ecclesiæ sibi subiectæ.

QVIA huiusmodi bona non pertinent ad ipsum prælatum, sed debent in ipsius dignitatis, vel ecclesiæ vtilitatem conuerti, aut futuro successori reseruari. vt in tex. & supr. de elect. c. quia sæpe; vbi notatur, quod hodie per constitutiones Summorum Pontificum editas post hæc iura, ecclesiæ, & successori subrogatur Camera Apostolica, & facit spolia, exceptis quibusdam casibus contentis in ipsis constitutionibus, vt ibi not. Et quoniam ille, qui fraudulenter contrectat rem alienam, lucri faciendi gratia, committit furtum. l. 1. ff. de furt. Ideo in pęnam huiusmodi delicti, statuitur, vt episcopi, vel eorum superiores, aut inferiores prælati, & quæcunque aliæ ecclesiasticæ personæ, quæ talia perpetrauerint (quo ad episcopos, & eorum superiores, vt ipsi ab ingressu ecclesiæ; cæteri verò ab officio, & beneficio) tam diù eo ipso sint suspensi, quousq; restitutionem fecerint de prædictis. vt in tex. & d. c. quia sæpe.

NISI de speciali iure id eis competat.

QVIA specialia derogant generalibus. c. generi. infr. de regul. iur. Ideo si ex priuilegio, vel consuetudine iam legitimè præscripta, seu

ſeu alia cauſa rationabili,talia bona competant prælato, vel alteri perſonæ,tale ius ſpeciale,non autem ius commune,erit tunc attendendum. vt in tex. Priuilegium enim à principe conceſſum, decet eſſe manſurum. c.decet.infr.de reg.iur. Et conſuetudo legitimè præſcripta derogat iuri poſitiuo.c.fin.extr.de conſuet. Et cauſa rationabilis,qualis eſſet onus impoſitum in fundatione eccleſiæ,debet cuique ſuum ius fouere.gloſ.hic ver.alia.& c.præterea.il 2.extr.de iure patr.

ET cum de iure ſpeciali id alicui competit, debet intelligi de bonis, quæ ſuperſunt,ſolutis debitis.

QVIA bona intelliguntur,quæ ſuperſunt,deducto ære alieno.l.mulier.ff.de iure dot. Et quoniam qui ſentit commodum,debet etiã habere incommodum.c.qui ſentit.infr.de reg.iur. Et qui ſuccedit in ius alterius; debet vti eo iure,quo ille fuiſſet vſus.d.c.is, qui.tit.de reg.iur. Ideo ſi quis aſſerit ſibi competere bona dimiſſa tempore mortis alicuius beneficiati,& obuenientia tempore vacationis eccleſiæ,debet ſoluere debita illius,ſicut ille ſoluiſſet. vt in tex.& c.1.de ſolution.

ET oneribus incumbentibus vſque ad nouos redditus.

QVIA res tranſit cum onere ſuo. c.cum non ſit.extr.de decim. Et cum cauſa ſua.l.ſi conuenerit.§.ſi fundus.ff.de pign. act. Et quoniam ordinata charitas incipit à ſeipſo . c. quieſcamus. diſt. 42. Ideo non debet intelligi tale ius percipiendi iſtos fructus eccleſiæ vacantis,niſi ſolutis his, quæ fuerint neceſſaria pro ſeruitoribus , & miniſtris, ac incumbentibus oneribus vſque ad nouos redditus ſupportandis ; ne eccleſia remaneret cum iſtis oneribus , & alius perciperet fructus. vt in tex.& hodie dic de talibus, vt habetur in extrauag.Io.XXII. c.ſuſcepti. de elect. Durum eſt enim,ſitientibus proprijs agris , vicinorum prædia irrigare.l.præſes.ff. de ſeruit. Quod ciuitas Anagnia experitur; Cum enim in eius amœno territorio,propter aeris intemperiem, non adſint inhabitantes coloni , è ſaxoſis montibus ad illud excolendum laborioſi Hernici deſcendunt; indeq. fructus,& frumenta pro maiori parte ad propria extrahentes , ipſi commodè viuunt , relinquendo ciuitatem in territorio diuitem,in ciuibus reſpectiuè egentem ; quod & Vergilius annuit dicens :

Hernica ſaxa colunt,quos diues Anagnia paſcit . Aenead.lib.6.

In Hernicis namque frigidioribus tempore æſtiuo viget maior aeris ſalubritas,qua præcipuè gaudet Acutum,Caſtrum à me dilectum ; cum enim illud etiam in temporalibus ſit ſub Epiſcopis Anagninis,ibi in iuuentute mea per plures annos, æſtiuos menſes (antequam ingrederentur,Roma diſcedens) apud Reuerendiſsimum Gaſparem bon.me. patruum meum periucunde tranſiui, vbi & ipſe palatium Epiſcoporum in meliorem formam redegit, picturiſq. ornauit, & caſtrum , quod ſtrictè

intra

intra se mille continet habitatores,nouo muro ampliauit, porta, quam Viuianam appellant, magnificè constructa; nec ob id omisit Anagniæ ædificare penè à fundamentis palatium episcopale; cum illud antiquũ, quod & Summi Pontifices aliquando inhabitarunt, fuerit dirutum sub pontificatu Pij Quarti,ad erigendam in arcem, illam eminentiorem ciuitatis partem,quæ in prouincia Latij esset propugnaculum Vrbis. Et ex quo fructus ecclesiæ sunt deputati pro oneribus incumbentibus toto anno vsque ad alios nouos fructus.vt in tex. infertur, quod si erant impositæ collectæ ecclesiæ vno anno,& rector non soluit,& recepit fructus illius anni; si alio anno renunciat beneficio, ipse tenetur ad collectas illius anni,& non successor, qui postea possidet. Gemin.hic.§.porro. & Anchar.consil.194.

PER hanc constitutionem, quæ non derogat, quando prælatus ex iure speciali succedit in bona clericorum obeuntium, non corrigitur c.quia sæpe. supr.de elect. quod derogat iuri,quantumcunque speciali, clericorum succedentium in bona prælati defuncti.

QVIA ibi læditur caput per membra, hic verò econuerso læduntur membra per caput. glos.fin. hic. Et quoniam grauior est læsio capitis, quàm membrorum. c.qualiter il 2. extr. de accusat. & c.secuti. 2.q.7. Et absurdum est, quod filius in parentem, & subditus in prælatum, vel in ipsius res habeat potestatem. c.cum inferior. extr.de maior. & obed. Et si canonici succederent in bona prælaturæ vacantis, tardius eligerent prælatum, vt ipsis plures fructus accrescerent. d. c. quia sæpe. Ideo plures rationes vrgent ad prohibendum,ne clerici succedant in bona prælati, cuiuscunque iuris specialis prætextu, quæ prohibitio fit in d.c.quia sæpe; quam quod prohibeatur, ne prælatus succedat in bonis obeuntium clericorum, quod ex iure speciali conceditur in hoc tex. Et sic ex diuersis, in quibus non est eadem ratio, non fit illatio. l.Papinianus. ff. de minor. Sed quæ sint bona clericorum, de quibus ipsi non possunt testari, nec succedunt in illis consanguinei, sed de iure communi succedit ecclesia, ex qua sunt acquisita, vel successor in beneficio, aut ex iure speciali prælatus; vel hodie Sedes Apostolica per nouas constitutiones istis subrogata: Distingue; quod de bonis acquisitis intuitu personæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina, clericus potest disponere pro suo arbitrio, vt possunt de suis sæculares. c. relatum il 2. extr. de testam. De acquisitis verò intuitu beneficij,adhuc distingue inter clericum habentem beneficium cum administratione, & inter illud non habentem;nam clericus habens beneficij administrationem, quamdiù viuit,& sanus est, dare potest, moderatè tamen. c.cæterum. extr. de donat. Comparatur enim vsufructuario, quia eius ius morte finitur, sicut vsufructuarij. c. si quis sanè. extr. de pecul. cler. & c.consultationibus. extr. de donat. Potest ergo dum viuit, voluntatem suam

ſuam facere, dummodo moderatè donet. Cum incipit infirmari, comparatur vſuario, & ita nihil habet, niſi vſum tantum, eleemoſinam tamen facere poteſt. c.ad hæc. de teſtam. Sed de his bonis teſtari non poteſt.c.cum in officij. d.tit. Si verò ſit clericus non habens adminiſtrationem, ſed perſonaliter, & ſimpliciter beneficiatus, etiam in morte comparatur vſufructuario, quantum ad faciendum fructus ſuos, & de ipſis poteſt teſtari; eccleſia tamen ſuccedit ei in iſtis, ſi decedat ab inteſtato. d.c.relatum, & c.requiſiſti. §. illud. d. tit. Et quod dictum eſt de clerico ſimpliciter beneficiato, quod facit fructus ſuos, & de eis poteſt teſtari, intelligendum eſt de perceptis, & reconditis. Alij verò ad eum ſpectantes, ſed per ipſum non percepti, ad eccleſiam pertinebunt. gloſ. hic ver. reſeruari. Ille autem clericus dicitur habere beneficium cum adminiſtratione, qui habet beneficium, quantumcunque ſimplex, in titulum, cui ſit certa dos aſſignata, cum ipſe dicatur habere adminiſtrationem illius dotis, & talis de iure communi non poteſt de fructibus beneficij teſtari; ſed ſi hoc diſponeret ſpecialis conſuetudo, vel ſtatutum eccleſiæ, per quæ tamen non nimium grauaretur eccleſia, virtute huiuſmodi iuris ſpecialis poſſet teſtari. Gemin. hic nu. 5. Clericus verò non habens adminiſtrationem, ſed ſimpliciter, & perſonaliter beneficiatus, qui poteſt teſtari de fructibus acquiſitis, dicitur ille, qui recipit fructus ratione ſtipendij perſonalis, & pro labore diurno, vt ſunt canonici, qui non habent præbendas diſtinctas, nec certam portionem ex maſſa communi, quæ ſuccedat loco præbendæ; ſed eorum fructus ſunt diſtributiones quotidianæ, quæ dătur pro diurno labore, de quibus clericus poteſt teſtari, etiam ſi aliqua pars fructuũ conſiſteret in prębenda. Et ſimiliter habens capellaniam ad nutũ amouibilem, quę non datur in titulum, ſed pro eius ſeruitio datur certum ſtipendium annuatim in pecunia; nam cũ tales non acquirant principaliter ratione eccleſiæ, ſed ratione perſonę, poſſunt de iſtis bonis ſic acquiſitis, etiam per teſtamẽtum diſponere, vt ſuccedat in eis alius, quã eccleſia, vel ſubrogatus eccleſiæ. Gemin. hic.

In Clementinis. Cap. 1. Vt clericorum.

EPISCOPI ita debent corrigere clericorum exceſſus, quod metu pœnę ipſi arceantur, & alij pertimeſcant.



QVIA aliqui clerici prætextu priuilegij ordinis clericalis, impunitatem exceſſuum obtinere ſperantes, nonnulla multotiens committunt enormia, per quæ nimium eccleſia diffamatur, & ſcandala grauia in populo generantur, potiſſimũ cum talia per epiſcopos, ad quos ſpectat correctio, deferantur, vt plurimum, in-

correcta. vt in tex. Et quoniam prætextu priuilegij, non debet alicui crescere auctoritas delinquendi.l.1. C. vbi senat. vel clariss. Et cum nihil sit, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt, in quos, tanquam in speculum, reliqui oculos conijciunt, ex ijsque sumunt, quod imitentur. Concil. Trid. sess. 22. de refor. cap. 1. Et si negligenter per superiores omittantur ea, quæ per subditos male vsurpantur, excessuum via alijs aperitur. c. peruenit il 2. dist. 93. Et cum de iure communi ad episcopum pertineat correctio clericorum suæ diœcesis. c. cum contingat. extr. de for. compet. Et prælati debent diligenter intendere ad mores reformandos, ne de suis manibus sanguis subditorum requiratur. c. irrefragabili. extr. eod. Et cum sit cauendum, ne per impunitatis audaciam, qui erãt nequam, fiant nequiores. c. vt famæ. extr. de sent. excom. Vnde reipublicæ interest, ne crimina remaneant impunita. l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. Ideo vt clericorum audacia propensius cõpescatur, districtè iniungitur episcopis quatenus sic circa correctionem clericorum huiusmodi vigilanter intendant, & diligenter sui officij debitum exequantur, quòd & ijdem clerici metu pœnæ à suis arceantur insolentijs, & alij eorum exemplo perterriti, prosilire ad similia meritò pertimescãt. vt in tex. & c quapropter. 2. q. 7. Pœna enim imponitur, vt castigetur culpa preterita, & sit formido, ne peccetur in futurũ. c. qui ea. dist. 38. Et ad hoc imponitur publicè, & in loco delicti, vt per illam alij terreantur. c. mulier. 15. q. 1. & C. ad leg. Iul. repet. l. 1. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ. Ouid. Vnde pœnæ dicuntur esse medicinæ ad peccati correctionem. Arist. 5. ethic. cap. 8. Et Solon illam ciuitatem optime habitari dixit, in qua viros bonos honoribus affici, contra autem, improbos penis, mos fuerit. Diogenes in vita Solonis. Et quod pro culpa sit pena infligenda; & sine culpa, quod nullus sit puniendus, dictat ius naturale; sed determinare penam secundum conditionem personæ, & culpæ, est iuris positiui. S. Tho. par. 3. q. 52. art. 1. in addit. Debent tamen episcopi in corrigendis excessibus, meminisse se esse pastores, non percussores. Concil. Trid. sess. 13. de refor. cap. 1. atque ita præesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominentur, sed vt illos tanquam filios, & fratres diligant. 1. ad Timoth. cap. 3. & 1. Petr. cap. 5.

Cap. 2. Et si.

VALET collatio beneficij facta à collatore quolibet, citra Legatum Apostolicum, non facta mentione de beneficio, quod prius habebat is, cui fit.

QVIA ratio, propter quam non valet collatio beneficij facta per Papam, vel eius Legatum, habenti aliud beneficium, nisi de quolibet priori beneficio fiat mentio, est ex eo, quod Papa occupatus in bene-

beneficijs totius orbis,& Legatus in illis totius prouinciæ, & raro residens in loco beneficij, & beneficiati, non præsumuntur bene informati de qualitatibus illorum. Abb.hic. Cum talia sint quid facti.c.1. de constitut.in 6. Ordinarij verò existentes in loco,& circa pauciora occupati, bene præsumuntur informati. c.quosdam . & c.quanto.extr. de præsumpt. Et quoniam ad validitatem gratiæ,omnia illa sunt exprimenda, quæ possent retardare concedentem,aliàs gratia vitiatur, tanquam subreptitiè impetrata. c. super litteris.extr.de rescript. Ideo talis collatio vitiatur propter defectum impetrantis, si sit facta per Papam, vel eius Legatum,non autem vitiatur, si fit facta à loci ordinario. vt in tex.& c. collatio.de offic. leg. in 6. Dummodo ordinarius conferat in casu, quo recipiens possit vtrumq; beneficiũ retinere,vel si non possit simul ea retinere,dimittat primum.gl.hic.ver.quibuslibet. Sed quãdo collatio fit à Papa,motu proprio,tunc valet, etiam si nõ fiat mentio de priori beneficio, cum appareat tunc de eius voluntate,& ob id non potest imputari subreptio,nec ambitio impetrantis.c.si motu.de præb. in 6. Et ob eandem rationem,videtur idem dicendum in collatione facta,proprio motu Legati.gl.hic. ver. facta. Quæ verò plura beneficia possint hodie episcopi,& alij prælati vni conferre,vide Cõc.Trid.sess.24.de refor.cap.17.

In Extrauagant.commun. Cap.1.Debent.

EPISCOPVS monasterium visitans, non tenetur accipere monachos illius monasterij pro tabellionibus.



VIA si episcopi non possent in monasteriorum visitatione habere pro tabellionibus nisi monachos, & præsertim monasterij visitandi, esset contra communem vtilitatem, dum probationum facultas nimium restringeretur. vt in tex. Et quoniam probatio non est angustanda. l.quoniam.C.de hæret. propter quod etiam,vt salua scilicet sit rerum probatio; quia publicè interest, ne veritas occultetur.l. serui. ff. de testib. cautum est iure, vt curent magistratus testificari volentibus,seipsos, & alios testes, vel signatores præbere. l.curent.ff. de testib. Et statuit generale Concilium,vt à iudicibus adhibeatur persona publica, vel duo viri idonei,qui acta conscribant.c. quoniam. extr. de probat. Quos quidem monachos ad prædicta, tum propter eorum professionem,quæ illorum vocem facit funestam. c.placuit.2. q.7. & ipsos arcet à iudicijs, & publicis, siue ciuilibus actibus.c.1.extr.ne cler. vel monach. nec patitur, nisi in inquisitionis hæreticæ prauitatis causa, monachum tabellionis officium exercere.c.vt officium.§. ad conscribendas.de hæret.in 6. tum etiam,quia essent suspecti, nec contra priorem,

aut capitulum, quibus subsunt, quæ corrigenda inuenirentur, fideliter, & rectè conscriberent. vt in tex. Ideo cum constet, quod in tali officio tabellionatus, monachi non essent idonei, vt veritas clarius elucescere possit, statuitur, quod episcopus in monasterij visitatione, non teneatur accipere monachum pro tabellione. vt in tex.

ETIAM si hoc habeat consuetudo.

QVIA talis consuetudo, per quam prior, & capitulum, viderentur nimium delicati, esset irrationabilis. vt in tex. Ideo meritò reprobatur. c. cum inter. extr. de consuet.

NEC in actu visitationis debet esse solus.

QVIA episcopali dignitati non modicum detraheretur, si ab episcopo, qui dignitatem propriam suo ingenio augere debet, comites honoris sui causa adhibiti abducerentur, seq. solum suspectis quandoque forsitan, quos visitat, committere compelleretur. vt in tex. Et si episcopus ingrederetur solus, & aliquis monachus teneret locum tabellionis, & alij monachi essent assistentes visitanti, sequeretur, quod eædem personæ, quæ essent forsan per visitatorem corrigendæ, ministræ essent correctionis. glos. hic. ver. compellatur. Et quoniam duplici officio, præsertim suspecto, & aduerso, qualia essent ista, quis fungi non debet. c. quia nonnulli, extr. de cler. non resid. & l. nemo. C. de assessor. Ideo merito statuitur, vt episcopus in visitatione monasterij non sit solus cum ipsis monachis visitandis. vt in tex. & c. vt iuxta. extr. eod.

SED duos, vel tres clericos cum notario, qui similiter sit clericus, secum assumat.

QVIA sicut prouidetur dignitati episcopali, & officio visitationis, ne episcopus in monasterij visitatione sit solus, vt dictum est superius; ita consulendum est indemnitati monasteriorum, ne in visitatione episcopus sit illis nimium onerosus. vt in tex. Et quoniam in ore duorum, vel trium, stat omne verbum. Ioan. cap. 8. Et cum non sit decens, vt in monasterij visitatione intersint sæculares, ne per eos dissolutionis materia in claustro proueniret. d. c. vt iuxta. Et cum monachi illius monasterij non debeant esse ministri assistentes visitatori, vt dictum est superius. Ideo remanet, vt in actu visitationis monasterij episcopus debeat habere duas, vel tres personas honestas, clericali charactere insignitas, quarum vna ad minus sit religiosa ordinis illius monasterij, & vnum notarium clericum, & non plures. vt in tex. Decet autem, vt inter istos adsit vnus ordinis illius. vt in tex. quia cum ipsi religiosi sint ex longa consuetudine plenius informati de factis monasteriorũ; in huiusmodi visitatione poterit episcopus opportunum consiliũ, & promptũ auxiliũ à tali religioso habere. c. in singulis. ext. de stat. mon.

Cap.

Cap. 2. Vt quos.

BENEFICIA plura incompatibilia obtinens sine dispensatione, debet illa, præter vltimum, in manu ordinarij intra duos menses dimittere.

QVIA in talibus beneficijs incompatibilibus per assecutionem secundi, vacat, eo ipso, primum. c. de multa. extr. de præben. Sed quoniam aliqui, vel per auaritiam quærebant retinere vtraque, vel per negligentiam in manu ordinarij non dimittebant primum. vt in tex. Ideo fuit statutum, vt intra duos menses à die notitiæ huius constitutionis, talia plura beneficia essent efficaciter verbo, & facto dimittenda in manu ordinarij, retento solum vltimo, si in eo ex collatione canonica competat ius tali beneficiato. vt in tex. Assignatur autem terminus duorum mensium à die notitiæ huius constitutionis. vt in tex. quia lex post duos menses à die publicationis, per quam præsumitur quisque de illa habere notitiam, omnes ligat. Authent. vt factæ nouæ constit. in princ. & glos. in c. nouerit. extr. de sent. excom. Sed hodie post adeptum secundum tale beneficium, assignatur solum vnus mensis ad dimittendum primum sub publico testimonio in manibus ordinarij, vt infr. Extrauag. execrabilis. circa fin. de præb. & nouissime vide Concil. Trid. sess. 7. de refor. cap. 2. & 4. & sess. 24. de refor. cap. 17.

ALIAS incurrit pœnam priuationis eo ipso, etiam secundi, & fit inhabilis ad alia quæcunque beneficia.

QVIA dignum est, vt quos virtutis amor à vitio ambitionis execrandæ, & auaritiæ cęcitate non retrahit, saltem rigor coerceat disciplinæ. vt in tex. & c. cum in cunctis. extr. de elect. Et quoniam quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. litteras. extr. de tempor. ord. Ideo talis, qui deliquit per indebitam beneficiorum retentionem, punitur per inhabilitatem ad quæcunque beneficia. vt in tex. & d. Extrauag. execrabilis. & Concil. Trid. in capitibus proximè citatis.

ET debet ordinarius tales plura beneficia obtinentes compellere ad ostendendam dispensationem; quod si non fecerit, ab ingressu ecclesiæ suspenditur.

QVIA cum tales possideant ista plura beneficia contra iuris cõmunis dispositionem, præsumitur contra eos, quòd non legitimè possideant. vt not. in c. ordinarij. eod. in 6. Et quoniam non est ab ordinarijs ferendum, vt quis beneficia iniuste detineat. c. irrefragabili. extr. eod. & c. 1. de reg. iur. in 6. Ideo ne ordinarij sint negligentes in hoc eorum officio adimplendo, præcipitur eis sub pęna suspensionis ab ingressu


gressu ecclesiæ, vt sub certa, & formidabili pena eorum arbitrio infligenda, debeant iniungere eorum subditis, qui dicunt talia plura beneficia ex dispensatione retinere, vt dispensationem intra tempus pro facti qualitate ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere procurent. vt in tex. & d.c. ordinarij.

Liber Primus. Titulus XXXII.

DE OFFICIO IVDICIS.

In Decretal. Cap. 1. Ex litteris.

AD officium iudicis, etiam delegati, spectat prouidere aduocatum parti, quæ non potest habere.



QVIA iudex inuigilare debet, ne inferior persona à potentiori afficiatur iniuria. l. illicitas. §. ne potentiores. ff. de off. præsid. Et quod vnicuique in iudicio reddatur, quod suum est. l. 1. ff. de iust. & iur. Et quoniam si à iudice non prouideretur de aduocato illis personis, quæ non sunt per se aptæ ad exprimendum in iudicio suam causam; & propter earum impotentiam, & aduersarij timorem, non inueniunt aliquem idoneum, qui aduocet pro ipsis; facile in iudicijs, dum essent indefensæ, ab aduersario potentiori iniuste opprimerentur. l. nec quicquam. §. obseruare. d. tit. de offic. præsid. Ideo vbi aliquis indiget aduocato, & per se illum habere non potest, à iudice illi est dandus. vt in tex. & l. 1. §. ait prætor. ff. de postulat. Qui aduocatus debet esse idoneus, & in quantum fieri potest, æqualis aduocato partis aduersæ. l. prouidendum. C. de postul. & c. infames. §. si verò. 3. q. 7. Vnde ex causa potest iudex compellere aduocatum ad patrocinandum alicui, & si ille iniuste resistere velit, potest ei interdicere officium postulandi. l. moris. ff. de pęnis. Debet tamen iudex constituere illi salarium secundum facundiam suã, & pro modo litis, & consuetudine patriæ. l. 1. §. in honorarijs. ff. de var. & extraord. cogn. & c. licet. 11. q. 3. Nemo enim cogitur de suo facere beneficium. c. præcariæ. 10. q. 2. Nec proprijs stipendijs militare. 1. ad Corinth. cap. 9. Si tamen pars esset inops, & impotens ad soluendum, posset compelli aduocatus ad exhibendum illi gratis patrocinium. Bald. in l. si furiosi. C. de nupt. nam tunc tenetur ad hoc lege naturali, & diuina, quia debet diligere proximum, sicut seipsum. Host. hic. Et si hoc facere nollet, peccaret; nam videretur abscondere talentum sibi traditum à Deo. S. Gregor. in homil. super S. Matth. cap. 25. Et quan-

quanquam aduocati sine sumptibus non studeant. 48. dist. §. 1. sumptus tamen, & scientia administrantur à Deo. Abb. hic. à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. 1. ad Corinth. cap. 4. Et maxime debent hoc facere clerici, qui viuunt de patrimonio Iesu Christi. c. 1. de postul. & c. 1. de magistr.

ET poterit dare domesticum.

QVIA non est tanta suspicio contra iudicem, si aduocatus est suus domesticus, quod possit in causa ab eo decipi, & corrumpi, sicut est, quando pars est ei familiaris. glos. 1. in c. ex insinuatione. de appell. nam causa non est aduocati, sed partis, cui spectat commodum, & incommodum illius. c. biduum. §. palam. 2. q. 6. Et similiter, licet testis, qui deponit de facto, non sit producendus de domo iudicis, ne facile inter eos fieret collusio. c. fin. 4. q. 4. Secus est in aduocato, qui deponit de iure, & cui non creditur, nisi in quantum est iuris. l. ab ea parte. ff. de probat. Debet enim erubescere sine lege loqui. l. illam. C. de collat. Ideo cessant rationes, propter quas videbatur, quod aduocatus iudici domesticus non esset admittendus; & remanet ius commune, vt qui non prohibetur, possit esse in causa aduocatus. l. 1. ff. de postul. Si tamen esset aduocatus ita iudici domesticus, qui nimis ardenter assumeret causam, & domi, & extra, totis viribus laboraret, vt iudex ad sua dicta moueretur, tunc iudex iuste recusatur, non quia sit domesticus, sed quia nimium fauet. c. accedens il 2. vt lit. non contest.

Cap. 2. Iudicis.

CVM imploratur iudicis officium nobile, fit litis contestatio.

QVIA officium iudicis nobile succedit loco actionis. vt in tex. quod in casu huius tex. intelligitur, quando illud imploratur principaliter, & contra certam personam, & cum plenaria causæ cognitione. Abb. hic. Et quoniam tunc est quasi ordinarium iudicium, quod intentatur. glos. hic ver. proponitur. Et in iudicijs ordinarijs debet fieri litis contestatio. c. 1. & ibi glos. de lit. contest. Ideo in eo, sicut in ordinarijs iudicijs, lis debet contestari. vt in tex. & l. Papinianus. §. fin. ff. de minor.

SECVS in mercenario.

QVIA tunc officium iudicis dicitur mercenarium, quando in causa illud nõ petitur principaliter, sed incidẽter; & appellatur mercenarium, quia per se non stat, sed actioni deseruit. Abb. hic. Et quoniam in tali casu nihil petitur à parte, sed solùm vel dirigitur contra iudicem, vel petitur releuamen ab aliquo proprio impedimento; vel si dirigatur contra partem, est post litem cum ea in principali negotio conte-

contestatam, quæ contestatio extenditur etiam ad istud accessorium. Butr. hic. Ideo tale iudicis officium litis contestationem non exposcit, sed ante, & post ingressum causæ, potest ad illud sine litis contestatione haberi recursus. vt in tex. & Butr. hic in fin.

Liber Primus. Titulus XXXIII.

DE MAIORITATE, ET OBEDIENTIA.

In Decretal. Cap. 1. Cum certum.

PRIVS ordinatus, cęteris paribus, prior, & maior habendus est.



VIA qui prior est tempore, vbi in reliquis par est causa, potior est iure. l. quoties vtriusque. ff. de reg. iur. nam diuturnitas arguit maioritatem, & possessionem. l. 1. ff. de albo scriben. Et quoniam vniuersitas ecclesiastica confunderetur, si vnicuique suus gradus non conseruaretur. c. fin. dist. 89. Ideo ne fiat præiudicium illi, qui potior est iure, & ne confusio in vniuersitate generetur, qui prius est ordinatus, cęteris eiusdem ordinis est præferendus. vt in tex. & c. episcoporum. dist. 74. nisi posterior eiusdem ordinis fuisset ordinatus à Papa. c. hi, qui. de præb. in 6. nam tunc propter dignitatem, & prærogatiuam ordinantis, etiam talis ordinatus debet gaudere prærogatiua, vt alijs eiusdem ordinis præferatur. infr. c. per tuas.

Cap. 2. S quis.

VENIENS contra decretum, vel constitutionem episcopi, debet excommunicari.

QVIA episcopus potest facere constitutiones, quæ obligent in sua diœcesi. c. vt animarum. de constitut. in 6. Et quoniam qui venit contra legem, quando illa est præceptiua, & in re graui, mortaliter peccat. c. nam concupiscentiam. de constitut. Et propter peccatum mortale; vbi quis est contumax, & non potest aliter corrigi, ecclesiastica est communione priuandus. c. nemo. & c. nullus. 11. q. 3. Et episcopus habet potestatem suos subditos excommunicandi. c. si quis à proprio. d. q. 3. Ideo subditus, qui per transgressionem constitutionis sui episcopi mortaliter peccat, si aliter corrigi non potest, erit per excommunicationem ab ecclesia abijciendus. vt in tex. & c. si autem. d. q. 3. In libro enim

enim Regum legitur: Qui non obedierit principi, morte moriatur. 1. Regum. cap.12. Et in Concilio Agathensi dicitur, quod anathematizetur. c.episcopi. d. q.3. In iure enim canonico mors capitur pro excommunicatione. c. per venerabilem. qui fil. sint leg.

Cap.3. Legebatur.

CLERICVS administratione carens non tenetur ad iuramentum obedientiæ.

QVIA iuramenti vinculum, quantum quisque potest, debet euitare. c.etsi Christus.§.licet. de iureiur. Cum Dominus præceperit in Euangelio: Sit sermo vester est,est, non,non. Matth.cap.5. Ne assiduitate iurandi, quisquam ad periurium per consuetudinem delabatur.c.ita ergo.22.q.1. Et quoniam satis est, vt clericus, qui administrationem non habet, verbo obedientiam promittat; cum in eo non vertatur ita periculum, sicut vertitur in administrationem habente. glos.hic. Ideo talis clericus non est ad præstandum obedientiæ iuramentum cōpellendus. vt in tex.& c.nullus. de iureiur. Posset tamen cogi iurare, si esset suspectus de inobedientia.infr.c. cum in ecclesijs, & ibi glos. Vel si esset excommunicatus.c.cum desideres. de sent. excom. licet interdum etiam talibus ex causa remittatur.c.super eo.d.tit. Vel si esset loci consuetudo, quod tales iurarent. c.cum clerici.de verb. sign. Sed hodie ab istis clericis exigere hoc iuramentum, non est in vsu; sicut nec simplex promissio obedientiæ.Abb.hic.

NEC ad faciendam scripturam super ea.

QVIA iniuria fit ei, cuius verbo credi debet, si ab eo scriptura exigatur.l.si vero.§.1.ff. qui satisdar. cog. Et quoniam fuit statutum, vt sufficiat ab istis clericis verbo recipere obedientiam. glos.hic. Ideo ad illam præstandam per scripturam, non sunt adstringendi.vt in tex. nisi rationabilis causa aliter suaderet.c.si clericos. de sent. excom.in 6.

Cap.4.Omnes.

AB omnibus de diœcesi obediendum est episcopo.

QVIA episcopus est in spiritualibus caput, & iudex ordinarius totius diœcesis.c.1.& c.irrefragabili.de offic. ordin. Et quoniā qui omne dicit, nihil excludit.l. Iulianus.ff. de legat.3. Ideo de iure communi omnes de diœcesi in spiritualibus subsunt episcopo. vt in tex. & c.de persona.11.q.1. Vnde diuus Petrus præcipiebat: Omnes principes terræ,& cæteros homines episcopis obedire.1.cap.2. Et diuus Ambrosius episcopus excommunicauit Theodosium. Imperatorem in eius

diœcesi delinquentem.c.duo sunt.dist. 96. Et sic qui in diœcesi dicunt se à iurisdictione episcopi exemptos, debent ostendere exemptionis priuilegium.c.cum personæ.de priuil.in 6.aliàs non est eis credendum.c.cum episcopus.de offic.ord.in 6.

Cap. 5. Illud.

NON obediens canonicis institutis, incurrit inobedientiæ notam, id est, infamiam.

QVIA qui regnum Dei consequi non valent, sunt infames.c.illi.6. q.1.Et quoniam qui in re graui facit contra legem præceptiuam, mortaliter peccat. vt not.supr.in c.si quis. Et similiter si venit per contemptum contra quodlibet præceptum superioris.glos.in c.duo. dist.96.Et qui est in peccato mortali, est extra gratiam Dei.c.qui natus. de pœnit.dist.1. Ideo qui contraueniendo canonicis institutis, mortaliter peccat, fit infamis. vt in tex. Vnde dicitur, quod obedientia est melior, quàm victima, & auscultare magis, quàm adipem arietum offerre. vt in tex. quia per obedientiam quis victimat seipsum, dum deprimit propriam voluntatem; sed per victimationem, quæ fiebat in sacrificijs veteris legis, mactabatur caro animalium. c.sciendum.8.q.1. Talis tamen infamia, quæ dicitur canonica, tollitur sublato peccato. c. omnes. d.q.1.

Cap.6. Solitæ.

EPISCOPVS non debet subesse principibus, sed præesse.

QVIA duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, scilicet, auctoritas sacra Pontificũ, & regalis potestas.c.duo sunt.dist. 96. Et quoniam tanto grauius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum, in diuino sunt reddituri examine rationem. d.c.& c.cognouimus.18.q.2. Et honor, & sublimitas episcopalis nullis potest comparationibus adæquari. Si enim regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares.d.c.duo sunt. Et quanta est inter solem, & lunam, tanta inter pontifices, & reges cognoscitur esse differentia. vt in tex. Ideo principes debent suis episcopis reuerenter assurgere.vt in tex. & cognoscere se ex illorum pendere iudicio, non illos ad suam redigi posse voluntatem. d.c.duo sunt. Et sic debent eos paterno honore, ac debita reuerentia prosequi. c.Valentinianus.dist.63.& Concil.Trid.sess. 25.de reform. cap.17.

Cap.7. Per suas.

ORDINATVS per Papam, non per hoc eximitur à iurisdictione sui episcopi.

Quia

QVIA ordinatis à Papa deferendum est, quantum patitur conuenientia.vt in tex. Et quoniam priuilegium, quod cedit in aliorũ præiudicium, est strictè interpretandum. c. ex parte. de decim. Ideo per priuilegium competens ordinato à Papa, vt cæteris paribus, alijs eiusdem ordinis præferatur,non infertur, quod in præiudicium superioris, ab eius iurisdictione eximatur. vt in tex. & c. cum in distribuendis. de tempor.ordin.

Cap.8. Inter.

QVANDO de obedientia,vel subiectione agitur, nihil attentari debet in præiudicium rei,vel possessoris non citati.

QVIA in omni actu,in quo vertitur interesse partis, regulariter requiritur in iudicio citatio.l.de vnoquoque.ff. de re iudic. pertinet enim ad defensionem, quæ est de iure naturali. Clem. pastoralis. §.cæterum.de re iudic.cum merita causarum, partium assertione pandantur.l.2.C. si per vim, vel alio mod. Et contra eam de potestate ordinaria, etiam princeps venire non potest. c.1. de caus. possess. & propriet. Et quoniam vbi tractatur de auferendo alicui obedientiam, vel subiectionem,vertitur interesse illius, qui iam est in quasi possessione tálium iurium.vt in tex.& c. quia diligentia. de elect. Ideo in præiudicium rei,vel possessoris non citati non est in tali causa aliquid attentandum.vt in tex.& infr.vt lite pend.per tot.& 12.q.1.c.1.

Cap.9. Quod super.

ABBATES, & sacerdotes, qui sunt diœcesani episcopi, ad eius Synodum venire debent.

QVIA Synodus est mixti iuris; nam respectu conuocationis est de lege diœcesana,sed respectu eorum,quæ in Synodo statuuntur, & ibi aliquid iudicatur, est de lege iurisdictionis. Host. & Butr. hic. Et quoniam abbates non sunt exempti à lege iurisdictionis episcopalis,nisi habeant ex speciali priuilegio,licet ipsi, & eorum monasteria, sint exempti à lege diœcesana.vt not.in c.dilectus. de offic. ordin. Ideo ratione eorum,quæ tractantur in synodo, debent etiam abbates exempti ire ad illam, etiam si sint abbates populum non habentes, licet ratione conuocationis ire non cogantur, nisi subsit causa rationabilis. c. fin.§.canonica.18.q.2.& palea, episcopus. dist.18. Si verò sint abbates habentes populum, vel capellas non exemptas, tunc ratione populi, & capellarum,subijciuntur in talibus,etiam quo ad legem diœcesanam. Butr.hic. Ideo tunc coguntur etiam ad synodum venire.c.abbates. 18. q.2.& c.ex ore. de priuil. nisi aliud priuilegium aliter inducat.c. nimis. de excess.prael. Sacerdotes verò non exempti, omnes de ciuitate,& diœ-

cesi tenentur ire ad synodum; ita tamen, quod ecclesijs non subtrahatur diuinum officium.c.1. dist.18. & Abb.hic. Sed quid hodie circa synodum sit obseruandum, & qui accedere teneantur, vide Concil. Trid. sess.24.de refor.cap.2.

ET sibi obedire compelli possunt per censuram ecclesiasticam.

QVIA iurisdictio delusoria videretur, nisi haberet coercendi facultatem.c.præterea.de offic.deleg. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, saltem coerceat seueritas disciplinæ.c.cum in cunctis.de elect. Ideo si in casu, quo abbates, & sacerdotes ad synodum accedere tenentur, ire contemnunt, possunt ab episcopo, super ipsos in hoc iurisdictionem habente, per censuras ecclesiasticas compelli, vt accedant ad illam. vt in tex.& c.dilectus.de pœnis. & Concil.Trid.d.cap.3.

Cap.10. Cum in ecclesijs.

CANONICI regulares inobedientes priori suo, per ipsum excommunicari possunt.

QVIA vbi monasterium regitur per priorem, est ibi prior in exercenda iurisdictione loco abbatis.c. fin. de stat. monach. Et quoniam abbas habet in suos subiectos iurisdictionem ordinariam, & potestatem eos excommunicandi.c.cum ab ecclesiarum.& c.quanto. de offic.ordin. Ideo eandem facultatem habet etiam prior, qui loco abbatis regit monasterium. vt in tex. Et quia inobedientia erga superiorem est peccatum mortale.supr.c.si quis. Et propter peccatum mortale potest excommunicatio ferri.c.nemo. 11. q.1. Ideo canonici regulares inobedientes, per eorum priorem excommunicari possunt. vt in tex. & c.tam sacerdotes. 24.q.3.

ET si fuerint incorrigibiles, de fratrum consortio expelli possunt.

QVIA ex vno peccatore polluitur populus, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex inficitur.c.sed illud.dist.45. Et quoniam monachi incorrigibiles non sunt ita expellendi à monasterio, vt eis detur materia vagandi, & occasio inobediendi; si enim expellerentur de monasterio, facile esset volenti vagari, facere se inobedientem.c.quanto. de hæret. nec sunt inter alios fratres ita retinendi, vt sit periculum, quod alij per eos corrumpantur. c. resecandæ. 24.q.3. Ideo tales non excluduntur de monasterio, sed de fratrum consortio remouentur. vt in tex.& c.fin.de regular. ita quod non comedent cum alijs in refectorio, nec iacebunt in dormitorio, sed detrudentur in carceribus, seu ergastulis intra monasteria.c.dilectus il 2.de simon.& d.c.fin.de stat.monach.

Cap.

Cap. 11. His, quæ.

PRESBYTERI, & clerici capellarum subditarum titulo Cardinalatus, debent Cardinali obedientiam, & reliqua, de quibus hic.

QVIA Cardinales habent in suis titulis, & in ecclesijs ipsi titulo subiectis, iurisdictionem episcopalem. Butr.hic. & Ioan.Monach. infr.in c.vnic.in 6. Et quoniam presbyteri,& clerici diœcesis tenentur præstare obedientiam episcopo, & alia signa subiectionis ei exhibere.supr.c.legebatur. Ideo similiter debent præstare talia presbyteri,& clerici Cardinalibus in titulo subiecti. vt in tex. & Rom.consf.498.

ET vacante titulo, succedit capitulum illius ecclesiæ.

QVIA prælatus,& capitulum faciunt vnum corpus, per quod debet ecclesia gubernari,ita vt prælatus sit caput,& illi de capitulo sint membra.c.ea noscitur.de his,quæ fi.à prælat. Et quoniam est prouidendum,ne, deficiente capite, ecclesia patiatur in regimine detrimentum.glos.in Clem.1.ver.capituli.de hæret. Ideo propter coniunctionem,quæ est inter prælatum, & capitulum, vacante ecclesia, iurisdictio prælati deuoluitur ad capitulum.vt in tex.& infr.c.cum olim.Excipiuntur tamen collationes beneficiorum pertinentes ad solum prælatum, & aliæ alienationes.glos.in d.c.cum olim. Sed ea,quæ sunt ordinis, cum non possint exerceri per ipsos de capitulo, debent per capitulum committi alteri prælato habenti ordinem, & potestatem exercendi; quem ad hos actus capitulum inuitabit cum cautelæ studio,id est,cum protestatione,quod per hoc in tali diœcesi nihil iuris ipsi prælato acquiratur. glos.fin.hic.& c.pontifices.7.q.1.

NISI pro bono pacis aliquid sit exceptum.

QVIA ad principis officium spectat prouidere, vt pax inter suos subditos conseruetur.c.noli.23.q.1. Et quoniam pro hoc maiori bono potest superior tollere de iure vnius, & alteri dare c.nisi.de præb. Ideo licet de iure communi capitulum succedat,sede vacante, in iurisdictionem prælati, vt dictum est superius; tamen si ex tali successione, timeretur perturbatio pacis, conueniens est, pro communi bono, quod est anteferendum priuato.Authent.de restit.& ea,quæ.§. ea enim. coll. 4. vt ex toto,vel in parte per Summum Pontificem illa iurisdictio à capitulo auferatur; & pro vt ipse magis viderit expedire, eam sibi reseruet, vel alteri concedat. vt in tex. & glos.in c.2.ver. pacem. de re iudic.in 6.

Cap. 12. Dilecta.

ABBATISSA subditos excommunicare non potest.

QVIA facultas excommunicandi dependet à potestate clauium. c.tanta.de excess. præl. dicente Domino beato Petro: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis. Matth. cap. 16. Quia cum excommunicat ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus; cum reconciliat ecclesia, in cælo soluitur reconciliatus. Petrus enim quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit. c. quodcunque. 24.q.1. Et quoniam potestas clauium non cadit in mulierem, quia non mulieri; sed Petro talis potestas tradita est. c. noua. de pęnit. & remiss. Ideo abbatissa non potest excommunicare, nec absoluere moniales à peccatis, nec alia facere, quæ à clauium potestate dependent. vt in tex. & d.c.noua.

IPSI tamen sibi obedire tenentur.

QVIA quilibet tenetur obedire suo superiori, vbi non præcipit aliquid contra mandatum maioris. supr.c.si quis. & 11. q. 2. c.si dominus. Et quoniam moniales subsunt abbatissæ. Clem. attendentes. de stat. monach. Et fęmina potest ratione dignitatis, quam habeat, iurisdictionem exercere, & virili officio fungi. c. significauit. de rescript. & c.cum deuotissimam. 11.q.2. nam licet mulier in quantum fęmina priuata, & per se considerata, non posit virorum muneribus fungi, nec iurisdictionem exercere. c.dilecti. de arbitr. & c.mulierem. 33.q. 5. Tamen si de iure sibi defertur dignitas habens iurisdictionem annexam, potest iurisdictionem exercere. vt in tex. & d.c. cum deuotissimam. quia non ipsa mulier, sed dignitas tunc agere videtur. Butr. hic. Ex quo enim dignitas sibi conceditur, omnia ad illam consecutiua censentur ei concessa. c.præterea. de offic. deleg. Ideo cum abbatissa sit superior monialibus, & alijs eius subditis, à talibus est ei obediendum. vt in tex. & c. vnic. §. fin. de stat. regul. in 6. Et licet abbatissa non possit per se excommunicare, vt dictum est superius, potest tamen implorare officium superioris, vt ipse excommunicet ei inobedientes, casu, quo tales per inobedientiam, excomunicari mereantur. vt in tex. & episcopus tenetur ei impendere auxilium. c. abbates. 18.q. 2. sicut inferior habens simplicẽ iurisdictionem, potest in casibus maioribus recurrere ad superiorem in loco, vt suam sententiam mandet executioni, vel compellat subditos obedire. c.cum ab ecclesiarum. de off. ord. & l. à diuo Pio. ff. de re iudic.

Cap. 13. Dilecti.

SI Metropolitanus à suffraganeo iuramentũ exigit vltra formam statu-

ſtatutam à canone, in eo, quod eſt vltra, ſuffraganeus non tenetur.

QVIA iuramentum non extenditur ad ea, quæ licite præſtari non poſſunt.gloſ.fin.hic. Cum non debeat eſſe vinculum iniquitatis.c. quanto. de iureiur. Vnde præſtitum contra ſtatuta canonum non tenet.c. ſi diligenti. de for.compet. Et quoniam iuramentum præſtitum à ſuffraganeo vltra formam ſtatutam à canone, eſſet in eccleſiæ ſuæ præiudicium. vt in tex. ſaltem de facto. gloſ. 1. hic. Et epiſcopus non poteſt eccleſiæ ſuæ conditionem facere deteriorem.c.cum dilectus. de relig.dom. Ideo ne præiudicetur eccleſiæ, ſuffraganeus non tenetur iuramentum indebite contra iura eccleſiæ præſtitum obſeruare. vt in tex.& c.ſicut noſtris. de iureiur. Et canonici, & alij de eccleſia poſſent contradicere,& appellare, & repetere, quod præſtitum eſſet occaſione talis iuramenti,etiam inuito,& contradicente ipſo prælato.gloſ.1.hic.& d.c.ſicut. Pro illa tamen parte,qua fuit iuſtè præſtitum,tenet, nec vitiatur per partem inutilem. gloſ. fin. hic, cum vna pars ſit ſeparabilis ab alia.d.c.inter cætera. 22.q.4. Epiſcopi namque præſtant iuramentum obedientiæ Archiepiſcopis metropolitanis ſecundum eam formam, quam epiſcopi immediate ſubiecti Eccleſiæ Romanæ, præſtant ipſi Papæ.vt in tex.de qua forma habetur in c.ego. de iureiur. Sed hodie omnes,qui promouentur in curia,ſiue epiſcopi,ſiue abbates,iurant ipſi Papæ.Abb.hic. Et de forma iuramenti præſtandi per abbates, vide tex. in c.ne Dei.de ſimon. De iuramento canonicorum, vide in c.cum clerici. de verb.ſign.De iuramento aliorum clericorum.not.in c.tua il 1.de iureiur.& in c.quanquam.diſt.23.

Cap. 14. Cum olim.

VACANTE epiſcopatu, capitulum confirmat, & infirmat electiones.

QVIA capitulum, ſede vacante, ſuccedit in iuriſdictione epiſcopali in actibus, per quos non fit rei alienatio, nec tendunt in præiudicium epiſcopi futuri. gloſ. hic. & not. ſupr. in c.his, quæ. Et quoniam confirmare, vel infirmare electiones, eſt quid iuriſdictionis. c. ſi religioſus. de elect. in 6. nec per tales actus aliquid alienatur, aut aliquod præiudicium epiſcopo futuro præſtatur. Abb.hic; nam ſi electus eſt dignus, tenetur ſuperior illum confirmare; ſi eſt indignus,tenetur illum reijcere. c.poſtquam.de elect. Ideo cum hæc poteſtas confirmandi, vel infirmandi electionem, ſit debita, & ſpectet ad ordinariam epiſcopi iuriſdictionem, propter communionem, quæ eſt inter epiſcopum,& capitulum, qui faciunt vnum corpus ad prouidendum eccleſiæ neceſſitatibus, tranſit in capitulum, ſede vacante, quemadmodnm contingit in alijs actibus iuriſdictionalibus.vt in tex.& c.1. & ibi gloſ.de inſtitut.in 6. Col-

6. Collatio autem beneficiorum pertinens ad episcopum dumtaxat, non transit.c. illa. ne sede vacan. quia collatio est quædam donatio. c. fin. de offic.vic. in 6. nam prælatus vtitur quadam liberalitate, in quem vult conferendo. c.relatum. de præb. vnde collatio computatur inter fructus, cum videatur quidam fructus habere hanc præeminentiam, & potestatem donandi beneficia, quibus vult. glos. hic. Ideo iura noluerunt, quod istæ liberalitates transirent in capitulum, quemadmodum nec liberalitas dispensandi fructus prouenientes, sede vacante. c.quia sæpe. de elect.in 6. In confirmatione autem, & institutione non est hæc liberalitas, cum teneatur superior confirmare electum, & instituere præsentatum, si sunt idonei, vt dictum est superius, & habetur in c.significasti. de iurepatr.

Cap. 15. Statuimus.

QVI maior est ordine, licet in ecclesia posterius receptus, in loco, & portione præfertur.

QVIA prærogatiua ordinis est dignior, quam sit prærogatiua temporis. c.à subdiacono. dist. 93. Et quoniam vbi concurrunt duo iura specialia, ius potentius est præferendum. c.requisisti. de testam. & c.cum olim il 2.de priuil. Ideo, licet,cæteris paribus, qui prius est receptus, sit posterius receptis præferendus. c.qui prior. de reg.iur. in 6.si posterius receptus est maior in ordine, prius recepto in ecclesia, est in loco, & portione præferendus. vt in tex. & supr.c.1. Maioritas namque est multiplex, quædam enim est ordinis. vt in tex. quædam est dignitatis. c.dudum. de elect.in 6. Quædam est senectutis. l.semper. ff. de iur.immunit. Quædam est prælationis,seu administrationis. c.transmissam. de elect. Quædam est consecrationis. c.aqua. de consecr. eccl. His enim respectibus quis potest dici maior, vel minor. glos. in c.lex. dist. 2. Et inter se concurrentibus, illa maioritas,quæ est dignior,venit præponenda. c.ad hæc. de offic.archid.& c.præcipimus. dist.93.

Cap. 16. Cum inferior.

SI ecclesia sita in aliquo archidiaconatu, erigitur in cathedralem, à iurisdictione archidiaconatus eximitur.

QVIA cum inferior superiorem soluere nequeat, vel ligare; sed superior inferiorem liget regulariter, & absoluat; & satis absonum videatur, vt filius potestatem habeat in parentem. vt in tex. & c.inferior. dist. 21. Et quoniam archidiaconus subest episcopo. c. ad hæc. de offic.archid. Et episcopus censetur pater inferiorum clericorum. c.esto subiectus.dist. 95. Ideo si ecclesia inferior erigitur in cathedralem, per consequens eximitur ipso facto à potestate inferiorum,qui ibi prius habebant

bebant iurisdictionem, ne sequatur absurdum, vt episcopus inferiori sit subditus. vt in tex. & c.quia periculosum. de sent. excom. in 6. Potest tamen episcopus dare simplici sacerdoti auctoritatem, vt in confessione habeat auctoritatem in ipsum, & sic, vt possit vti clauibus in suum superiorem, quia quamuis episcopus, quem simplex sacerdos absoluit, sit superior eo simpliciter, est tamen eo inferior, in quantum ei se subijcit vt peccatorem. S.Tho. part.3. q.20. art.3. in addit.

Cap. 17. Humilis.

COMPOSITIONEM super iure primatiæ, vnus solus, cuius interest, poterit impedire.

QVIA interest subditorum non habere multos dominos, vel non mutare dominum. l. imperialem. §. infirmiter. de prohib. feud. alie. per Feder. Et quoniam quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum. c.ad hæc. de offic. archid. Ideo in compositione super iure primatiæ, per quam vnus prælatus cedit alteri primatum in prouincia, vt illa sit valide facta, debent omnes prælati prouinciæ, & capitula cathedralium ecclesiarum consentire. vt in tex. & c.fin. de his, quæ fi. à præl. Si autem isti prælati, & capitula consentiant, censentur omnes de prouincia consensisse. Innoc. hic, quia hæc causa concernit principaliter vniuersitatem ecclesiarum prouinciæ. Abb. hic. Et facta vniuersitatis expediuntur per rectores, & maiores vniuersitatis. l. 2. §. si autem. C.de iuram.calumn. Si autem esset negotium concernens principaliter interesse singulorum, essent singuli requirendi, & contradictio vnius inualidaret actum. glos. 1. in c.cum omnes. de constitut. Et cum sit res magni præiudicij, debet prælatus habere, ne dum consilium, sed etiam consensum sui capituli. Innoc.hic.licet enim regulariter sufficiat, prælatum requirere consilium sui capituli. c.quanto. & c.nouit. de his, quæ fi. à præl.in rebus tamen arduis,& magni momenti non sufficit eum requisisse consilium, si capitulum non præstet etiam assensum. Abb. hic. & not. in c.1. de procur.

In Sexto. Cap. Vnic. Episcopali.

CAPITVLVM, vel is, ad quem administratio pertinet, vacante sede, eos absoluet, quos absoluere posset episcopus, si viueret.



VIA capitulum succedit de iure communi, sede vacante, in his, quæ concernunt iurisdictionem episcopalem. extr. c. his, quæ. possunt tamen ex iure speciali in illam succedere etiam alij, puta visitator datus à Papa.c.is,cui.supr. de elect. vel ab archiepi-

ſcopo in caſu, de quo in c.fin. ſupr.de ſuppl.negl.præl.vel electus ad hoc per capitulum. gl.hic. ver.is, ad quem; vel aliqua particularis dignitas ex priuilegio, vel præſcriptione. Ioan. Monach. hic Et quoniam abſoluere quem ab excommunicatione, dependet à poteſtate iuriſdictionali, non autem à poteſtate ordinis, vnde etiam non ſacerdotes poſſunt habere excommunicandi poteſtatem. S.Tho. part.3. q.19. art.3. in addit. Et quia propter animarum periculum euitandum, curandum eſt, vt, ſede vacante, ſit aliquis, qui vice epiſcopi poſſit abſoluere excommunicatos, quos poſſet epiſcopus. Archid.hic. Ideo capitulum, vel alius, qui, ſede vacante, exercet iuriſdictionem epiſcopalem, poteſt abſoluere excommunicatos, ſicut poſſet epiſcopus. vt in tex. & c.ad abolendam. extr. de hæret.

NISI à Sede Apoſtolica id fuerit interdictum.

QVIA vbi ſuperior mandat aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum, ſemper ei eſt parendum, niſi certum ſit, præceptum eſſe malum. extr. c.dilecta, & ibi gloſ.fin. Et quoniam Papa habet poteſtatem ligandi, & abſoluendi per totum mundum. c.cuncta.9. q.3. Ideo ſi ipſe ſpecialiter interdicit, ne aliquis abſoluat, etiam ſi de iure talis potuiſſet prius abſoluere, poſt huiuſmodi præceptum abſoluere nequit. vt in tex. Specialia enim derogant generalibus. c.generi. infr. de reg. iur. Interdicitur autem per Sedem Apoſtolicam, aut expreſſe. vt in c.fin. extr.de exceſſ. præl. aut tacite per commiſſionem alteri factam. vt in d.c.is cui. Ioan. Monach. hic.

In extrauag. Ioan. xxij. Cap. Vnic. Eccleſiæ.

QVIA multi aſſumebant dominium, & ſe creari faciebant Poteſtates, & Capitaneos in comitatu Sabinę, & alijs locis hic nominatis, qui ſunt de patrimonio Eccleſiæ Romanæ, inhibetur, ne tales de cętero aſſumantur, neque illis, tanquam talibus, obediatur, & quod nullus huiuſmodi præeminentiam ſibi audeat adſcribere ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicę.



QVIA Eccleſiæ Romanæ, ſuorumque fidelium diſpendia Summus Pontifex diſſimulare non poteſt, quin poſtquam ſibi cognita fuerint, aduerſus ea opportunis remedijs occurrat. vt in tex. Papa enim, qui aliorum iuſtitiam fouet, ius ſuum negligere non debet. c.licet. extr. de ſuppl. negl. præl. Et princeps debet ſe opponere aduerſantibus, pro conſeruando iure ſuorum ſubditorum. l.cum quis. ff. de do-

de dolo. Et quoniam exempla præsentia, & præterita cauere nos præmonent in futurum. c.quia aliquanti.dist.82. Ideo Summus Pont.Ioan. xxij. attendens grauia nocumenta, quæ nonnullis ciuitatibus,& castris intra patrimonium Beati Petri in Tuscia, comitatum Sabinæ,& terram Arnulphorum constitutis, Ecclesiæ Romanæ subiectis, & personis singularibus eorundem, ex diuersorum tam nobilium, quàm etiam aliorum,vsurpato regimine prouenerunt, & volens super hoc in posterum eorum dispendijs præcauere, præcipit, ne quis in posterùm præsumat ponere officiales in istis terris, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, & si de facto fuerunt positi,quod populi illis obedire non debeant.Et simile habetur de Senatore Romano. in c.fundamenta.de elect. in 6.Terra autem Arnulphorum vocatur quędam aggregatio duodecim Castrorum in Vmbria apud Interamnam; sic nuncupata à Comitibus Arnulphis, qui ibi dominabantur: Et de istis locis hic præcipuè fit mentio, quia multa ex illis erant tunc nouiter deuoluta ad Sedem Apostolicam; vt apparet ex historia Francisci Zazzaræ I.C.Patritij Neap.vbi agit de nobilissima Castellorum Familia.

ET *si sint aliquæ ciuitates, quæ habeant ius eligendi tales capitaneos,per Sedem Apostolicam confirmandos;vetat Papa, quod ante confirmationem debitam, nulla eis, tanquam talibus, præstetur obedientia.*

QVIA interest superioris scire,& examinare, cui,tanquam iudici, vniuersitas,& singuli ex ea debeāt parere,ne aliquis aspera damnatione ciuitatem occupatam retineret, & concussionum dominatione subditos vexaret.l.2.§.& cum placuisset.ff.de orig.iur. Et quoniam per electionem datur habitus administrandi, & per confirmationem datur actus,& exercitium administrationis. glos. in c.quanto.dist. 63. Ideo ex quo istæ ciuitates solum habent potestatem eligendi, non debet aliquis electus in iudicem ab illis, officium exercere, quousque confirmationem à Sede Apostolica, cui tales ciuitates sunt subiectæ, & ad quam illos spectat confirmare, legitime obtinuerit.vt in tex. & glos. ver.debitam.

In Extrauag.Commun. C.1.Vnam sanctam.

OMNES *Christi fideles de necessitate salutis, subsunt Romano Pontifici.*

QVIA vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, & ipsam Apostolicam,vrgente fide,credere cogimur, & tenere; extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum; sponso in Canticis proclamante:

Vna est columba mea, perfecta mea. Vna est matri suæ, electa genitrici suæ; quæ vnum corpus mysticum repræsentat, cuius caput Christus, Christi verò Deus. In qua vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vna nempe fuit diluuij tempore arca Noe, vnam ecclesiam præfigurans, quæ in vno cubitu consummata, vnum (Noe videlicet) gubernatorem habuit, & rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram, legimus fuisse deleta. Hanc autem venerari debemus, & vnicam dicente Domino in Propheta: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Pro anima enim, id est, pro seipso capite simul orauit, & corpore; quod corpus, vnicam scilicet ecclesiam nominauit, propter sponsi fidei sacramentorum, & charitatis ecclesiæ vnitatem. Hæc est tunica illa Domini inconsutilis, quæ scissa non fuit, sed sorte prouenit. vt in tex. & late per Turrecrem. in summa de ecclesia, & nouissime per Illustriss. & Reuerendiss. Robertum Cardinalem Bellerminium in Apologia contra Iacobum Angliæ Regem. Ideo ecclesiæ vnius, & vnicæ, vnum corpus, vnum caput, non duo capita, quasi monstrum; Christus videlicet, & Christi vicarius Petrus, Petriq. successor. Dicente Domino ipsi Petro: Pasce oues meas. Meas, inquit, & generaliter, non singulariter has, vel illas; per quod commisisse sibi intelligitur vniuersas. Siue ergo Græci, siue alij se dicant Petro, eiusq. successoribus non esse commissos, fateantur necesse, se de ouibus Christi non esse; dicente Domino in Ioanne: Vnum ouile, & vnicum esse pastorem. vt in tex. & S. Tho. par. 3. q. 30. art. 1. in addit.

QVI vtrunque gladium habet.

QVIA in ecclesia, eiusq. potestate, duos esse gladios, spiritualem videlicet, & temporalem, euangelicis dictis instruimur; nam dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hic, in ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Luc. cap. 22. Ideo qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate ecclesiæ, spiritualis, scilicet, gladius, & materialis; sed is quidem pro ecclesia, ille verò ab ecclesia exercendus; ille sacerdotis, is manu regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotis. vt in tex. & c. nouit. extr. de iudic.

ET omnes iudicat, à nemine autem iudicatur.

QVIA oportet gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati; Nam cum dicat Apostolus: Non est potestas, nisi à Deo; quæ autẽ sunt à Deo, ordinata sunt; non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema; Nam secundum beatum Dionysiũ: Lex diuinitatis est, infima per media in suprema reduci. Non ergo secun-

cun-

cundum ordinem vniuersi omnia æquè, ac immediatè, sed infima per media, & inferiora per superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem,& dignitate, & nobilitate terrenam quamlibet præcellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione, & benedictione, & sanctificatione,ex ipsius potestatis acceptione,& ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur; Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, & iudicare, si bona non fuerit; sic de ecclesia, & ecclesiastica potestate, verificatur vaticinium Hieremiæ: Ecce constitui te hodie super gentes,& regna, & cætera, quæ sequuntur.Hierem.cap.1.vt in tex. Ideo si deuiat terrena potestas, iudicabitur à potestate spirituali,sed si deuiat spiritulis minor,à suo superiori; Si verò suprema, à solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: Spiritualis homo iudicat omnia,ipse autem à nemine iudicatur. 1,ad Corinth.cap.2. Est autem hæc auctoritas (& si data sit homini,& exerceatur per hominem) non humana,sed potius diuina, ore diuino Petro data,sibique,suisq. successoribus in ipso, quem confessus fuit petra firmata; dicente Domino ipsi Petro: Quodcunque ligaueris, & cætera.Matth.cap.16. Quicunque igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit,Dei ordinationi resistit,nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia; quod falsum est,& hæreticum; quia, testante Moyse, non in principijs,sed in principio cęlum Deus creauit,& terram.Genes. cap.1. Vnde Summus Pontifex Bonifatius Octauus per hanc constitutionem declarat,dicit,definit,& pronuntiat, subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ omnino esse de necessitate salutis. vt in tex.& simile habetur in c.solitæ.extr.eod.

Cap.2. Vt prælatorum.

PRAELATI non debent discurrere, præsertim habitu transformato.

QVIA prælati sicut debent esse vita mundi, ita debent esse famaclari, vt exemplo proficui reddantur. vt in tex. & S.Bernard.de consider.lib. 3. Vnde debent in se morum habere maturitatem. c.cum in cunctis.extr.de elect. Et quoniam ineptè discurrere,est signum leuitatis.Arist.10.ethic. cap.5. Et abijcere vestes spirituales, est perniciosa temeritas indeuotionis.vt in tex.& c.cum ad monasterium. extr. de stat.monach. Et dissimulare habitum, est indicium volendi aliquod malum operari. c. ex studijs. extr. de præsumpt. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum. Sapient.cap.1. Et omnis, qui male agit, odit lucem,& non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius. Ioan. cap.3. Ideo omnibus episcopis, superioribusq. prælatis sub obtestatione diuini iudicij inhibetur,ne absque rationabili causa, timoris forte,vel alia,extra

tra suarum ciuitatis,& diœcesis, ac prouinciarum (mutatis habitibus) limites indiscrete discurrant.vt in tex.& Conc.Trid.de regular. cap.19.

QVI si ad curiam venerint, inde recedere non debent sine Papæ licentia.

QVIA superior propter sui status dignitatem, non debet pati se contemni.l.obseruandum.ff.de offic. præsid. Et quoniã quod prælati accedant Romam clanculo, non viso Papa, nec ei insinuato, quod venerint; & quod ibi latitent,& ab ipso nõ visi discedant, videtur in Summi Pontificis contemptum.vt in tex.& infr.c.prox. Ideo,ne, ipso Papa tacente,huiusmodi morbus non præcisus inualeat; dum prouidum creditur,quod incautum, & licitum, quod impunè relinquitur; inhibetur,ne qui episcoporum,& superiorum ipsorum latenter (prȩsertim habitu transformato) venientes ad curiam, de ipsa (Romani Pontificis non præsentati conspectui, vel saltem ab eo recedendi licentia non obtenta) recedant.vt in tex. & infr.c.prox.

ALIAS ipsi, & receptantes illos, excommunicati sunt.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, saltem coerceat seueritas disciplinæ.c.cum in cunctis. extr. de elect. Et quoniam agentes,& consentientes pari pœna puniuntur.c.quantæ.extr.de sent.excom. Et consentientes dicuntur illi, qui per cooperationem præstant auctoritatem.glos.in d.c.quantæ. Ideo si qui episcoporum,& superiorum extiterint huiusmodi inhibitionis contradictores,& absque ipsius Romani Pontificis recedendi licentia concessa, eoq. non viso recesserint à curia, nec non si qui scienter ipsos receptauerint, nisi id confestim eidem Romano Pontifici, vel alicui, per quem hoc ipsum ad eius crediderint deduci notitiam, manifestare curauerint (etiam si episcopali,archiepiscopali,patriarchali, vel quauis alia dignitate præfulgeant) per hanc constitutionem sententia excommunicationis innodantur.vt in tex.& infr.c.prox.

Cap. 3. Et si deceat.

PRAELATI ad curiam non debent more noctuæ latenter venire,nec inde sine Papali licentia recedere.

QVIA etsi deceat quoslibet subditorum curam exercere solicitè,& per omnia velut lucis filios ambulare; hoc tamen præcipuè ab ipsis exigitur, qui constituti per altitudinem dignitatis vt in specula, circa commissas sibi plebes pastorum simul, & custodum partes implere tenentur.vt in tex.& c.peruenit.11.q.1. Et quoniã nonnulli,pontificali præditi dignitate, gregum suorum custodiam negligentes,& abhorrentes lucem,tanquam filij tenebrarum, non verebantur se

ab o-

ab ouium suarum cura, mercenarij more, tempore longo subducere, & pontificali dignitate reiecta, non erubescebant vagari per deuia sub habitibus transformatis, ac contempto de exibendo paribus, & superioribus, honore præcepto, sic abiecti, & indecori, interdum ad Sedem Apostolicam clanculo declinare præsumebant, vbi more noctuæ, cuius intuitum nox illuminat, lux excęcat, de die latentes, horis tenebrarum, quos suis arbitrabantur conformari desiderijs, visitabant, suos eis euomentes conceptus iniquos, & conspirationes forsan illicitas pertractantes, & demum ab inde (non absque notabili Sedis Apostolicæ contemptu) reuerentia tam consueta, quàm debita, non exhibita Romano Pontifici, & nec ab ipso petita licentia, nec obtenta, recedebant. vt in tex. & supr. c.prox. Ideo Summus Pontifex Ioannes xxij. cupiens ipsius sedis honori in hac parte prospicere, ac talium insolentijs finem imponere, de Cardinalium consilio prohibet, ne de cętero præsul aliquis sine sui superioris licentia (nisi pro negotijs ecclesiæ sibi commissæ) extra suam diœcesim audeat pernoctare, firmiter statuens, vt quicunque Pontifex ad Romanam curiam veniens, Papale palatium primitus visitet, ad Papam (si hoc patitur temporis opportunitas) intraturus, ac reuerentiam consuetam, & debitam, exhibiturus eidem; nullatenus recessurus à curia, nisi ab ipso super hoc petita licentia, & obtenta. vt in tex. & simile supr. c.prox.

ALIAS infideles iudicantur, & sententia excommunicationis ligantur.

QVIA summo morbo summum remedium est adhibendum. c.corripiantur.24. q.3. Et quoniam contemnere superiorem, maxime Papam, est graue peccatum. c.si quis. extr.eod. Ideo quicunque prælati, quamuis etiam patriarchali dignitate fulgentes, sic ad Sedem accedentes, & ab illa (vt prædicitur) recedentes, nec non quilibet alij, qui tales apud sedem ipsam receptare præsumpserint, nisi ante receptionem huiusmodi eidem Romano Pontifici significauerint aduentum illorum, decernuntur, eo ipso, notam infidelitatis incurrere, ac excommunicationis sententiæ subiacere. vt in tex. & supr. c.prox.

Liber Primus. Titulus XXXIIII.

DE TREVGA, ET PACE.

In Decretal. Cap. 1. Treugas.

TREVGAS à quarta feria post occasum solis, vsque ad secun-

dam

dam feriam in ortu solis; Ab aduentu Domini vsque ad octauam Epiphaniæ; Et à Septuagesima vsque ad octauam Paschæ, ab omnibus inuiolabiliter obseruari, Summus Pontifex hic præcipit.



VIA die iouis non est bellandum, propter Ascensionem Domini in cœlum, & propter cœnam cum discipulis; nec die veneris, propter reuerentiam passionis; nec die sabbati, quia eo die discipuli latuerunt propter metum Iudeorum, & quia corpus latuit in sepulcro; nec die Dominico, quia ferè quodlibet insigne fuit eo die constitutum à Domino, & præcipuè propter honorem resurrectionis; Nec tempore Aduentus, quia sunt dies immediate constituti in honorem Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi; Nec à Septuagesima vsque ad octauam Paschæ, quia tunc est tempus præcipuè assignatum ad pœnitentiam, & ad contemplandam pasſionem, & resurrectionem Saluatoris, à quo processit redemptio nostra. Butr. hic. Quamuis enim nulla sint tempora, quæ diuinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus; in istis tamen solemnioribus diebus omnium mentes maiori studio ad spirituales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari. S. Leo serm. 4. de quadragesima. Et quoniam treuga est securitas præstita rebus, & personis, bello non dum finito. glos. 1. hic. Et pacem habere, debet esse voluntatis; bellum autem debet esse necessitatis, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace: Non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur; sed bellum geritur, vt pax acquiratur. c. noli. 23. q. 1. Ideo vbi non potest haberi pax in totum, curandum est, vt saltem habeatur ad tempus, & præsertim eo tempore, in quo diuinis misterijs magis est incumbendum, cum bella, vt plurimum, animos à deuotione alienent, & ad mala occasiones præbeant. vt in tex. & d. c. noli. Et hęc intellige, siue bellum sit iustum, siue iniustum; nam licet nullo tempore sit cessandum à bello iusto, minus tamen est ei vacandum in hoc tempore, quam in alio, & licet nunquam sit faciendum bellum iniustum, tamen si de facto fiat, saltem in his diebus est magis à pugna abstinēdum, glos. 2. hic. Et intellige, quod quis debet se abstinere in his diebus ab impugnando. Butr. hic; nam quo ad se defendendum, vbi vrget necessitas, nec quadragesimali tēpore, nec diebus festiuis, vel alijs diebus, pro defensione tam sua, quā patriæ, seu reipublicæ, & fidei, est bellorū exercitio parcendum; ne Deum quis videatur tentare, si habet, quod faciat, & suæ, & aliorum saluti consulere non procuret, & sanctæ religionis detrimenta non præcaueat. c. si nulla. 23. q. 8. & S. Tho. 2. 2. q. 40. art. 4. Sed quod dicitur de tali treuga, & de pœna contrauenientium in hoc tex. hodie non tenet, nec peccant, qui non seruant hanc constitutionem; quia huiusmodi treuga non fuit moribus vtentium approbata. glos. 2. & Innoc.

Innoc.hic. Leges enim instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur.c.in istis.§.leges.dist.4. Sed quando lex tollatur per desuetudinem, distingue, quod, Aut lex præceptiua nunquã fuit recepta in obseruantia, sciente legislatore, & valente contradicere, & non contradicente, & talis lex non ligat, nec requiritur tempus ad inducendam præscriptionem; sed sufficit binus, vel trinus actus in contrarium, quia hic non agitur de præscribendo contra legem, sed de impediendo vinculum; nam per binum, vel trinum actum apparet de cõsensu superioris. c.ita nos.24.q.2.& l.2.C.de episc.audien. Ex quo enim superior videt, & patitur, non videtur velle, quod lex sua vinculum inijciat. Si verò aliqui seruant in eodem loco, tunc non seruantes non videntur excusari.arg.c.iam dudum.in fin.de præb. Aut superior ignorat, & tunc requiritur præscriptio 40. annorum, & dummodo consuetudo sit rationabilis, vt quia fundatur super aliqua ratione. c.fin.de consuet. in 6. Si enim contrarium legis in se esset malum, consuetudo non esset rationabilis.c.intellecto.de iureiur. Nec obstat, quod videantur peccasse contrauenientes à principio, & sic quod videatur fuisse vitiosum principium abrogandi legem, & quod in huiusmodi vitio videantur continuare successores; quia respondetur, quod si à principio moti fuerunt ex aliqua rationabili causa, non peccauerunt; quia ipsemet superior indulsisset. ad hoc, quod not. Archid.in c.vtinam.dist.26.& successores eorum, qui contrauenerunt, similiter nõ peccauerunt, quia potuerunt existimare, quod ex aliqua rationabili causa lex illa non sit obseruata.arg. eorum, quæ not.glos.in c.de quarta. de præscript.& Abb.hic. Et quod lex præceptiua non illaqueat, sciente superiore, & non contradicente, est tex.iuncta glos.in c.1.dist.20.& c.cum olim.de cleric.coniug.

Cap.2. Innouamus.

PERSONAE hic enumeratæ debent plena securitate gaudere tempore guerræ; scilicet presbyteri, monachi, conuersi, & peregrini.

QVIA qui militant Deo, non debent perturbari per milites sæculi.c.illi, qui.24.q.3. Et quoniam clerici, & istæ aliæ personæ spirituales elegerunt vitam, per quam Dei cõtemplationi, & orationi incumbunt. c. duo sunt. 12. q. 1. Ideo non debent à diuino ministerio per milites mundi retardari. vt in tex. & c. si quis Romipetas.24.q.3.

ET similiter mercatores euntes, vel redeuntes, & rustici in agricultura existentes.

QVIA per istos prouidetur reipublicæ de rebus victui, & vestitui necessarijs, & per eorum industriam principes de huiusmodi rebus tributa reportant, ex quibus eorum dignitas sustentatur.l.

agricultores. & l.executores. C. quæ res pign. oblig. Et quoniam si isti per milites turbarentur, omnes alij, tam religiosi, quàm sæculares detrimenta paterentur, & principatus debilitaretur. d.l. executores. Ideo ne per malum eis illatum, etiam alij indebite molestentur, isti sunt priuilegiati, dum huiusmodi publico bono incumbunt, ne tempore belli molestentur. vt in tex. & d.c. illi, qui.

ET similiter animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum.

QVIA accessorium sequitur naturam sui principalis. c. accessoriũ. de reg. iur. in 6. Et verba sunt intelligenda cum effectu. c. relatum. de cleric. non resid. Et quoniam rustici non possent sine istis animalibus agriculturæ operam dare. l. pignorum. d. tit. quæ res pign. oblig. Ideo ista animalia debent à militibus securitatem habere, sicut habent rustici, qui eis in agricultura vtuntur. vt in tex. & d.l. pignorum.

In Extrauag. commun. Cap. 1. Ad vniuersalis.

SIXTVS Papa Quartus volens discordiam ex pragmatica sanctione subortam sedare, ordinarijs regni Franciæ ad conferenda beneficia sex menses concedit. Facultatem concedendi sex gratias sibi retinet. Beneficia Cardinalium, & eorum, qui Cardinalibus sunt familiares, in regno franciæ existentia, suæ dispositioni vsque ad certum tempus reseruat. De beneficijs promouendorum quid fieri debeat, ostendit. Causas beneficiales in prima instantia vult in partibus terminari, in quibus ante diffinitiuam sententiam (nisi in vno casu) vetat appellari. Quid de causis in curia pendentibus faciendum sit, narrat. Si autem eadem causa in diuersis curijs diuersis respectibus tractatur, quonam pacto terminanda sit, hic recitatur. Taxas beneficiorum editas à Ioanne XXII. seruandas censet. Tandem tempus ponit, intra quod vult ista acceptari, & seruari.



VIA Summus Pontifex, inter alia onera, quæ sustinet in vniuersalis ecclesiæ regimine, debet maximè inuigilare, vt in populo Christiano, & præsertim in personis ecclesiasticis, discordiæ extinguantur, & pacis, & tranquillitatis dulcedo in ipsis conseruetur. vt in tex. & c. nouit. extr. de iudic. Et quoniam in regno Franciæ erant ortæ discordiæ, præsertim inter ecclesiasticos, occasione cuiusdam constitutionis, quæ in eodem regno diutius inoleuit (quam pragmati-

maticam ſanctionem appellabant) & timebatur, ne in dies propter illam maiora scandala, & grauiora pericula ſubſequerentur. vt in tex. Ideo ad obuiandum huiuſmodi malis, Summus Pontifex Sixtus Quartus circa hæc negotia ſtatuit, prout in tex.

Cap. 2. Vices.

DISCORDIA inter religioſos mendicantes, & eccleſiarum parochialium rectores in partibus Germaniæ quatuor delegatis cõmiſſa, per eos ſub certis formis, & modis in pacem, & concordiam conuerſa fuit, quam Romanus Pontifex confirmat.

QVIA attendens Summus Pontifex, quod illius vices gerit in terris, qui Apoſtolis ſuis dixit: Pacem meam do vobis, pacem meã relinquo vobis. Ioan. cap. 14. Cupit inter Chriſti fideles quoſlibet, & præſertim ſub vno, atque eodem ſacerdotij vexillo ſecum Deo militantes, pacem, & charitatem inducere, & inductam confouere, & quæ ijs contraria ſunt, falce vigilantiæ paſtoralis ad radicem poſita, ſubmouere, prout rerum, & temporum circunſtantiæ expoſcere dignoſcuntur. vt in tex. & ſupr. c. prox. Et quoniam inter religioſos mendicantes, & eccleſiarum parochialium rectores in partibus Germaniæ, erant ortæ diuerſæ diſcordiæ, per quas eccleſia Dei patiebatur in iſtis ſuis miniſtris detrimentum, & Chriſtifidelibus illarum partium in dies ſcandalum non modicum inde proueniebat. vt in tex. Ideo Summus Pontifex Sixtus Quartus ad extirpandas huiuſmodi diſcordias, & pacem inducendam, & fouendam inter iſtos eccleſiaſticos, qui ſe mutua charitate diligere, & alter alterius (iuxta Apoſtolum ad Galat. cap. 6.) onera portare debent; approbat, & confirmat ea, quæ pro tali concordia fuerunt ordinata per illos Sedis Apoſtolicæ delegatos, ſupplens motu proprio, & ex certa ſcientia, omnes, & ſingulos defectus, tam iuris, quàm facti, ſi qui forſan in concordia per tales delegatos facta, interueniſſent. vt in tex. & ſimile habetur in c. vnic. de offic. cuſtod. in extrauag. cõmun.

PRAECIPIENS ſub pœna excommunicationis, illam à prælatis obſeruari.


QVIA fruſtra fierent leges, niſi eſſent, qui eas executioni demandarent. c. ſi Romanorum. diſt. 19. & l. quia. ff. de præſcript. verb. Et quoniam per impoſitionem pœnæ, multi redduntur promptiores ad eorum officium exequendum, vt qui nõ oderunt peccare amore Dei, ſaltem abſtineant formidine pœnæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Ideo iniungitur prælatis, ſub pœna excõicationis latæ ſententiæ, vt ea, quæ pro talium concordia in hac conſtitutione continentur ordinata, & cõfirmata, ipſi inuiolabiliter obſeruent, & quantum in eis eſt, ab alijs faciant obſeruari. vt in tex.

Liber Primus. Titulus XXXV.

DE PACTIS.

In Decretal. Cap. 1. Antigonus.

PACTA, quantumcunque nuda, seruanda sunt.



QVIA per legitimum pactum, quod non sit dolo initum, & obseruatum non vergat in dispendium salutis æternę, quamuis non sit aliqua scriptura, & instrumento vestitum, inducitur naturalis obligatio. l. iurisgentium. §. prętor. ff. de pact. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea seruare, quæ inter eos placuerunt? l. 1. ff. eod. Et quoniam qui à tali pacto, & obligatione recedit, mentiendo in alterius damnum, mortaliter peccat. c. prædicandum. 22. q. 1. dicente scriptura: Os, quod mentitur, occidit animam. Sapien. cap. 1. Vnde inter iuramentum, & simplicem loquelam, Dominus nullam vult esse differentiam. c. iuramenti. 22. q. 5. scilicet, quo ad obligandum promittentem, vel iurantem; nam vterque peccat contraueniendo, licet in quantitate reatus, sit differentia; quia grauius peccat veniens contra iuramentum. vt not. in c. fin. de iureiur. Ideo ad euitandum mortale peccatum, & ad soluendam naturalem obligationem, licita pacta sunt custodienda, & per ecclesiasticam disciplinam ad illorum obseruantiam ille, qui renuit, est adstringendus. vt in tex. & infr. c. qualiter.

Cap. 2. Quoties.

CONVENTIO inualida per consensum superioris validatur.

QVIA vbi superior aliquid confirmat cum causæ cognitione, supplet omnem defectum, qui in illo actu poterat esse. c. 1. & 2. de cōfirm. vtil. intelligendo de superiore, qui de iure habeat ad hoc potestatem. glos. hic. & in c. 1. infr. tit. prox. Omnia enim nostra facimus (inquit Imperator) quibus auctoritatem nostram impartimur. l. 1. C. de veter. iur. enucl. Et quoniam qui ab initio poterat mandare, vel concedere, potest etiam ex post facto ratum habere. c. ratihabitionem. de reg. iur. in 6. Ideo si sit pactum, de cuius validitate dubitetur, per superioris consensum confirmatur. vt in tex. & c. 1. infr. tit. prox. Quod enim non valebat, vt ex tunc, incipit valere, vt ex nunc. glos. in c. non firmatur. de reg. iur. in 6.

Cap. 3. Qualiter.

IVDEX debet studiose agere, vt promissa adimpleantur.

QVIA ad iudicem, præsertim ecclesiasticum, spectat prouidere, vt peccata euitentur. c. nouit. de iudic. Et quod vnicuique ius suum tribuatur. Institut. de iustit. & iur. §. 1. Et quoniam qui non attendit, quod legitime promisit, mentiendo peccat. supr. c. 1. Et retinet rem promissam, quæ per suum præstitum consensum spectat ad alium. l. cum amplius. §. is natura. ff. de reg. iur. Ideo per iudicem studiose, & effectualiter agendum est, vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur. vt in tex. & c. iuramenti. 22. q. 5. Verba enim sunt intelligenda cum effectu. c. relatum. de cler. non resid. Et vbi requiritur effectus, non sufficit voluntas. c. 1. de eo, qui mitt. in poss. Vnde in ordinatione psalmistæ, id est, cantoris, dicitur ei per ordinantem: Vide, vt quod ore cantas, corde credas; & quod corde credideris, operibus compleas. c. psalmista. dist. 23. Et Dominus dicit: Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Psalm. 88.

Cap. 4. Cum pridem.

NON valet pactum, per quod beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari.

QVIA dare spirituale pro temporali, est simonia. c. ex diligenti. de simon. Et quoniam beneficium ecclesiasticum est quid spirituale, & pecunia est res temporalis. c. consulere. d. tit. & c. totum. 1. q. 3. Et remittere est dare. c. ea, quæ. d. q. 3. Ideo pactum de renuntiando beneficium, in quo habetur titulus, pro pecunia, vt simoniacum non valet. vt in tex. & c. tua nos. de simon. Iudex tamen ex officio suo posset prouidere, vt vna pars cederet liti super spiritualibus, & pro bono pacis reciperet ab alia parte expensas, quas fecit. glos. hic. ver. non duximus. & c. nisi. de præbend.

Cap. 5. Accepimus.

NON valet pactum de succedendo post mortem prælati in ipsius ecclesia.

QVIA per huiusmodi pactum daretur occasio captandæ mortis beneficiati. l. de fideicommisso. C. de transact. Et hæreditaria successio in beneficijs esse videretur. c. Apostolica. 8. q. 1. Et quoniam vtrumque est malum, & contra bonos mores. c. nulla. de concess. præb. Ideo tale pactum est sacris canonibus inimicum, & non debet aliquatenus tolerari. vt in tex. & d. c. nulla. De successione tamen in hæredita-

tem

tem alterius, valet pactum, si fuerit factum de consensu illius, de cuius hæreditate paciscitur; dummodo in tali consensu ipse perseuerauerit vsque ad mortem.l.fin.C.de pact. Sed in beneficijs non valet hoc pactũ, etiam si ei consenserit beneficiatus.glos.3.in d.c.nulla. quia non spectat ad eum dare successorem in beneficio.c.detestanda.de cõcess. præb.in 6. Vt potest quisq; dare successorem in re sua.l.si testamentũ. C.de testam.

Cap.6. Cum clerici.

QVI per pactum augendę pensionis consecutus est ecclesiam, debet ea priuari, & aliàs canonicè puniri.

QVIA tale pactum est simoniacum,cum promittat temporale pro consequendo spirituali.infr. c. fin. Et quoniam pœna contra illum,qui simoniacè adeptus est beneficium,est illius beneficij spoliatio.c.Matthæus.de simon. Et est ab ordine depositio, & excommunicatio.c.reperiuntur. 1.q.1. Ideo qui per tale pactum consecutus est ecclesiam,est illa spoliandus, & seueritate ecclesiastica puniendus. vt in tex.& c.erga.1.q.1. Dicitur autem,talem simoniacum esse beneficio spoliandum,non autem dicitur esse priuandum.vt in tex.quia priuatio prę-supponit habitum.c.ad dissoluendum.de despõns.impub. Et iste non habuit in beneficio ius, neque titulum. Abb.hic. nam collatio beneficij simoniace facta,est ipso iure nulla.c.ordinationes. d.q.1. Si autem tale pactum interuenerit post collationem,tunc non potest dici simoniacum, cum iste iam fuerit consecutus ius spirituale. Abb.hic. Sed adhuc peccat,& debet puniri,quia sine auctoritate superioris constituit ecclesiam censualem.c.significauit.& c.prohibemus.de censib.

Cap.7. Plerique.

SI ecclesia rem suam locando,vel in feudum concedendo,apponit pactum in præiudicium iuris parochialis alterius ecclesiæ,non tenet.

QVIA iura parochialia sunt debita ipsi ecclesiæ parochiali.c.fin. de paroch. Et quoniam quis non potest pacisci in præiudicium alterius. c.si diligenti. de foro competen. & c.eam te. de iureiur. Ideo tale pactum, quod de auaritiæ radice procedit, penitus reprobatur. vt in tex. & c. auaritiæ. de præbend. Sed licet ex pacto quis non possit sibi eligere sepulturam in aliena parochia, sponte tamen potest sibi eligere illam. c.1. de sepult. Et hodie dicendum est de hoc, vt habetur in cap. 1. de sepult. in 6. & in Clement. cupientes. §. fin.de pœn.

ET quicquid hac occasione percępit, reddere cogitur illi ecclesię.

Quia

QVIA iuxta verbum beati Augustini epist. 54. ad Maced. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. c. cum tu. de vsur. Et quoniam restitutio est facienda proprio domino, vel eius hæredibus, vel (his non superstitibus) res est pauperibus erogãda; dummodo is, qui male detinet, habeat in facultatibus, vnde possit rem ablatam restituere. d. c. cum tu. Ideo cum acquisita per huiusmodi pactum, non spectent ad ipsos paciscentes, sed ad ecclesiam parochialem, in cuius præiudicium ipsi istud pactum fecerunt, illi ecclesiæ sunt talia bona restituenda. vt in tex. & c. apostolicos. 12. q. 2.

Cap. 8. Pactiones.

NON valet pactio in spiritualibus, quę peccatum inducit.

QVIA de duobus malis minus malum est eligendum. c. non solum. 22. q. 4. Et quoniam minus malum est vota stultæ promissionis non implere, quàm crimen committere. c. si publicis. d. q. 4. Ideo pactiones, quæ obseruatæ vergerent in animæ detrimentum, obseruandæ non sunt, & nullius sunt validitatis. vt in tex. & c. 2. eod. in 6. Et hoc, etiam si essent iuramento firmatæ. c. 1. de iureiur. quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. c. si vero. de iureiur. Vnde inquit Isidorus in synonimis lib. 2. cap. de mendacio. In malis promissis rescinde fidem; In turpi voto muta decretum; Quod incaute vouisti, ne facias; Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. d. q. 4. c. in malis. Et quia pactiones circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continent simoniæ. c. quæsitum. de rer. permut. Ideo in spiritualibus omnis pactio, omnisque conuentio debet omnino cessare. vt in tex. & c. tua. de simon.

VEL turpis, seu de re turpi.

QVIA pactio turpis, vel de re turpi, est contra bonos mores. glos. 2. hic, quæ de his pactionibus ponit exempla. Et quoniam tolerabilius est, promissum non facere, quàm facere, quod sit contra bonos mores, & inhonestum. c. vnusquisque. 22. q. 4. Ideo si pactum contineat in se turpitudinem, non est seruandum. vt in tex. & l. generaliter. ff. de verb. oblig. Et hoc, etiam si esset iuratum. c. si aliquid. d. q. 4. quia non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. c. non est. de reg. iur. in 6.

VEL impossibilis de iure, vel de facto.

QVIA omnis obligatio, aut in dando, aut in faciendo, consistit. l. 2. ff. de verb. oblig. Et quoniam quod est impossibile de iure, vel de facto, non potest dari, neque fieri. l. si stipuler. ff. d. tit. Ideo impossibilium pactio nullius est obligationis, vel momenti. vt in tex. & l. im-

l.impossibilium. ff. de reg.iur. Sed est aduertendum, quod quando dicitur, pactum contra ius non valere,est intelligendum de pacto contra ius publicum, cui particulares renuntiare non possunt;secus si esset pactum contra ius priuatum, cui quisque renuntiare potest. vt not. in c. si diligenti. de for. compet. & glos.in d. c.non est.

In Sexto. Cap. 1. Pactum.

MONACHI habentes liberam à Sede Apostolica sepulturam, si paciscuntur de non recipiendis aliquibus, vel certis parochianis ecclesię alicuius, seruare compelluntur pactum.



VIA specialia derogant generalibus. c. 1. extr. de rescript. Et quoniam facultas sepeliendi est generalis, & pactum de non sepeliendo aliquos, est quid speciale. c.in nostra. extr.de sepultur. Ideo per huiusmodi pactum derogatur facultati sepeliendi, quæ generaliter istis monachis competebat. vt in tex. & glos. in c.generi.infr.de reg.iur. Et hoc, siue tale pactum præcesserit indulgentiæ sepeliendi impetrationem, siue fuerit post illam secutum, quia si pactum præcessit, non intenditur illi,per obtentum postea priuilegium, præiudicium inferri, si de illo non faciat mentionem. c. ex multiplici. extr. de decim. & c. super eo. de offic. deleg. Si verò talis indulgentia sepeliendi præcessit pactum, ei per illud videtur fuisse renuntiatum. vt in tex. & c.si diligenti. extr. de for. compet.

NEC illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri.

QVIA per priuilegium concessum monachis, vt posint recipere aliquos ad sepulturam, non infertur eis recipiendi necessitas, sed in eorum voluntate relinquitur libera recipiendi, vel non recipiendi facultas. Gemin. hic nu. 6. Et quoniam fauori pro se introducto quilibet renuntiare potest. c.ad apostolicam. extr. de regular. Ideo ipsi monachi possunt pacisci de non recipiendo aliquos ad eorum sepulturas. vt in tex. etiam istis sepeliendis inuitis. glos.in c.3. ver.liberum. extr. de offic.deleg. licet aliàs quis habeat liberam potestatem eligendi sepulturam per respectum ad diuersitatem locorum. c.cum liberum. & c.de vxore. extr. de sepultur.

Cap. 2. Quamuis.

PACTVM factum patri à filia, dum tradebatur nuptui, quod dote contenta,nullum habebit ad bona paterna regressum, si iurauerit

uerit id ipsa filia, omnino seruare tenebitur.

QVIA iuramentum præstitum super actu à lege infirmato principaliter fauore iurantis, licet secundario in fauorem publicum necessario est obseruandum, si non vi, nec dolo fuit præstitum, & in alterius præiudicium principaliter non redundet, & obseruatum non vergat in æternæ salutis dispendium. c.cum contingat. extr. de iureiur. Et quoniam leges ciuiles improbant pactum factum patri à filia, dum traditur nuptui, vt, dote contenta, nullum habeat ad bona paterna regressum, principaliter fauore ipsius filiæ, ne à futura successione excludatur, & sit peioris conditionis, quam cæteri filij, sicq. à paterno obsequio retrahatur, licet tale pactum prohibeatur secundario in publicum fauorem, vt mulieres facilius inueniant maritos, per quos, & quas, ciuitas numerosius liberis repleatur. l.pactum. C.de collat. & l.fin.ff. de suis, & legit. Ideo tale iuramentum non est illicitum, & obligat iurantem. vt in tex. & c.licet. infr. de iureiur. Ius enim canonicum magis considerat salutem animæ, & magis intendit obuiare peccatis, quam faciat ius ciuile, quod magis intendit reipublicæ vtilitatem. d.c.licet. & glos. in d.c. cum contingat. Et nos debemus magis animarum saluti attendere. c. filius. extr. de testam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Matth. cap. 16.

Cap. 3. Quia ex eo.

PACTA inita per Fratres Prædicatores, vel Minores, vel alios Mendicantes, cum Rectoribus parochialium ecclesiarum, super parochialibus iuribus, si facta sunt per Priores, vel Guardianos, de conuentuum ipsorum locorum consensu (licet auctoritas Sedis Apostolicę non interuenerit, vel licentia Prioris, vel Ministri generalis, aut Magistri, vel prouincialis Ministri, vel capituli prouincialis) seruanda sunt.

QVIA ex eo, quod Fratres Prædicatores, & Minores, & alij Mendicantes, compositiones, & pacta cum prælatis, capitulis, rectoribus, & personis ecclesiarum, ciuitatum, castrorum, villarum, & locorum, in quibus domus, seu habitationes eorum existunt, super iuribus parochialibus, vel alijs quibuscunque articulis, ab eis, vel eorum antecessoribus inita, siue facta, seruare recusabant, & ea eo prætextu infringere moliebantur, quia Magistri, aut Ministri, vel Prioris generalium, seu prouincialium eorundem non affuit assensus in ipsis, nec approbata per ipsorum generalia, vel prouincialia capitula extiterunt; multa in-

diuersis mundi partibus scandala insurgebant; & ipsorum Fratrum famæ,& honori plurimum detrahebatur.vt in tex.& extrauag.Ioan.XXII. c.vices.de treug. & pac. Et quoniam religiosos decet puritatem omnimodam in suis actibus obseruare, & ab his abstinere propensius, per quę posset alijs exempli pernicies generari. vt in tex.& S.Tho. 2. 2.q. 43.art.6. Ideo Summus Pontifex Bonifatius Octauus his malis occurrere paternæ solicitudinis studio intendens, præsenti decreto sanciuit, compositiones, & pacta huiusmodi cum prælatis, capitulis, & rectoribus,& personis prædictis, ab ipsorum Fratrum conuentualibus, Prioribus,seu Guardianis facta,vel approbata, de suorum conuentuum consilio,& assensu,debere ab ipsis fratribus in locis,in quibus fuerint facta, perpetuò inuiolabiliter obseruari; non obstante,quod Magistri, vel Ministri, aut Prioris generalium, seu prouincialium prædictorum non interuenerit in eisdem assensus; nec ab ipsorum generalibus, vel prouincialibus capitulis extiterint approbata; seu quod Sedes Apostolica in his,quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint,auctoritatem suã, vel assensum non præstiterit. vt in tex. Sed vbi per iura posteriora reperitur determinatum, quæ sint ab istis religiosis cum rectoribus ecclesiarum,vel alijs,obseruanda,& per ipsa iura est eis ablata potestas aliter paciscendi, talia iura sunt in his dispositionibus attendenda. Clem. dudum. de sepultur. Sed quid,si isti Fratres faciunt pactum cum laicis super alijs iuribus,an valeat? Distingue,quòd,si pacta inducerent alienationem iurium,vel rerum,non valerent sine licentia superioris. c.fine exceptione. 12.q.2. Secus,si non inducerent alienationem,sed modificarent contractus inter se gestos, per rationem huius tex. quæ habet locum in talibus pactis etiam cum laico,Gemin.hic in fin. Et etiam,quia in istis modicis non requiritur tanta solemnitas, quanta requiritur in magnis.c.terrulas. d.q.2.

DVMMODO sint licita, & honesta.

QVIA pacta,quæ continent in se turpitudinem, & obseruata vergerent in dispendium salutis æternæ, nullam inducunt obligationem. extr. c.fin. & l.pacta, quæ. C.eod. Et quoniam religiosos maximè decet honestati,& sanctitati studere.vt in tex.& 1.ad Corinth. cap.14. Ideo per facultatem datam religiosis, vt super aliquibus possint pacisci,non intelligitur data,nisi ad pacta licita, & honesta ineunda. vt in tex.& extr.c.plerique.

Liber

DE TRANSACTIONIBVS

In Decretal. Cap. 1. Sicut.

INSTRVMENTA, & alia iura partium, contraria transactione tolluntur.



QVIA transactio est de re dubia, & lite incerta, pactio non gratuita. l. 1. ff. eod. Et quoniam pactum nouissimum rumpit pacta priora. l. pacta nouissima. C. de pact. Ideo per transactionem tolluntur omnia priora iura competentia transigentibus. vt in tex. & l. sub prętextu. C. eod. Non enim minorem auctoritatem transactionum, quàm rerum iudicatarum esse, recta ratione placuit: Si quidem nihil ita fidei congruit humanæ, quam ea, quæ placuerunt, custodiri. l. non minorem. C. eod. Vnde per transactionem derogatur testibus, instrumentis, præscriptionibus, & cuilibet iuri, quod prius competebat; dummodo instrumenta, & probationes non fuerint dolo partis occultatæ; nam tunc posset agi actione pristina: Et si exciperetur de pacto transactionis, posset replicari de dolo. d. l. sub prætextu. Et intellige, volente altera parte transactionem seruare; alias potest transigens vti pristino iure suo, ac si non fuisset transactum. infr. c. constitutus, & l. cum proponas. C. de pact. nam frangenti fidem, quis non tenetur seruare, quod interposita conditione promiserat. c. 3. de iureiur. Et intellige de transactione licita, nam illicita non valet. infr. c. super eo. Et intellige, inter transigentes; nam res inter alios acta, alteri præiudicare non debet. c. cum olim. de caus. possess. & propr. Et intellige super rebus, de quibus fuit transactum; nam de quibus non fuit actum, nec cogitatum, non potest dici esse transactum. l. si de certa. C. eod.

Cap. 2. Statuimus.

TENET compositio super decimis, facta cum assensu superioris.

QVIA hæc est differentia inter compositionem amicabilem, & transactionem; quòd transactio est pactio non gratuita, per quam aliquid datur, vel retinetur, vt à lite recedatur; Compositio verò est gratuita pactio, qua pro spirituali non datur aliquid temporale. infr. c. super eo. Et quoniam illa transactio, per quam daretur temporale pro spirituali, contineret simoniam. c. tua. de simon. Compositio verò, per quam, vel nihil datur pro spirituali, vel aliud spirituale cum spirituali

de superioris auctoritate commutatur, si sit legitime facta, non est illicita, & nullam continet simoniam. c. quaesitum. de rer. permut. & S. Tho. 2.2.q.100.art.4.ad 3.arg. Ideo in spiritualibus (quale est ius decimandi. c. ad haec. de decim.) prohibetur transactio, non autem amicabilis compositio. vt in tex. & c. ex multiplici. de decim. Sed quoniam talis compositio non debet fieri sine causę cognitione, nam non debet ius ecclesiae remitti sine causa. c. quisquis. 12.q.2. Vnde superior debet examinare, an compositio, vel alienatio expediat ecclesiae. c. sine exceptione. d.q.2. Et requiritur decretum ipsius Episcopi respectu subditorum suorum. c. abbatibus. & c. placuit. d.q.2. Ideo vt valeat ista compositio, debet fieri de consensu, & auctoritate superioris. vt in tex. & c. in venditionibus. 17.q.4.

Cap. 3. Contingit.

SI capitulum consensit transactioni, quam fecit praelatus nomine ecclesię, vlterius dissentire non potest.

QVIA in contractu transactionis non habet locum poenitentia. l. quamuis. C. eod. Nullus etenim esset litium finis, si à transactionibus bona fide interpositis posset facile discedi. l. fratris. C. eod. Et quoniam lites sunt amputandę. l. item si res. ff. de alien. iud. mut. caus. fact. Ideo prohibetur, ne à transactione facta per praelatum, possit dissentire capitulum, quod illi suum praestitit consensum. vt in tex. Non tamen per hoc tollitur, quin superior possit illam reuocare, pronuntiando, ipsam non praeiudicare ecclesiae, si ex alio defectu sit inualida Butr. hic.

Cap. 4. Constitutus.

SVPER ecclesiastico beneficio transigi non potest.

QVIA in transactione datur aliquid temporale, vt altera pars à lite recedat. supr. c. 1. & 2. Et quoniam beneficium est res spiritualis. c. quaesitum. de rer. permut. Et dare temporale pro spirituali, est simonia. c. tua. de simon. Ideo super ecclesiastico beneficio non est licitum transigere. supr. tit. prox. c. cum pridem, & infr. eod. c. super eo. Cum huiusmodi transactiones speciem contineant simoniae. vt in tex. & S.Th. 2.2.q.100.art.1.ad 5.argum. & Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 7. art. 2. Et notanter transactio super ecclesiastico beneficio, non dicitur semper simoniaca, sed dicitur semper continere speciem simoniae, vt not. Innoc. hic. quia potest esse, quod is, qui dat aliquid temporale, vt in beneficio quiete persistat, habeat ius in eo, & sic per transactionem tunc non consequeretur aliquid spirituale; sed potius redimeret vexationem suam, quod licet. vt in c. dilectus il 1. de simon. sed quia posset esse contrarium; ideo iura prohibent transactionem in beneficio, vt euitetur vel vera simonia, vel species simoniae. vt in text. & infr. d. c. super eo. Non solum enim

enim à malo, sed & ab omni specie mali abstinendum est. c.cum ab omni.de vit.& honest.cler.iuxta dictum Apostoli.1.ad Thesal.cap.5.

ETIAM cum iuramenti interpositione.

QVIA iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis.c.quanto. de iureiur. Et quoniam accessorium sequitur naturam sui principalis.c.accessorium.de reg.iur.in 6.Ideo sicut non tenet transactio super beneficio, propter speciem, quam haberet simoniç, vt dictum est superius, ita non debet tenere iuramentum pro illius obseruantia accessorie appositum.vt in tex.& supr.tit.prox.c.fin.

Cap.5. De cætero.

PER transactionem factam sine auctoritate episcopi, potest prælatus, sed non ecclesia, constitui censualis.

QVIA licet transactio strictè sumpta non possit interuenire in beneficijs.vt supr. c. prox. & c.statuimus. Compositio autem (qualis est in hoc text. quæ lato vocabulo dicitur transactio. Butr.hic) facta de prouisione iudicis ex officio suo, iusta interueniente causa, sine aliqua partium pactione, valet.glos.hic,& c.nisi. de præb. Et quoniam non potest Prælatus, vel iudex inferior sine consensu Episcopi, ecclesiam constituere censualem.infr.c.veniens,& de censib. c. prohibemus.Ideo, licet toleretur pro bono pacis, vt iudex inferior constituat vnam partem alteri censualem, illo durante beneficiato, qui consentit soluere censum; non tamen datur ei facultas, vt possit perpetuo ecclesiam constituere censualem.vt in tex.& d.c.nisi.

Cap.6. Ex litteris.

SI beneficium, quod per transactionem habetur, impetratur, vt vacans, ab eo, qui fuit transactionis mediator, non valet impetratio.

QVIA si talis transactio fuit amicabilis compositio, potuit legitime fieri:& sic potest esse, quod ille beneficiatus, qui transegit, colorato titulo possideat.infr.c. prox. Et quoniam non valent literæ ad beneficia impetratæ, quæ de alterius colorata facti possessione non faciunt mentionem.c.cum nostris.de conceff.præb.Ideo talis subreptitius precator debet carere impetratis.vt in tex.& c. super literis. de rescript. Si verò talis transactio fuit illicita, continens in se speciem simoniæ.vt supr.c. prox.& ob id beneficiatus non posideret titulo colorato,& sic non esset ab impetrante necessario exprimendus.c. literas. d. tit de conceff.præb. ipsa tamen transactio non potest impugnari ab eo, qui fuit mediator illius, quia allegaret turpitudinem suam. c. veniens il 1. de testib. Et quoniam in vtroque casu iste est informatus, qualiter benefi-

beneficium per transactionem possideatur, ex quo fuit mediator illius Butr.hic. Et nemo præsumitur proprium factum ignorare.l. quisquis. C. de rescind.vend. Ideo talis mediator non potest prætendere facti ignorantiam.c.ignorantia.de reg. iur. in 6. Et sic nec in primo, nec in secundo casu legitimè impetrauit; non in primo, quia tacuit titulum coloratum beneficiati; nec in secundo, quia ipse fuit socius, & particeps criminis in tali transactione. Butr.hic.

Cap.7. Super eo.

SVPER ecclesiastico beneficio non potest transigi.

QVIA transactio non fit, nisi aliquo dato, vel retento, vel promisso.l.transactio.C.eod. Et quoniam, vt res sacræ possideantur, aliquo dato, vel retento, seu promisso, species esset simoniæ. vt in tex. Ideo super ecclesiastico beneficio, quod est res sacra, & spiritualis. c. quæsitum.de rer.perm. transigi non potest. vt in tex. & supr.c.cōstitutus.

SED potest amicabiliter componi.

QVIA amicabilis compositio est gratuita pactio, per quam à lite receditur. Butr. hic. Et quoniam talis compositio non obuiat sacris canonibus. vt in tex. qui dum prohibent in talibus pactiones, intelligunt de illicitis.glos.fin.hic, & glos.in c. quam pio. 1. q. 2. Ideo in beneficijs non prohibetur amicabilis compositio. vt in tex. dummodo non fiat à partibus inter se, ne fortè retineret beneficium ille, qui in eo non habet titulum, sed fiat de superioris, aut iudicis auctoritate, qui non præsumantur declarare, beneficium pertinere, nisi ad illum, qui habeat in eo canonicam institutionem.supr.c. statuimus. & c. de cætero. Sed per talem compositionem, si contingit beneficium assignari ius habenti, valet compositio; si vero assignetur ius non habenti, quando fit à non habente potestatem conferendi, per hoc sibi non acquiritur titulus. Butr.hic. Vnde licet talis compositio valeat quo ad partiũ præiudiciũ, nō tñ prȩiudicat superiori, quin possit quȩrere de titulo.c.nisi.de præb.

Cap.8. Veniens.

TRANSACTIO facta de rebus ecclesiȩ per prælatum sine superioris consensu, non obligat successorem.

QVIA pacta inter alios acta alijs obesse non debent. vt in text. & l.si vnus.§.item ne.ff.de pact. Et quoniam sine superioris auctoritate non potest rector ecclesiam perpetuo obligare, etiam transigendo, ne sic indirectè eius bona alienaret.c.quisquis. 12. q. 2. & not. supr.in c.statuimus. Ideo si prælatus super rebus ecclesiæ sine superioris auctoritate transegit, talis transactio est censenda personalis quo ad ipsum, quantumcumque transigat nomine ecclesiæ; non autem realis

quo

quo ad ecclesiam,& successores.vt in tex.& c.2. de precar. In his enim plus consideratur iuris potestas, & iudicis auctoritas, quam sola contrahentium voluntas. Butr.hic. Ad cognoscendum autem, an quis voluerit inire pactum reale, vel personale, sunt attendenda verba paciscentium, & eorum auctoritas, & res, super qua paciscitur, & alia,quæ habentur in l.iurisgentium. §.pactorum. ff.de pact. & not. Bart. in l.stipulationes non diuiduntnr.ff. de verb.oblig. Sed nunquid ipse prælatus, qui transegit, poterit in vita sua isti contractui contrauenire? Dicendum, quod non. arg. c. ex multiplici. de decim. & c.1. de pact. nisi per remedium restitutionis in integrum,quando ecclesia esset læsa.glos.hic. Tunc enim esset restituenda ecclesia in pristinũ.c.1.de restit.in integr.& l.minoribus.ff.de minor. Et ipse prælatus,si haberet de proprio, teneretur parti, cum qua transegit, ad interesse. arg. c.de multa. de præb. Si verò non haberet proprium, subtraheretur ei de suis redditibus beneficij, relictis tamen sibi in primis, ex quibus possit ad minus parce viuere. Butr. hic nu. 15. Sed in læsione talis transactionis non æstimatur res secundum veram quantitatem, sed cum ea æstimatur dubius litis euentus. glos. in l.Lucius. ff. ad Trebell.

Cap. 9. Præterea il 1.

SICVT super iure spirituali, ita super annexo non potest transigi, vt recedatur à lite, interueniente aliqua temporalitate.

QVIA de annexis idem est iudicium. c. translato. de constit. Et quoniam si pro iure spirituali in trãsactione daretur aliquid temporale,esset simonia. supr.c.constitutus. Ideo similiter,ne committatur simonia,non potest dari aliquid temporale pro iure præsentandi ad beneficium. vt in tex. Cum illud ius sit quid annexum spirituali. c.de iure. de iurepatr. & c.quanto. de iudic.

Cap. 10. Præterea il 2.

SVPER spirituali subiectione non licet transigere.

QVIA in transactione datur vni parti ab altera aliquid temporale. supr. c.constitutus.& l.transactio. C.eod. Et quoniam dare temporale pro spirituali, est simonia. c.tua de simon. Ideo, vt remittatur spiritualis subiectio propter aliquid temporale, tanquam simoniacum, fieri non potest. vt in tex. & supr. c. super eo. Sed si superior, simpliciter ius suum concedendo, non prætextu alicuius transactionis, sed in signum subiectionis, retineat sibi aliquem censum, & certam pensionem, absoluendo ab alia subiectione, hoc fieri potest. c.omnes. de cens. & c.constitutus. de relig. dom. dummodo inferior sic absolutus per diœcesanum,non eximatur ab obedientia,& reuerentia matricis

tricis

tricis ecclesiæ. c. cum venerabilis. de censib. quia sine capite, cui obediat, quis esse non debet. c.pastoralis. de donat. & c.nulla ratione.dist. 93. Priuilegiati tamen, qui immediate subsunt Papæ, bene possunt per eum ab alijs inferioribus prælatis eximi, nec per hoc dicuntur esse sine capite, quia Papa est immediatus eorum episcopus, & caput. c.recepimus. de priuil. & glos. in d.c. nulla.

Cap. 11. Ex parte.

IVDEX potest, & debet se interponere pro transactione inter partes facienda.

QVIA ad superiorem spectat pro subditorum quiete inuigilare, vt quamcitius commode fieri potest, finis litibus imponatur. c.finem. de dol.& contum. Cum magnum commodum consequatur, qui à lite recedit, ne diutius grauetur laboribus, & expensis. l. properandum. C. de iudic. Et quoniam transactio est aptus modus, per quem partes quadam æquitate, amicabiliter à lite recedunt. supr. c. 1. & l.cum proponas. C.de transact. Ideo iudex debet prius studere, vt per transactionem partes concordet, quàm, vt causam in iudicio prosequantur. vt in tex. & c.studendum. dist. 90. Ad quod debet se interponere prudenter, interdum aliquid seueritati detrahendo, prout (statu imperij, & excedentium multitudine, prouida deliberatione pensatis) viderit expedire. vt in tex. & c.constitueretur. dist. 50. Et hæc, vbi iura partium sunt ignota, nam vbi est conclusum in causa, & iura sunt clara, debet ferre sententiam, dando vnicuique quod suum est. Specul.in tit.de pręp. iudic. §.excipitur. Et hæc intellige, cum ciuiliter agitur de crimine, vel cum agitur actione iniuriarum, quæ per partem est remissibilis, vel in causa ciuili; secus vbi criminaliter ageretur in alijs delictis. glos. in d.c.studendum; nam interest reipublicæ, ne delicta remaneant impunita. c.1. de collus.deteg. & l.eum, qui. ff.de iniur.

PRAETERQVAM in casibus, in quibus iura hoc non admittunt.

QVIA non sunt facienda mala, vt eueniant bona. c.forte. 14.q.5. Et quoniam in casibus, in quibus prohibetur transactio, si illa fieret, esset illicita, & in se contineret peccatum. supr. c.constitutus.& c.præterea. Ideo in illis casibus nō debet iudex hortari partes ad transigendum; imo debet eas punire, si transigant. supr. c.super eo. & d.c. præterea. In his verò, super quibus ius non inuenitur expressum, debet iudex procedere (æquitate seruata) semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas, & causas, loca, & tempora viderit postulare. vt in tex. & c.sciendum. dist.29. vnde versus.

Causa, locus, tempus, personaque perspicietur,

In

In pœnis dandis, vt eas iudex moderetur. glos. fin. hic.

V T super matrimonio.

QVIA matrimonij vinculum est inseparabile de iure diuino, dicente Domino; Quod Deus coniunxit, homo non separet. Matth. cap. 19. Et quoniam contra ea, quæ sunt de iure diuino, neque partes litigantes possunt venire, neque aliqua humana potestas valet dispensare. c. inter. de transl. episc. Ideo in matrimonio non habet locum transactio, neque compositio, vt illius vinculum legitime contractum possit separari. vt in tex. & c. deinde. dist. 26.

Liber Primus. Titulus XXXVII.

DE POSTVLANDO.

In Decretal. Cap. 1. Clerici.

CLERICVS in sacris, vel minoribus beneficiatus, in sæculari foro postulare non debet.



QVIA nemo militans Deo, debet sæcularibus negotijs se implicare. 2. ad Timoth. cap. 2. Et quoniam ille, qui est in sacris, est maxime adstrictus ad militandum Deo, cum non possit amplius ad sæculum redire. c. à multis. de ætat. & qual. ord. Et qui est beneficiatus, cum viuat de altari, debet altario inseruire. 1. ad Corinth. cap. 9. Et quia aduocare coram iudice laico, est negotium sæculare. c. 1. ne cler. vel monach. Ideo clericis in sacris, vel existentes in minoribus beneficiati, regulariter prohibentur coram sæculari iudice postulare. vt in tex. & c. obseruandum. 15. q. 2. Vnde opprobrium est clericis, si se peritos forensium disceptationum ostendere velint. l. repetita. C. de episc. & cler.

N I S I pro se, vel sua ecclesia, vel miserabilibus personis.

QVIA defensionis facultas nemini est deneganda. l. vt vim. ff. de iust. & iur. Et quoniam cum quis postulat pro se, vel pro sua ecclesia, aut miserabilibus personis, quæ sunt sub protectione ecclesiæ, apparet, quod hoc non facit desiderio lucrandi, sed facit necessitate propria bona tuendi. c. decreuit. dist. 88. & glos. infr. in c. fin. Ideo in his casibus clerici non prohibentur, etiam in sæculari foro aduocare. vt in text. & c. 1. ne cler. vel mon.

Cap. 2. Ex parte.

CANONICI regulares postulare non possunt, sicut monachi.

QVIA canon antiquus, qui habetur 16.q.1.c. monachi il 2. prohibens monachis officium postulandi, habet respectum ad religionem, non autem ad ordinem monachorum tantum. vt in tex. & c. de praesentium.d. q. 1. Et quoniam etiam canonici regulares sunt religiosi, cum profiteantur tria substantialia vota religionis, licet inseruiant regulae laxiori.c.quod Dei.de stat.mon.Et quia constitutio fundata super aliqua qualitate, extenditur ad omnes existentes sub illa qualitate, licet habeant ex aliquo accidenti nomina diuersa. Abb. hic. quod procedit etiam in materia prohibente, & personam inhabilitante.Butr.hic. Ideo idem iudicium, quod est de monachis, vt aduocare non possint, etiam de canonicis regularibus est obseruandum, licet de monachis, & non de ipsis canonicis, in eo canone sit specialiter expressum. vt in tex. & c. non magnopere. ne cler. vel monah.

NISI pro vtilitate ecclesiae, siue monasterij, ex praecepto abbatis.

QVIA aduocare in his casibus spectat ad defensionem, in qua non potest notari lucri cupiditas, sed excusat piae operis necessitas. d. c.de praesentium. & glos. in d.c. monachi. Sed quoniam monachus, cum sit mortuus mundo, & vouerit Deo, exhibere obedientiam superiori, non habet velle, neque nolle.c.placuit il 2.16.q.1. Et quia potestas monasterij pertinet ad solicitudinem abbatis. c. nullam. 18.q.2. Ideo etiam in istis casibus licitis non debent monachi, & canonici regulares, ex eorum arbitrio sibi assumere officium postulandi, sed ad illud ineundum, est eis praeceptum superioris expectandum. vt in tex. & d.c.monachi.

Cap. 3. Cum sacerdotis.

SACERDOS non debet esse aduocatus, etiam coram ecclesiastico iudice.

QVIA sacerdotis officium est, nulli nocere, omnibus autem velle prodesse. vt in tex. nam vbi non potest subueniri alteri, nisi alter laedatur, commodius est, neutrum iuuari, quam alterum grauari. c.denique. 14.q.5. Et quoniam in aduocationis officio fieri non potest, quin frequenter alter laedatur, qui vincitur; nam intercessoris beneficio se victum arbitratur d.c.denique. Ideo cum prohibeatur caeteris ordinatis in sacris, & alijs clericis beneficiatis, coram saeculari iudice aduocare, non autem coram ecclesiastico. supra.c.1. sacerdotibus etiam in foro ecclesiastico tale officium prohibetur. vt in tex. & d.c.denique. Et

idem

idem fortius de episcopo, qui non debet esse aduocatus in foro sæculari, etiam in causa propria. cap. quia. 5. quæst. 3. nam aduocatus debet proponere stando, non autem sedendo. l. quisquis. C. de postul. Et non est decens, vt episcopus stet, & exhibeat reuerentiam, quam exhibent aduocati, coram iudice sæculari. d. cap. quia. Sed si episcopus habeat causam coram iudice ecclesiastico, est in optione sua, an per se, vel per alium, causam promouere velit. c fin. de iur. calumn. Aduocati autem dicuntur nocere parti aduersæ, non verè, sed quo ad eius opinionem. d. c. denique. nam aduocatus propriè non nocet; immo defendit ius publicum, & priuatum; vnde aduocati dicuntur esse milites, & in iure priuilegiantur in multis, vt milites. l. aduocati. C. de aduoc. diuers. iud. Et quicquid lucrantur, est eis peculium quasi castrense. l. fin. C. de inoffic. testam. Quod procedit etiam in salario, quod recipiunt à priuatis. glos. in l. fori. C. de aduoc. diuers. iud. Et cum non debeant assumere causam iniustam. l. rem non nouam. C. de iudic. promouent iustitiam, quæ reddit vnicuique, quod suum est. l. iustitia. ff. de iustit. & iur. Sed etiam iudices dicuntur crudeles, quia reputantur crudeles ab illis, contra quos iustitiam exercent; cum tamen in veritate non sint crudeles, sed ministri Dei, & iustitiæ. c. non est crudelis. 23. q. 5. Verùm quia sacerdos non debet nocere alteri, neque in veritate, neque quo ad opinionem; & debet se abstinere non solum à malo, sed etiam à specie mali. c cum ab omni. de vit. & honestat. cler. Ideo præcipue sacerdotibus prohibetur aduocationis officium, ne quis per eos existimet se læsum. vt in tex. & d. c. denique.

NISI pro seipso, vel ecclesia sua, vel (si necessitas immineat) pro personis coniunctis, aut miserabilibus.

QVIA in his casibus non potest notari aliqua lucri cupiditas, neque pars aduersa potest reputari offensa ab ipso sacerdote aduocante; cũ hi casus pertineant ad defensionem, quæ est de iure naturali, & ad necessitatem, quæ non habet legem. vt supr. c. 1. & glos. 2. hic. Ideo sicut alijs clericis, qui prohibentur aduocare coram iudice sæculari, in his casibus permittitur aduocatio. supr. c. 1. & 2. ita sacerdotibus, qui prohibentur aduocare etiam coram iudice ecclesiastico. Innoc. hic. permittitur, vt coram eo possint in talibus casibus aduocare. vt in tex. & c. 1. dist. 88.

§. Clericus.

CLERICVS, qui contra ecclesiam, à qua beneficiũ obtinet, aduocatus, vel procurator esse præsumit, debet beneficio illo spoliari.

QVIA talis clericus est ingratus. vt in tex. cum pro beneficio accepto reddat læsionem, & pro familiaritate contemptum, retributionem illam impendendo, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueuerunt hospitibus exhibere. arg. c. & si iudæos. de iudæis. Et quoniam iustitia suadet, vt ecclesia in sinu suo non retineat fraudatorem, quem suscepit extraneum. c. sacerdotes. 12. q. 4. Et donatio propter ingratitudinem reuocatur. c. fin. de donat. Et beneficij collatio est quædam donatio. c. 2. ne sede vac. Et propter ingratitudinem pater potest exhæredare filium. Authent. vt cum. de appell. cognos. §. causas. coll. 8. Et ecclesia dicitur esse mater sui beneficiati, quem suis vberibus nutrit. c. ad Romanam il 2. 2. q. 6. Ideo talis clericus, suæ ecclesiæ ingratus debet beneficio, quod ab ea obtinet, spoliari. vt in tex. & c. 1. 1. q. 7. Et ex quo præcipitur spoliari, quod verbum ostendit facti executionem, & præsupponit iam esse factam iuris priuationem. Butr. hic. nu. 15. apparet, quod talis, aduocando contra ecclesiam, est ipso iure beneficio priuatus, & solum restat pura facti executio. vt in c. conquerente. de restit. spol. Nec mirum si apponitur ista pœna ipso facto; cum ingratitudo sit ventus vrens, siccans fontes pietatis, & fluenta gratiæ. S. Bernard. de contemptu mundi, sermone 2. Quod vitium prouenit ex superbia; nam ingrati putant omnia seruitia esse sibi debita. Seneca de beneficentia.

Liber Primus. Titulus XXXVIII.

DE PROCVRATORIBVS.

In Decretal. Cap. 1. Alia.

NON auditur quis tanquam alterius procurator, nisi habeat mandatum legitimè factum.



QVIA procurator est is, qui aliena negotia mandato domini administrat. l. 1. ff. eod. cum enim quis rebus suis superesse non potest, vel non vult, ad negotiorum expeditionem fuit introductum, vt quis possit facere per alium, quod posset per seipsum. d. l. 1. Quod tamen in causis criminalibus non semper admittitur. c. super his. de accusat. & l. sed & hæ. ff. de procur. Et quoniam esse procuratorem, est quid facti. l. si procurator. C. eod. Et ea, quæ sunt facti, & non insunt homini à natura, non præsumuntur, nisi probentur. c. si forte. de elect. in 6. & l. quæcunque. ff. de publ. in rem act. vnde incumbit onus probandi ei, qui dicit, non qui negat. l. 2. ff. de probat. Ideo si quis dicit, se esse alterius

terius procuratorem, debet facere constare de mandato. vt in tex.& l. procurator. ff. eod. Cum enim per procuratorem posSit fieri conditio domini deterior, vel melior.l.quacunque. ff.eod. Conditionem alicuius, sine eius scientia deteriorem fieri non conuenit.l.ignorantis.ff.eod.Sunt tamen casus, in quibus coniunctæ personæ possunt agere pro alio sine mandato.d.l.sed & hæ. Et etiam sunt casus,in quibus vbi dubitatur de sufficienti mandato alicuius, quis admittitur cum cautione de rato. l. Pomponius.§.fin.ff.eod.

Cap.2. Querelam.

NON valet sententia in causa graui,lata contra absentem ex probabili causa, legitimè per nuntium excusatum.

QVIA in grauibus causis non potest quis cogi, nisi velit, procuratorem constituere.vt in tex.nam si talis,qui ex probabili causa abest,cogeretur in istis grauibus constituere procuratorem, sequeretur absurdum,quod non esset melioris conditionis, qui abest ex causa iusta, quam qui ex iniusta.glos.in c.si ægrotans. 5.q.3. cum etiam ei, qui ex iniusta causa abest, sufficiat,si mittat procuratorem.l.1.ff. de procur.Sequeretur etiam aliud absurdum,quod cum nullus cogatur fieri procurator. Institut.de mand. §. recte.& §. mandatum. imputaretur forsan ei, qui procuratorem inuenire non potuit. Ioan.And. in c. cum dilecti.de dol.& contum. cum tamen nullus obligetur ad imposSibile.c. fin.de appell. Et quoniam vbi taliter absens per nuntium certificat iudicem de suo legitimo impedimento, non potest iudex postea probabilem causam ignorantiæ allegare, nec in eum potest sententiam ferre. c. cum Bertholdus. de re iudic. Ideo si contra talem iudex postea sententiam ferat,illa non tenet.vt in tex.& l.quæsitum.ff.de re iudic. Si autem ex parte impediti non mittitur excusator, tunc sententia tenet mero iure. Bart.in d.l.quæsitum. quia iudex probabiliter ignorabat; sed potest peti restitutio ex iusta causa contra sententiam. c.ex litteris.de in integr. restit. & ff. ex quib.caus. per totum. An autem iudex teneatur credere excusatori; dic,quod non.d.c. cum Bertholdus. Sed excusator debet offerre probationem, & si iudex non vult illam admittere, sententia sua non tenet; sed si excusator non offert probationem,tenet sententia iudicis,ratione prædicta. Bart.in d.l.quæsitum. Intellige tamen hæc,quando impedimentum est paruo tempore duraturum, & quando in citatione non fuit dictum,si non potest per se, compareat per procuratorem; nam si in citatione essent talia verba, tunc superioris voluntus esset seruanda: Et quando lis non fuit incępta ante impedimentum, vt late hic per Butr.nu. 8. Causa autem grauis hic intelligitur propter sui arduitatē,& magnitudinē,seu præiudicium, vel quæ est intricata, & inuoluta, vt de facili non posSit per procuratorem explicari.Innoc.hic.

ETIAM

ETIAM quo ad expensas.

QVIA expensæ sunt accessoriæ ad causam, vt ille condemnetur ad eas, qui non habuit probabilem causam litigandi, & & ob id sententia fuerit iuste lata contra ipsum. Bart. in l. si quis inficiatus.ff. deposit. Et quoniam accessorium sequitur naturam sui principalis.c. accessorium. de reg. iur.in 6. Ideo sicut taliter impeditus excusatur, vt non possit contra eum in causa procedi, ita excusatur, si contra ipsum fuerit processum, & in expensis factis per aduersarium fuerit à iudice condemnatus, vt talis sententia sicut non tenet in causa principali, ita non teneat quò ad expensas accessorias ad illam. vt in tex. & Butr. num. 10. Cum enim talis fuerit legitime impeditus, non potest dici contumax in non veniendo, vt propter contumaciæ culpam, quæ arguat suam causam iniustam, debeat parti reficere expensas.glos.2.& 3.hic.

Cap 3. Ex insinuatione.

SENTENTIA lata cum procuratore reuocato, & de hoc certiorato, non præiudicat domino.

QVIA talis non est amplius procurator, cum appareat de voluntate domini eum reuocantis. l. Pomponius. §. fin. ff. eod. Et quoniam sententia lata contra falsum procuratorem est nulla, ex defectu pronuntiationis non factæ in legitimam personam. infr.cap. auditis. & C. eod. l. licet. Ideo ex quo talis non est tempore sententiæ procurator, per eum non debet ignorantis domini conditio fieri deterior. vt in tex. & l. ignorantis. ff. eod. Quod intellige, si talis reuocatio peruenerit etiam ad notitiam iudicis, & aduersarij; nam si peruenisset ad solam notitiam procuratoris, non sufficeret, & sententia contra eum lata teneret, ne per illam reuocationem possent illudi iudex, & pars, qui sciebant procuratoris constitutionem, & ignorarent reuocationem. infr.c.mandato.& de rescript.c.ex parte decani. Et intellige, si talis reuocatio fuerit facta ante litem contestatam, quo tempore potest dominus procuratorem libere reuocare. l. ante litem. ff. eod. Vel si sit facta post litem contestatam, quod sit facta, causa cognita, vel ipso procuratore in reuocationem consentiente, aliàs secus.l. post litem. ff. eod.

Cap. 4. In nostra.

RESCRIPTVM super consecutiuis iudicij impetratum à procuratore reuocato, & de hoc certificato, non valet; nec processus, vel sententia lata per ipsum.

Quia

QVIA tale rescriptum fuit subreptitiè impetratum, nam si Papa sciuisset procuratorem esse reuocatum, non dedisset istas litteras. c. nonnulli. & c. ex parte decani. de rescript. Et quoniam ea, quæ fiunt vigore rescripti subreptitij, non tenent. c. super litteris. de rescript. Ideo gesta per iudicem taliter impetratum, viribus non subsistunt. vt in tex. & supr. c. prox. Circa exceptionem autem faciendam contra procuratorem, est aduertendum, & distinguendum; nam exceptio falsi procuratoris, qui scilicet, nunquam fuit procurator, vel si fuit, postea est reuocatus, potest opponi etiam post sententiam, quia reddit iudicium nullum; non enim potuit ille ius alterius, sine mandato deducere in iudicium. vt in tex. sed exceptio contra personam procuratoris, quod scilicet, à iure impediatur esse procurator, solum potest opponi vsque ad litis contestationem, & non postea, vt patet in milite, qui non potest esse procurator. l. qui stipendia. C. eod. sed si non excipitur contra eum ante litem contestatam, postea non potest repelli, cum talis exceptio sit dilatoria. l. filius familias. §. veterani. ff. eod. & l. ita demum. C. eod. Et est ratio diuersitatis, quia hoc vltimo casu ipse habuit mandatum, & eo ipso, quod non excipitur ante litis contestationem, efficitur dominus instantiæ per contestationem litis ab eo factam; vnde sicut in facto proprio potest esse in iudicio, ita nunc in facto alieno. gloss. ver. exceptio. & Abb. hic. Et idem est dicendum in causa appellationis. d. l. ita demum. nam exceptio, quæ non potest opponi in prima instantia post litem contestatam, non potest opponi etiam in causa appellationis. Abb. hic. & Roman. consil. 384.

SI reuocatio peruenit ad aduersarium.

QVIA vbi aduersarius fuit certioratus de mandato procurationis facto alicui, debet etiam certiorari de reuocatione illius, ne occultè decipiatur; aliàs iudicium tenet, quo ad commodum aduersarij, ac si ille non fuisset reuocatus. infr. c. mandato. Ideo licet quo ad annullandum factum per ipsum procuratorem in his, quæ concernunt tantùm interesse procuratoris, & domini, sufficiat procuratorem esse certioratum de reuocatione; tamen quo ad annullandum ea, quæ geruntur cum aduersario, debet etiam ipse certiorari de reuocatione, quando fuit certioratus de procuratoris constitutione. vt in tex. & gloss. fin. in d. c. mandato.

Cap. 5. Tuæ.

SI agitur de adulterio coram iudice sæculari ad pœnam legalem, non interuenit procurator.

QVIA maritus taliter accusans debet se inscribere, & ad pœnam talionis se adstringere. vt in tex. Et quoniam per priores leges ciui-

ciuiles mulier conuicta de adulterio puniebatur ad pœnam mortis. l. castitati. C.de adulter.per posteriores verò detruditur in monasterium. Authent. sed hodie. C. de adulter. & similiter per leges canonicas. c. gaudemus. de conuers. coniug. Et secundum legem Mosaycam lapidabatur. Leuitic. cap.20. Et pœna talionis est, vt si accusator deficiat in probando, condemnetur ad illam pœnam, ad quam fuisset condemnata persona accusata, si fuisset conuicta: Animam enim pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente falsus accusator, & mendax testis in tali pœna amittunt. Deuteron. cap. 19. Et quoniam huiusmodi pœnæ non bene possent exequi in accusatorem, vel in reum, absentes, & per procuratores in iudicio interuenientes, sicut fit in ipsos coram iudice personaliter comparentes. l.absentem. ff.de pœn. Ideo in istis criminibus grauioribus, quando agitur criminaliter, statuitur, vt per seipsos debeant reus, & accusator,in iudicio interesse, non autem per procuratores. vt in tex. & l.penult. §. fin. ff. de publ. iudic. Et regulariter in quolibet crimine, in quo venit imponenda pœna maior relegatione exclusiue, quis prohibetur per procuratorem interesse. l. 1.ff. an per alium cauf. appell.

SECVS, si coram ecclesiastico ad separationem thori.

QVIA tunc, etsi oporteat maritum accusatorem se inscribere, vt designet in scriptis nomen, locum, tempus, & omnia, quæ continentur in lege ciuili, quæ habetur. 2.q.8. c.libellorum, & ff. de accusat. & inscript. l.3. ad talionem tamen non debet se aliquatenus obligare, ne forte cum in probatione defecerit, intentionis suæ consequatur effectum, vt, scilicet, separentur. vt in tex. & glos. ver. effectum. Ideo sustineri potest, si necessitas id postulauerit, vt per procuratorem accuset; nam huiusmodi accusatio, etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis, sed quasi mixta inter ciuilem, & criminalem, quanquam in præsentia principalium personarum securius procedatur. vt in tex. & c. per scripta. 2. q.8.

Cap. 6. Cum pro causa.

QVI de mandato domini causam procurauit, ab eo repetit expensas propter hoc factas.

QVIA nemo cogitur suis stipendijs militare. 1. ad Corinth. cap.9. Et quoniam qui vult consequens, vult & antecedens. c.translato. de constitut. Ideo ex quo aliquis constituit suum procuratorem ad causam, intelligitur se obligasse ad eas expensas, quas pro tali causa ille fecerit. vt in tex.& l.etiam. C.mand. Vnde quando interuenit mandatum, semper repetit procurator expensas actione mandati,si non deprehenditur in aliqua culpa, siue succubuit, siue non. d.l. etiam. & l. si contra.

contra.C.eod. Si autem egit ſine mandato, adhuc agit ad repetendum expenſas,ſed actione negotiorum geſtorum,in qua non venit, niſi quod vtiliter actum eſt.l.Pomponius la 1.ff.de negot.geſt. Et in hac vtilitate conſideranda reſpicitur initium; nam ſi vtiliter cœpi agere negotium tuum, licet non habuerit bonum exitum ſine culpa mea, nihilominus repeto ſumptus.l.ſed an vltro.ff.de negot.geſt. Sed in dubio,ex quo quis ſuccubuit,non præſumitur vtiliter geſsiſſe.l.iam tamen.§.in hac. ff. de iudic. ſolu. Et iſtæ expenſæ non excedent probabilem modum. l. inter quos.§.fin.ff.de damn.infect. Sed quid, ſi procurator in eundo incidit in latrones,aut in ſtando fuerit infirmitate oppreſſus,nunquid tales caſus fortuiti imputantur domino, vt debeat reficere expenſas factas pro illis? Dic,quod non.l.inter cauſas. §. non omnia. ff.mand. ſecus eſt in ſocietate,in qua vnus ſocius debet impartire cum alio damna, quæ occaſione ſocietatis alter eorum eſt paſſus.l.cum duobus.§. quidam.ff.pro ſocio. Et qui propter aliam cauſam fuiſſet iturus ad curiam, non repetit,niſi expenſas,quas fecit pro cauſa,cuius eſt procurator, ibi longiorem moram trahendo,non autem illas, quas iam feciſſet propter ſuam cauſam.l.ex parte.ff.famil.erciſc.& l.ſi communes.ff.de neg.geſt.

Cap 7. Quia in cauſis.

VNIVERSITAS etiam ſcholarium poteſt ad agendum, & defendendum procuratorem conſtituere.

QVIA licet procurator proprie ſumptus dicatur ille, qui conſtituitur mandato domini.l.1.ff.eod. Vnde propriè, & ſtrictè vniuerſitas ſecundum leges ciuiles non conſtituit procuratorem, ſed dicitur conſtituere ſyndicum, vel actorem. l.1. & l.item eorum. ff. quod cuiuſque vniuer.nom.cum illa nō dicatur vnus dominus, ſed vna dominatio plurium.l.1.§.fin.ff. de acquir.poſſeſſ. & Ariſt. 1.politic. cap. 4. Et dicitur ſyndicus quando conſtituitur ad omnes cauſas vniuerſitatis,ſic dictus, quia ſingulas cauſas vniuerſitatis dicit: Actor verò dicitur,cum conſtituitur ad vnam cauſam.Abb.hic. poteſt tamen actor cōſtitui ab alio,quàm ab vniuerſitate,puta à tutore,vel curatore;iſti enim cum non ſint domini, non poſſunt conſtituere procuratorem ante litis conteſtationem; vnde conſtituunt actorem, cum auctoritate ſuperioris.l.neque tutores. C. eod. Tamen quoniam vniuerſitas habetur loco domini.gloſ. hic. Et de iure canonico non attenditur vocabulorum differentia, vbi conſtat de intentione per illas voces expreſſa. infr. c.petitio. Et lata ſignificatione quilibet adminiſtrator dicitur procurator. c. ſaluator.1.q.3. Ideo licet proprie ſumpto vocabulo, conſtitutus ab vniuerſitate ad agendū,ſecundum leges ciuiles dicatur ſyndicus, vel actor, ſecundū canones tamen dicitur etiam procurator. vt in tex.& infr.d.c. petitio. Et quoniam vniuerſitas ſcholarium eſt licita, & approbata.l.

fin. C. de iurisd. omn. iudic. Ideo etiam ipsa potest constituere syndicum, siue procuratorem, vt aliæ licitæ, & approbatæ vniuersitates. vt in tex. & Bart. in d. l. 1. ff. quod cuiusque vniuer. nom. Est tamen differentia inter syndicum, siue procuratorem, aut actorem, constitutum ab vniuersitate, & inter procuratorem constitutum à persona particulari; nam constitutus ab vniuersitate iurat de calumnia sine mandato, sed constitutus à particulari non iurat de calumnia, sed iurat dominus, nisi procurator habeat, ad illud iuramentum præstandum, speciale mandatum. c. fin. de iuram. calum. in 6. Et ratio diuersitatis est, quia is debet hoc iuramentum præstare, qui est melius informatus de negotio, quod tractatur. c. in perpetrandis. de iuram. calumn. Sed syndicus vniuersitatis præsumitur melius informatus de facto vniuersitatis, quam ipsa vniuersitas, quæ caret sensu, vel quàm singuli de vniuersitate; quia naturaliter solent negligi, quæ communiter possidentur. l. 2. ver. naturale. C. quando, & quib. quarta pars deb. lib. 10. In causa verò propria quisque particularis præsumitur melius scire veritatem, quam procurator. l. fin. C. hoc tit.

Cap. 8. Auditis.

SI citatus ad totam causam constituit procuratorem, quem postea reuocat, potest nihilominus contra eum procedi, in quantum status causæ patitur, sine alia citatione.

QVIA post litem contestatam non potest remoueri procurator sine causa, contradicente aduersario. l. post litem. ff. eod. nam interest aduersarij, vt procurator sine causa non remoueatur, ne mutatione personarum iudicium varietur. l. quæ omnia. & ibi glos. ff. eod. & glos. in c. 2. eod. in 6. Ideo cum in hac reuocatione facta post litem contestatam, non appareat de eius legitima causa, talis reuocatio non valuit, aduersario contradicente; & ob id potest ferri sententia in procuratorem, ac si non fuisset reuocatus. vt in tex. & gl. 2. & Abb. hic.

Cap. 9. Petitio.

PROCVRATOR episcopi causas episcopatus agit, & defendit, licet non fuerit datus sub nomine syndici, vel actoris.

QVIA quando verba generalia, siue dubia, ponuntur in huiusmodi instrumentis procurationis, ad percipiendum illorum significatum, recurrendum est ad intentionem constituentis, quæ per verba præcedentia, vel sequentia, colligi possit. glos. fin. hic. sicut etiam fit in priuilegijs. c. ex multiplici. de decim. & c. licet. de offic. ordin. Et similiter in rescriptis. infr. de arbitr. c. exposita. & de restit. spol. c. audita. & de offic. deleg. c. super eo. Et similiter in beneficijs conferendis. c. super

per inordinata.& c.fin.de præb. Et ratio est, quia verba debent seruire intentioni, non intentio verbis.c.intelligentia.de verb. sign. Cum verba sint inuenta ad exprimendam intentionem.c.humanæ.22.q.5. Ea enim, quæ sunt in voce, sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ; & ea, quæ scribuntur, eorum, quæ sunt in voce. Arist.lib.1.de interpretatione. cap. 1. Ideo quando ex tenore instrumenti cognoscitur, quod intentio episcopi fuerit dare alicui liberam agendi, & defendendi potestatem, siue ille fuerit nuncupatus syndicus, siue actor, aut procurator, semper censetur episcopi syndicus, & procurator, & habet eandem potestatem, ac si sub quolibet de istis nominibus fuisset constitutus. vt in tex.& supr. c. quia in causis. Nec attenditur de iure canonico illa subtilitas iuris ciuilis, vt non sit dicendus procurator, nisi ille, qui constituitur à vero domino. vt not. supr. in d.c. quia in causis. Ideo licet episcopus non sit verus dominus rerum episcopatus, sed potius administrator, seu procurator.c.2. de donat. tamen deputatus ab eo ad aliquid agendum, potest dici eius procurator. vt in tex.& c.saluator.1.q.3.

Cap. 10. Accedens.

PROVIDERE debet iudex, quod constituens procuratorem, gaudeat plena libertate.

QVIA ea, quæ fiunt per metum, qui potest cadere in constantem virum, si postea metus allegetur, sunt inualida denuntianda.c.ad audientiam. de his, quæ vi, met. caus. fi. & c. si quandoque. 15. q. 6. Et quoniam interest iudicis, ne iudicium sit frustratorium. infr. c. mandato. Ideo ne possit postea opponi de inualiditate mandati, debet iudex prouidere, vt quis sponte, ac libere, non autem per metum, constituat procuratorem. vt in tex. & l. metum. §. sed quod. & l. qui in carcerem. ff. de eo, quod. met. caus.

MAXIME in causa matrimoniali.

QVIA cum locum non habeat consensus, vbi metus, vel coactio intercedit; necesse est, vt vbi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur.c.cum locum.de sponsal. Et quoniam matrimonium solo consensu contrahitur. d. c. cum locum. & 27. q.2.c. sufficiat. Quod quomodo sit intelligendum, not.in c. 1. de sponsal. & habetur ex Concil. Trid.sess. 24. de refor.matr.cap.1.Ideo vbi quæritur de consensu præstando in matrimonium, plena debet securitate gaudere ille, cuius animus est indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de inuitis nuptijs solet prouenire. vt in tex.& d.c.cum locum. Et vide ad hoc Concil.Trid.sess. 24. de refor.matr.cap.9.& Magistr.Sentent.lib.4.dist.29.

Cap. 11. Dilectus.

SI procuratori generali denegantur induciæ ad consulendum dominum ex causa probabili absentem, poterit procurator appellare.

QVIA ei, qui vocatur in iudicium, sunt dandæ induciæ viginti dierum, intra quos possit deliberare, an velit cedere, vel contendere, & an velit iudicem recusare ex causa per leges admissa, siue velit in eum pure, & simpliciter consentire, aut petere alium illi sociari. c. induciæ. §. offeratur. 3. q. 3. Et quoniam procurator generaliter cōstitutus potest probabiliter ignorare in speciali lite, quid suus principalis facere velit, cum lis fuerit mota post mandatum procuratorium ei factum, & ob id non fuit super ea instructus; nec dominus fuit in culpa eum non instruendo, cum non teneretur futuram litem diuinare. gl. fin. hic, & Specul. in tit. de dilation. §. fin. Ideo ex quo procurator non potest per se deliberare, sunt ei dandæ induciæ ad dominum consulendum, secundum quod distantia locorum, & negotij, & personarum qualitas requirit. vt in tex. & c. cum sit. de appellat. & c. in pertractandis. de iuramen. calum. Et domino competunt aliæ induciæ ad deliberandum. vt dictum est superius. Vnde ad euitandas istas inducias generalis procuratoris, vtile est parti semper à principio citare dominum, si commode citari potest, & solum in domini defectum recurrere ad citandum generalem procuratorem. glos. in c. causam. de dol. & contum. & Bart. in l. 3. C. eod. Sed quid, si dominus citatus constituit ad aliquam litem procuratorem, qui comparuit, & assumpsit in se litem; demum citatur dominus ad certum articulum, & non procurator, nunquid teneatur dominus comparere? Dic, quod non; quia ex quo semel in causa constituit procuratorem, iam declarauit animum suum, quod non per se; sed per procuratorem volebat esse in iudicio; ideo procurator, & non dominus erat citandus. Abb. hic. & Bart. in l. quamuis. ff. de damn. infect. nam dominus non compellitur per se esse in iudicio. l. 1. ff. hoc tit. ex causa tamen posset citari dominus, & non procurator. vt not. in c. 1. de iudic. in 6. & in l. fin. C. de sent. & interloc.

Cap. 12. Constitutis.

SI reus recedit à iudicio, dimisso procuratore solummodo ad agendum, contumax est.

QVIA ad reum spectat constituere procuratorem ad defendendum, non ad agendum, nisi vellet reconuenire actorem; & ad actorem spectat constituere ad agendum, nisi reconueniatur, & ob id debet etiam eum constituere ad defendendum. glos. penult. hic. Et quoniam in iudicijs reputatur contumax, non solum ille, qui non venit, sed etiam

etiam qui venit, & illicentiatus recedit, antequam sit id, pro quo comparuit, expeditum, non legitimo ad hoc constituto procuratore. c. 1. de iudic. non enim dicitur venisse, qui non stetit. l. scire. §. consequens. ff. de excusat. tutor. Ideo reus, qui dimisit procuratorem solum ad agendum, non dimisit idoneum; & ob id contumax reputatur. vt in tex. & l. 1. in in fin. & ibi Bart. ff. quod cuiusque vniuer. nom. Et si diceres, non ne cõstitutus ad agendum, videtur per consequens habere mandatum ad defendendum. vt not. gloss. fin. supr. in c. accedens. & glos. in l. mutus. §. pœna. ff. eod. Respondetur dupliciter: Primò, quod iste fuit constitutus ad agendum solummodo. vt in tex. & sic illa dictio taxatiua excludit id, quod poterat venire in vim consequentiæ. vt not. in d. §. pœna: Secundo respondetur, quod contrarium loquitur, quando defensio requiritur in vim consequentiæ, vt quia constituitur procurator ad agendum ex parte actoris; hic autem loquimur, quando defensio requirebatur principaliter, quia fuit constitutus à reo, vnde non possumus dicere, quod defensio veniat in vim consequentiæ. Butr. & Abb. hic.

ET condemnatur in expensis.

QVIA quilibet contumax, cum præsumatur iniustam causam fouere, est condemnandus in sui pœnam, & in aduersarij releuamen, in expensis, quas propter talem causam aduersarius fecit. gloss. 3. supr. in c. querelam. Et quoniam ille, qui indebite recedit à iudicio, contumax existimatur, vt dictum est superius. Ideo parti aduersæ condemnandus est in expensis, quas illius culpa in tali causa fecit. vt in tex. & c. calumniam. de pœnis. Condemnationem autem expensarum semper præcedere debet taxatio iudicis, & iuramentum partis. c. induciæ. §. offeratur. 3. q. 3. & c. fin. de his, quæ vi, met. caus. fi.

Cap. 13. Mandato.

TENET iudicium agitatum cum procuratore reuocato, si reuocationem iudex, & aduersarius ignorauerunt.

QVIA cum per iudicium inceptum cum procuratore, deuenerit ad notitiam iudicis, & partis, quod aduersarius voluit loco sui procuratorẽ interuenire l. 1. ff. eod. si postea ille posset, ipsis ignorantibus, procuratorem reuocare, deciperentur per aduersarium, qui ad reddendum iudicium inualidum, illum occulte reuocaret, & quando sibi non esset sententia fauorabilis, reuocationem factam publicaret. c. ex parte decani. de rescript. & l. si fideiussor. ff. mand. Et quoniam fraudibus est obuiandum. c. ex literis. de dol. & contum. Ideo si quis vult reuocare procuratorem, cum quo fuerit per partem aduersam iudicium inceptum, ne fraudem in tali reuocatione committere posit, debet de reuocatione iudicem, & aduersarium certiorare, alias iudicium cum illo

illo agitatum tenet. vt in tex. & l. vnic. C. de satisdand. Quod iudicium intellige valere ad commodum aduersarij, cuius respectu talis procurator non censetur reuocatus, secus quo ad commodum reuocantis, in cuius odium censetur reuocatus, ex quo illum quo ad se vere reuocauit. glos. in c. 2. eod. in 6.

Cap. 14. Non iniuste.

FILIVSFAMILIAS potest esse procurator in iudicio.

QVIA quilibet, qui non prohibetur, potest dari procurator; cum hoc edictum sit prohibitorium. l. mutus. ff. eod. Et quoniam filiusfamilias non solum non reperitur ab hoc officio prohibitus, sed ad illud reperitur admissus. l. filiusfamilias. ff. eod. Ideo si aliud ei non obsistat, ex eo quod sit filiusfamilias, non est à procuratoris officio remouendus. vt in tex. & d. l. filiusfamilias; nec tenetur ad hoc patris habere assensum. c. qui generaliter. eod. in 6. Cum in hoc censeatur sui iuris. Bald. in l. fin. C. de bon. quæ liber.

ETIAM ad futuras lites.

QVIA non apparet ratio, quare magis sit admittendus quis in officio procuratoris ad lites præsentes, quam ad futuras. Specul. de procur. §. 3. in fin. Et quoniam hæc materia est fauorabilis, & pro commoda negotiorum expeditione est potius dilatanda, quàm restringenda. l. 1. ff. eod. Ideo ob eandem rationem, qua filiusfamilias potest dari procurator ad lites præsentes, potest dari etiam ad futuras. vt in tex. & l. 3. ff. eod. quanquam ob aliam rationem secus sit in rescripto, quod datum ad lites, intelligitur ad præsentes, & non extenditur ad futuras. c. fin. supr. de rescript.

ET procurator datus cum pluribus simul in solidum, præfertur, si præoccupauit negotium.

QVIA illa clausula, in solidum, importat in constitutione procuratoris, vt quisque habeat solidam potestatem faciendi id, quod posset dominus facere per seipsum, quo ad ea, in quibus se extendit mandatum. c. si duo. eod. in 6. & l. si pluribus. ff. de legat. 1. Et quoniam procurator post litem contestatam est effectus dominus litis. c. 1. in 6. Et si alij possent se ingerere in negotio, postquam vnus eorum cœpit in solidum prosequi illud, facile inter eos contingeret repugnantia, quæ exitum negotij impediret. c. penult. de elect. in 6. & l. decreto, in fin. ff. de administr. tutor. Et cæteris paribus, melior est conditio occupantis. l. pluribus. ff. hoc tit. Ideo cum talis procurator sit melioris conditionis, quam alij, qui negotium non cœperunt, & cum ipse possit per se illud expedire sine aliis, statuitur pro celeri, & sufficienti negotiorum

tiorum expeditione, vt ex quo ipse præoccupauit negotium, alij procuratores non debeant ad illud se intromittere. vt in tex. & d. c. si duo; nisi in constitutione fuisset dictum, quod non fieret melior conditio occupantis, quia tunc domini voluntas esset attendenda. d.c. si duo. Cum rei suæ quisque sit moderator, & arbiter. l. in re mandata. C. mandati. Si verò non sint dati in solidum, sed simpliciter, & coniunctim, tunc neuter potest agere, vel defendere sine alio, sed sunt simul admittendi. d.c. si duo; quia nemo debet sibi assumere maiorem facultatem, quam habeat. c. venerabilem. de elect. sicut iudices similiter, qui dantur sine clausula, quod si non omnes, &c. diuisim iudicare non possunt. c. prudentiam. de offic. deleg. Sed si antequam aliquis procurator in solidum sit litem contestatus, concurreret cum alio procuratore eiusdem potestatis, & diuersæ voluntatis, ne se inuicem per repugnantiam impediãt, potest iudex eligere magis idoneum, qui negotium prosequatur, alteri silentium indicendo. glos. 3. hic, & l. si plures. ff. de accusat.

SECVS, si diuerso tempore fuit datus.

QVIA qui dat procuratorem secundum, priorem reuocare videtur. l. si quis cum procuratores. §. fin. ff. eod. nisi, dando secundum, exprimat, quod etiam priorem velit durare procuratorem. l. si pluribus. ff. de legat. 1. Et quoniam in dependentibus à voluntate, posteriora derogant prioribus. Institut. quib. mod. testam. infir. §. posteriore. Ideo vbi est in potestate alicuius constituere nouum procuratorem, si creauit secundum, non debet se ingerere primus. vt in tex. & glos. 1. in d.c. si duo. In potestate autem alicuius non est, reuocare procuratorem post litem per eum contestatam, nisi ipse consentiat, vel ex iusta causa reuocetur, antea verò potest ipsum ad libitum reuocare. l. ante litem, & sequen. ff. eod.

ET procurator appellare debet à sententia.

QVIA Procuratori videtur tacite iniunctum, vt appellet, ne lis pereat per transitum in rem iudicatam. l. si procuratorem. §. penult. ff. mand. Et quoniam quis acceptando mandatum, censetur se obligare ad bene administranda omnia, quæ in mandato continentur, ne sub eius fide principalis decipiatur. Clem. 1. & l. qui proprio. §. penult. ff. eod. Ideo si procurator non appellauit ab iniusta sententia, ei imputatur. vt in tex. & l. liberto. §. fin. ff. de negot. gest. Culpa enim ipsius dominus censetur causam amisisse, cum de iniusta sententia diuinare non posset. l. si fideiussor. §. si cum debitor. ff. mand. Et ex quo aliquis recipiendo instrumentum, quo constituitur procurator, videtur se tacite obligare ad illud officium. d. Clem. 1. Et hoc ideo, quia vltra simplicem taciturnitatem, interuenit actus positiuus. c. ex ore. de his, quæ fi. à ma. par. cap. Cape hanc theoricam, quod vbi tractatur de

præiu-

præiudicio alicuius, si vltra taciturnitatem facit aliquem actum, qui videatur venire ad approbationem obligationis illius, tunc censetur consentire. vt not. Bart. in l. quo enim. ff. rem rat. hab. ex quo infertur, quod si scienter recepi litteras alicuius, in quibus dicebatur, quod eram debitor suus, neque illico reclamaui, videor consentire. l. si filiusfamilias la 2. & ibi Bart. ff. ad Macedon.

NISI ex causa excusetur.

QVIA causa rationabilis semper intelligitur, quod dilatet, vel restringat aliquam dispositionem, etiam si in eius conuentione non sit expressa. Host. in c. quanto. de his, quæ fi. à præl. sine conf. cap. Et quoniam etiam ipsemet principalis excusatur, si ex iusta causa intra debitum tempus non appellet. c. fin. de appell. Ideo multo magis non est imputandum procuratori, si ex iusta causa non appellat, cum in tali casu non censeatur se obligasse. vt in tex. & l. si procurator. §. si ignorantes. ff. mand. Iusta autem causa, quæ in hoc excuset, potest esse infirmitas, paupertas, metus, & similia. Host. hic.

QVO casu debet domino nuntiare de sententia.

QVIA dominus potest probabiliter credere procuratorem esse solicitum in appellãdo, ex quo regulariter tenetur appellare. Butr. hic nu. 19. Et quoniam non omnis causa, quæ potest excusare procuratorem non appellantem, excusat eum, si de sententia iniuste lata non certiorat dominum. glos. hic ver. appellare. Ideo ne dominus, qui non potuit diuinare sententiam, culpa procuratoris amittat causam, si non potest ipse procurator ex rationabili causa appellare, tenetur saltem domino denuntiare sententiam latam contra ipsum, vt dominus appellet, si voluerit. vt in tex. & simile habetur in l. si fideiussor. §. si cum debitor. ff. mand.

APPELLATIONEM tamen prosequi non tenetur.

QVIA sufficit procuratori implesse fidem, quam suscepit; nec vltra est cogendus inuitus. l. inuitus, & ibi glos. fin. C. eod. Et quoniam prosecutio appellationis est actus separatus à prima instantia, cum fiat in alio iudicio, & ad illam non videtur se obligasse, qui procurationis mandatum ad primam instantiam acceptauit. Butr. hic nu. 21. Ideo sufficit procuratori, prosecutum esse primam instantiam, ad quam se obligauit, & à sententia contra illam lata appellasse, non autem tenetur coram alio iudice causam appellationis subire. vt in tex. & d. l. inuitus. Secus est in procuratore, qui acceptauit mandatum generale ad omnes lites, vel ad vtramque instantiam, nam talis tenetur prosequi etiam causam appellationis, cum ad eam intelligatur se obligasse. l. 1. ff. an per alium caus. appell.

Cap.

Cap. 15. Consulti.

PROCVRATOR vniuersitatis, cuius maiores, & iurati, sunt excommunicati, non repellitur ab impetrando.

QVIA in actibus vniuersitatis potestas dependet, & actus creantur ab vniuersitate, vt vniuersitate. c. bonæ il 2. de postul. præl. Et quoniam ius vniuersitatis residet penès habiles, etiam si esset vnus solus. l.sicut. ff. quod cuiusque vniu. nom. Et inhabiles non censentur de vniuersitate. c.gratum. de postul. præl. Et non est de essentia vniuersitatis, vt in ea sint isti maiores, & iurati, siue priores,& antiani. Innoc.in c.cum non ignores.de præb. Cum possit esse vniuersitas absque capite in ea. l.1.ff. quod cuiusque vniu. nom. Ideo vniuersitas,mortuis capitibus,vel inhabilibus effectis,potest per se procuratorem constituere. vt in tex. & alia vniuersitatis negotia exercere.Innoc. hic. Nec debet corruere actus gestus sub nomine vniuersitatis, propter interessentiam aliquorum inhabilium. Abb. hic; quia habiles censentur gessisse actum meliori modo, quo potuerunt, & sic auctoritate totali apud eos tunc existente, non autem partiali,ita,vt voluerint pro alia parte admittere inhabiles, quod non potuerunt. l. 3.ff. de testam. milit. & Abb. in c. nisi. de præb.

NISI illi in procuratorio sint expressi.

QVIA quando tales excommunicati exprimuntur, videntur habiles fateri,se non posse per se ipsos actum gerere; & quod omnes indiuidue tam habiles, quam inhabiles concurrunt ad producendum illum actum. Butr.hic. Et sic habiles videntur ignorare, quod potestas eis competat in solidum.Abb.hic. Et quoniam vbi quis non vult, quod potest,& quod vult, non potest, actus per ipsum factus non valet, propter voluntatem, & potestatem,mutuo sibi aduersantes,quæ ad aliquid valide faciendum,debent concurrere simul.c. cum super. de offic. deleg. Et vbicunque quis ignorat fundamentum suæ potestatis,non valet,quod agit,cum non intendat vti illa potestate. vt not.in c. ex parte Astensis.de conceff.præb. & l.si is, ad quem. & l.qui in aliena. ff. de acquir.hæred. Ideo propter indiuiduitatem actus,in constitutione procuratoris,quē habiles voluerunt facere cum inhabilibus,vitiatur id, quod ipsi per se facere potuerunt,sed facere noluerunt.vt in tex. & glos.in c. vtile.de reg.iur.in 6.

VEL eorum auctoritate factum sit.

QVIA vbicunque, tanquam requisita,interuenit alicuius auctoritas, si illa non est legitime præstita,corruit actus. Institut.de auctor.tutor.§.tutor. & l.obligari.ff.eod. Auctoritas namque dat

robur acqui.c.si qua. 12.q.2. Omnia enim nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur.l. 1.§. sed neque.C.de veter.iur. enucl. Et quoniam excommunicatus, cum sit extra ecclesiam per maiorem excommunicationem contra ipsum latam, non habet facultatem ad aliquem actum auctorizandum.c.ad probandum. de re iudic. Ideo ex quo isti de vniuersitate voluerunt constituere syndicum per auctoritatem illorum excommunicatorum, talis constitutio non tenet. vt in tex. & Innocent.hic.

VEL ad id scienter sint admissi.

QVIA habiles admittentes scienter tales excommunicatos, & inhabiles, ad constitutionem procuratoris, videntur fateri, se sine illis non velle, nec posse ad huiusmodi actum procedere. Abb. hic nu.7. Et quoniam sic admittendo illos, ipsi, quod volunt, non possunt, & quod possunt nolunt.d.c.cum super. Ideo constitutio sic scienter facta de procuratore per habiles admixtos cum excommunicatis, non valet. vt in tex.& c. massana. de elect. Et idem est dicendum, si fecissent aliquem actum cum quolibet alio prohibito, & inhabili fauore iuris publici. Innoc.hic. Secus, si cum prohibito, & inhabili fauore ipsorum habilium; quia tunc possent proprio fauori renuntiare, & illos habilitare. c. cum Vintonensis.de elect.

In Sexto. Cap.1. Non indiscrete.

LAICVS potest esse procurator ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus.



QVIA regulariter, qui non prohibetur expresse ad exercendum procurationis officium, idoneus debet reputari. vt in tex. Cum hoc edictum sit prohibitorium. l.mutus.ff.eod. Et quoniam iura, quæ dicunt spiritualia negotia per laicos non esse tractanda. vt in c. 2. extr. de iudic. & c.massana. de elect. & similia, non prohibent, quod laicus non possit esse in spiritualibus tanquam procurator, sed quod non sit tanquam principalis, seu iudex, vel assessor, vel præcipiens. Host.in sum.huius tit.§.quis dari, in fin. Ideo licet laici tanquam actionem habentes, & nomine proprio, non debeant tractare res spirituales.vt in d.c.2.de iudic.& similibus; bene tamen possunt tractare causas spirituales, tanquam procuratores. vt in tex.& glos. in Clem. 1.ver. procuratorem. de renunt. Notat tamen glos.in c.apostolicæ. ext. de except. quod quis non possit agere pro se, vel pro alio in his, quæ ipse possidere non potest; per quam glos. aliqui dicebant, quod laicus non potest

poteſt eſſe procurator in cauſis ſpiritualibus, niſi in matrimonialibus. Ioan. And. hic. Sed dic, quod in actibus ſpiritualibus dictum illius gloſæ poſſet habere locum, ſed in iudicialibus ſuper ſpiritualibus locum non habet. gloſ. hic. ver. ſpiritualibus, & Specul. eod. tit. §. 1. ver. item quod eſt laicus.

§. Licet.

PROCVRATOR poſt litem conteſtatam poteſt dare alium procuratorem.

QVIA per litis conteſtationem procurator fit dominus litis. vt in tex. & l. properandum. C. de iudic. adeo quod ſententia videtur in eum formanda, non in dominum. gloſ. hic. ver. litis. licet propter varias opiniones, quæ in hoc ſunt, tutius ſit formare ſententiam in perſonam vtriuſque, ſcilicet domini, & procuratoris, dicendo, talem procuratorem talis, & ipſum dominum condemno, vel abſoluo, & ita ſeruatur. gloſ. in c. querelam. ver. œconomi. extr. de elect. Et quoniam dominus poteſt in rem ſuam dare procuratorem. l. 1. ff. eod. Ideo procurator poſt litem conteſtatam, poteſt, vt dominus, alium dare procuratorem. vt in tex. & l. nulla. C. eod. Et hoc intellige verum, vbi fuerit ſimpliciter conſtitutus, vel non expreſſe prohibitus; aliàs ſi conſtitutus fuerit vſque ad litem conteſtatam, & expreſſe prohibitus, ne vltra procederet, ſecus eſſet. gloſ. hic. ver. procurator, & Hoſt. in c. petitio. extr. eod.

ANTE non.

QVIA procurator non poteſt conſtitui, niſi à domino. l. 1. ff. eod. Et quoniam ante litis conteſtationem, procurator non eſt dominus litis. l. ante litem. ff. eod. Ideo antequam ſit litem conteſtatus, non poteſt procurator alium dare procuratorem. vt in tex. & l. ab executore. §. fin. ff. de appellat.

NISI datus fuerit in rem ſuam.

QVIA procurator in rem ſuam habet ſibi emolumentum ſententiæ applicari per vtiles actiones ei ceſſas à domino, qui ſibi ſolum retinuit actiones directas; & dicitur in rem ſuam, id eſt, ad vtilitatẽ ſuã, puta, Titius pater ceſſit filio ſuo ſcholari actiones ſibi competentes contra ſuos debitores, & eum conſtituit procuratorem in rem ſuam ad exercendum actiones directas. Gemin. hic. Et quoniam per huiuſmodi ceſſionem ſibi factam, talis procurator eſt factus dominus emolumenti futuræ ſententiæ. l. illam. C. de donat. Ideo ratione illius ſui dominij, & vtilitatis, poteſt tanquam dominus ſibi ſubſtituere, & dare procuratorem, etiam ante litis conteſtationem. vt in tex. & gloſ. in l. quod quis. C. eod. Et quomodo ex parte rei detur procurator in rem ſuam, not. gloſ. in l. Plautius. ver. ſed qualiter. ff. eod.

VEL à domino habuerit mandatum de substituendo, etiam non certam personam.

QVIA tunc talis substitutus videtur datus ab ipso domino, & solum censetur nominatus à procuratore, tanquam ab organo ipsius domini. vt not. in c. is cui. supr. de offic. deleg. Et quoniam vbi apparet de speciali voluntate committentis, illa est attendenda, quamuis in generali commissione non esset præsumpta, & ad talia specialia non censeretur se extendisse. c. fin. §. vices. d. tit. Ideo in tali casu potest procurator substituere etiam ante litem contestatam. vt in tex. & l. item eorum. §. decuriones. ff. quod cuiusque vniu. nom. Sed quid, si habens mandatum cum potestate substituendi, vult substituere alium, & ei dare etiam potestatem substituendi, an possit? Dic, quod non; ne fit ire in infinitum: Quod intellige verum de illo, qui non est factus dominus litis, vel datus in rem suam; nam in his casibus posset substituere, quia tunc æquiparatur domino. Gemin. hic. & Rota decis. 146. in nouis. hoc tit. & in antiquis decis. 546.

§. Procurator.

PROCVRATOR ad negotia potest dare alium procuratorem libere, & etiam quandocunque.

QVIA in negotijs regulariter non agitur de tam graui præiudicio, sicut in iudicialibus. Gemin. hic. vnde in eis admittitur procurator maior decimoseptimo anno; in iudicijs verò debet esse maior vigesimoquinto. infr. c. qui generaliter. Et quoniam propter minus præiudicium, quod communiter vertitur in negotijs, in constitutione procuratoris ad illa, non videtur electa industria personæ, sicut censetur electa in procuratore ad iudicia. Bart. in l. fin. ff. de diuer. & tempor. præscr. Ideo regulariter censetur à domino data facultas isti procuratori, vt possit substituere, quod non censetur in procuratore ad lites. vt in tex. & l. si procuratorem. §. 2. ff. mand. Et quando procurator ad lites substituit post litem contestatam, magis substituit virtute iuris proprij, cum sit effectus dominus litis, quam virtute iuris domini. Gemin. hic. Sicut quando est arduum negotium, in quo censetur electa industria personæ, etiam procurator ad negotia non potest substituere. infr. c. fin. nisi in mandato esset ei data specialis facultas, quia tunc forma mandati esset attendenda. Bart. in d. l. fin. & Bald. in l. quod quis. C. hoc tit.

Cap. 2. Quamuis.

PROCVRATOR ante litem contestatam, etiam sine causa reuocari potest.

Quia

QVIA vbi alteri non præiudicatur, quisque poteſt de re ſua mutare conſilium.gloſ.fin.in c.mutare. infr.de reg. iur. Cum rei ſuæ quilibet ſit moderator,& arbiter.l.in re mandata.C. mand. Et quoniã ante litem conteſtatam,nullum eſt ius quæſitum procuratori per mandatum factum in eius perſonam; & nullum præiudicium fit aduerſario,neque alteri,per talis procuratoris reuocationem. gloſ.in l. poſt litem.ff.hoc tit. Ideo tunc non debet quis impediri,quin poſsit de procuratore conſtituto pęnitere,& illum ad libitum libere reuocare.vt in tex. & l.ante litem.ff.eod.

POST litem conteſtatam non,ſine rationabili cauſa.

QVIA per litis conteſtationem procurator fit dominus litis. ſupr. c. prox. Et aduerſarius, qui cœpit litem cum vno procuratore, oneratur, ſi ille mutetur, & debeat eam proſequi cum alio. gloſ. in d. l. poſt litem. Et quoniam quis non poteſt mutare conſilium in alterius detrimentum d.c.mutare. & c. quod ſemel.infr. de reg. iur. Ideo poſt litem conteſtatam non poteſt quis ſine legitima cauſa procuratorem reuocare. vt in tex. & d. l. poſt litem. Ex cauſa autem rationabili poteſt. vt in tex. quia tunc non cenſetur procuratori data aliqua facultas, nec debet pati, vt ex ſua culpa præiudicet domino, qui non vult conſentire in actu iniuſto. Hoſt. in c. quantò.ext. de his, quæ ſi.à præl. ſine conſ.cap.& not.ext.in c.non iniuſte. Quæ autem dicantur cauſæ rationabiles ipſum reuocandi, multæ enumerantur hic in tex. & aliæ ſimiles relinquuntur arbitrio iudicis terminandæ. gloſ.ver. inimicum. & ver. alia. Et poſt reuocationem factam à domino, non eſt procedendum in cauſa cum procuratore, quouſque de cauſa reuocationis cognoſcatur, quantumcunque ipſe procurator contradicat.l.quæ omnia. §.2.ff.eod.

DOMINVS tamen bene poteſt adeſſe cauſæ cum ipſo procuratore,maxime ſi de colluſione timeat.

QVIA per huiuſmodi domini aſſiſtentiam ipſi conſulitur, vt non decipiatur, & vt acta ſuæ cauſæ diligentius exerceantur.gloſ.fin. hic. Et cum per hoc procurator non reuocetur,ipſi, vel aduerſario præiudicium non generatur. infr.c.ſi quem. §.ſecus. Et quoniam quod vni prodeſt, & alteri non nocet,facile concedi poteſt.l.non debet. ff. de reg.iur. Et fraudibus,quantum fieri poteſt, eſt obuiandum.c.plerumque.ext. de reſcript. Ideo ſi dominus velit in cauſa cum ſuo procuratore adeſſe, non eſt per iudicem prohibendus. vt in tex. & l. Paulus.ff. eod.

Cap.3. Is,qui.

PROCVRATOR habens mandatum ſubſtituendi, ſubſtitutum à ſe

à se post mandatum susceptum, etiam si eo non sit vsus, reuocare non potest.

QVIA talis substitutus censetur datus ad ipso domino, & solum, eius vice, à procuratore nominatus. vt not. supr. in c. 1. Vnde ipse satisdabit, dominum ratum habiturum, nõ substituentẽ. Francus hic. Et quoniam quamcito procurator ille substituit, functus est officio suo, & non habet amplius facere in causa. glos. ver. vsus. & Gemin. nu. 5. Ideo ex quo desijt esse procurator, non potest vlterius substitutum reuocare. vt in tex. & arg. c. ex literis. infr. de offic. deleg. licet in delegato Sedis Apostolicæ, vices suas alteri cõmittente, aliud censeatur. vt in tex. scilicet, quod delegatus potest reuocare subdelegatum, antequam ille vsus fuerit iurisdictione. c. quamuis. supr. de offic. deleg. Et ratio diuersitatis est, quia iudicare est onus, tamen est etiam honor; sed procurare est onus, non honor, & officium vile. l. si quis procuratorem. C. de decur. lib. 10. Vnde non præsumitur, quemquam sic excutere honorem, & onus, sicut onus tantum; nec sic duo, sicut vnum. Archid. hic. Præterea, delegatus habet à lege talem potestatem subdelegandi. c. pastoralis. extr. de offic. deleg. sed talis procurator habet hanc facultatem substituendi ab homine. vt dictum est superius. Et quoniam mitius agitur cum lege, quàm cum homine. l. Celsus. & l. nam magistratum. ff. de arbitr. Ideo plus potestatis habet in reuocatione subdelegati delegatus, quam habeat in reuocatione substituti procurator. vt in tex. Si tamen ille substitutus non suscepisset mandatum, posset procurator alium substituere. vt in tex. per argum. à contrario sensu; licet si compromissarius datus ad eligendum eligat, & electus renuat consentire, amplius eligere non possit. c. si compromissarius. supr. de elect. & ratio diuersitatis est, quia ille functus est officio suo semel eligendo, vt ibi not. procurator autem substituens non est functus officio suo, nisi substitutus mandatum suscipiat; cum ipse habeat causam agere, si substitutus illam non suscipit. glos. hic. ver. aliud.

NISI & potestatem habuit reuocandi.

QVIA tunc per solam substitutionem non expirat eius mandatum, sed ex potestate sibi per dominum tradita, potest illam reuocare, sicut posset ipse dominus. glos. ver. reuocandi. Et quoniam dominus potest ante litem contestatam procuratorem reuocare. supr. c. prox. Ideo similiter potest eius nomine procurator reuocare talem substitutum. vt in tex. & l. 1. ff. eod.

SI autem erat procurator ad plures causas, & in alterà substituit, in alijs remanet procurator.

Quia

QVIA in non connexis profecutio, vel negligentia in vno, non obest in altero. Gemin.hic.§.fin. Ex diuersis enim non fit illatio. l.Papinianus.ff.de minor. licet secus sit in connexis, & in eodem facto. c. cum plures. supr. de offic. deleg. Ideo per substitutionem factam in vna causa diuersa, quis non prohibetur in alijs procurationis officium exercere, cum non censeatur in ijs, illud à se remouisse. vt in tex.& l.cum prætor, in princ. ff. de iudic. Et de reuocatione procuratoris, vide Cynum, & alios in l.mandati. C.mand.& Paul. de Castr. consil. 361.incipien.venerabilis.

Cap.4. Qui ad agendum.

PROCVRATOR generalis non agit exigentia speciale mandatum.

QVIA ea, quæ speciali nota sunt digna, si non exprimantur, ex studio omissa censentur.l.item apud. §. hoc edictum. ff. de iniur. Et quoniam mandati fines diligenter sunt seruandi.c. cum dilecta.extr. de rescript. Ideo ex vi mandati generalis non debet procurator admitti ad ea, quæ, vt præsumantur commissa, speciale mandatum requirunt.vt in tex. & l.Pomponius.ff.eod. Qui autem sint casus requirentes speciale mandatũ, tres recensentur hic in tex.& viginti enumerãtur per gl.& triginta quatuor hic per Franc. Et quoniã tales casus sunt grauiores, quàm illi, qui sub generali commissione veniunt. d.glos.hic. Ideo vt intelligantur concessi, debent specialiter exprimi. vt in tex. & d.l.Pomponius. Vbi enim maius periculum vertitur, cautius est agendum.c.vbi.supr.de elect.Et frustra talia requirerent speciale mandatum, si sub generali commisione venirent.c.quod.supr.de offic.leg.

NISI cum aliqua illorum specificatione.

QVIA speciale mandatum intelligitur dari, quando nominatim aliquid mandatur.l.non solum.§.fin.ff.eod. Et quoniam illud dicitur fieri nominatim, quod fit expresso nomine proprio, vel eo, quod habet vim nominis proprij. c.licet ex quadam. extr. de testib. & l. stipulationum, & l.vbi autem.ff. de verb.oblig. Et expressio alicuius casus requirentis speciale mandatum, adiecta clausula generali, vt procurator quæcunque alia consimilia possit, quæ requirunt speciale mandatum, habet vim nominis proprij aliorum casuum nõ specificatorum, ac si essent specificati, dummodo non sint grauiores, vel maiores expressis. Clem.2. hoc tit. Ideo si aliquis de articulis speciale mandatum exigentibus fuerit specificatus, adiecta clausula generali, tunc etiam ad non expressos non grauiores, vel maiores, admittitur talis procurator. vt in tex. & d.Clem. 2.

VEL

VEL libera potestate.

QVIA mandatum cum libera potestate æquiparatur mandato speciali. Francus hic in §.procurator. Et per illud censentur omnia mandata, quæ facere posset ipse dominus, etiam quo ad alienationem, si donationem illa non contineat. l.procurator,cui.ff. eod. Ideo ex quo tunc constat per tale mandatum de voluntate domini constituentis,etiam ad casus speciales erit ille procurator admittendus.vt in tex. & l.si procurator. C. eod. Per quæ autem verba censeatur data talis libera potestas, late tractat hic Francus in fine.

Cap. 5. Qui generaliter.

MANDATVM generale ad negotia, etiam ad iudicia se extendit.

QVIA verbum, negotium, multa significat; modo actum alicuius rei, cuius contrarium est otium; modo actionem causæ,quod est iurgium litis, & dictum est negotium, id est, sine otio: Et dicitur negotium in causis, negotiatio autem in comercijs, vbi aliquid datur, vt maiora lucrentur. c.forus. §.negotium. extr. de verb. sign. Et quoniam verba generaliter prolata, generaliter sunt accipienda. c. solitæ. extr. de maior. & obed. Ideo qui generaliter constituitur ad negotia procurator, agere, ac experiri potest, exceptis his casibus, qui mandatum exigunt speciale.vt in tex. Cum tale verbum positum in procuratorio comprehendat negotia iudicialia, & extraiudicialia. d.c. forus. Et hoc potest talis procurator etiam in criminalibus ciuiliter motis. infr.de iudic. & ibi glos. c.1. secus in criminalibus criminaliter motis. c.veniens. extr.de accusat. Cum in illis, vt plurimum, non admittatur procurator. c.super his. d.tit.de accusat. & l.sed & hæ.ff. hoc tit.

§. Ne dum.

POTEST filiusfamilias esse procurator.

QVIA omnes, qui non prohibentur, procuratores dari possunt. l.mutus. ff.eod. Et quoniam filiusfamilias non prohibetur. l. filiusfamilias. ff.eod. Ideo ne dum ad negotia, sed etiam ad iudicia ipse potest fieri procurator. vt in tex. & extr. c.non iniuste.

ETIAM absque patris consensu.

QVIA si filius sit procurator, nil deperit patri. glos. ver. filiusfamilias. Ideo quo ad id filius censetur sui iuris, & admittitur sine patris assensu. vt in tex. & c.fin. infr. de iudic. Immo potest esse,etiam patre prohibente. Bald.in l.fin. §.necessitatem. C.de bon.quæ lib. Nullo ta-

lo tamen casu potest agere contra patrem, nisi prius petita venia secundum formam. l.veniam. C.de in ius vocan. vt not.glos.in c.quæritur. 2. q.7. & in c.ex parte. extr. de restit. spol.

§. Licet.

MAIOR annis xxv. ad iudicia; maior xvij. ad negotia deputari potest procurator.

QVIA in negotijs regulariter non agitur de tam graui præiudicio, sicut in iudicialibus. Gemin. supr. in c.1. §.procurator. Et quoniam vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum. c. vbi. supr. de elect. Ideo maior ætas statuitur requirenda in procuratore ad iudicia, quàm in illo ad negotia. vt in tex. Et quia post decimum septimum annum quis est in plena pubertate, ita vt,completa pueritia, incipiat habere prudentem discursum,& intellectum ad negotia.l.Mela. ff. de alim. & cib. leg. Et post vigesimum quintum annum, completa iuuentute, quis incipit esse in ætate matura, & virili. l.minor.ff.de minor. & not. in c. cum in cunctis,in fin. extr. de elect. Ideo statuitur, vt qui compleuerit xvij. annum, possit dari procurator ad negotia, & qui compleuerit xxv. possit dari ad iudicia; cum tales, considerata vtriusque ætate, & habita relatione ad onera, quæ suscipiunt, ad illa ratione ætatis idonei præsumantur. vt in tex. & Gemin. in fin.

Cap. 6. Si duo.

EX duobus procuratoribus simul simpliciter constitutis, alter solus admitti non debet.

QVIA vbi exercitium actus pluribus simpliciter, & eodem tempore committitur, intelligitur commissum, vt simul procedant; cum singuli non habeant tunc potestatem in solidum, sed quisque eorum pro parte. c.causam il 1. extr. de offic.deleg.& l.duo ex tribus. ff.de re iudic. Et quoniam forma mandati diligenter est seruanda. c.super litteris. extr. de rescript. Et iudex debet aduertere, ne in caussis admittat personas, quarum inhabilitate iudicium redderetur inualidum. c.1. extr. eod. Ideo si duo procuratores simul (non adiecto, in solidum) deputentur, vnus sine altero non debebit admitti. vt in tex. & l.cum alicui. ff. de negot. gest. Secus autem,si sint dati diuerso tempore, nam tunc, dando secundum, videtur reuocare primum. c. si quis cum procuratorio.ff. eod. Et hoc verum intellige, etiam si secundus nolit suscipere mandatum. glos.2. hic. nisi constituens exprimat, se nolle per hoc reuocare primum. l.si pluribus. ff.de legat.1.

SI verò in solidum, qui primo contestatur litem, admittitur, altero totaliter excluso.

QVIA clausula, in solidum, in constitutione procuratoris importat, vt quisque possit in totum facere per se, quod posset ipse dominus in ijs, ad quæ se extendit mandatum. d. l. si pluribus, & c.cum plures. extr.de offic.deleg. Et quoniam procurator, qui litem contestatur, fit dominus litis.supr.c 1.& l.post litem.ff.eod.Ideo non debet alter postea eum impedire in re sua.vt in tex.& c.penult.supr.de rescript. Vigilantibus enim, non dormientibus, iura subueniunt. c.cum vniuersorum.extr.de rer.perm.Quod intellige de vigilantia sine dolo.c.qui.dist. 36. Qualis est in domino Iulio Ioannino Maceratensi fratre q.Reuerendiss. Pauli Emilij primi episcopi Montis Alti, viro probo, & erudito, in Romana curia multum versato, valde amico meo.

NISI adiectum fuerit, quod non sit melior conditio occupantis, quo casu, altero non prosequente, nec alium substituente, reliquus admittatur.

QVIA in tali casu constat de mente constituentis, qui vult eos in causa cum huiusmodi potestate interuenire. vt in tex. Et quoniam rei suæ quisque est moderator, & arbiter. l.in re mandata. C. mand. Ideo si in constitutione procuratoris sit dictum, quod non sit melior conditio occupantis, tunc si eum, qui occupauit, infirmari, mori, absentari, vel aliàs impediri contingat, aut si prosequi forte nolit, poterit alter suscipere, ac perficere negotium ab alio inchoatum. vt in tex. Dumtamen ab alio non fuerit alius substitutus, nam si sit, is præferri debet eidem. vt in tex. Cum enim talis sit substitutus ab eo, qui potior est in causa, tanquam illius vicesgerens potest continuare causam, & excludere alium.glos. ver.præferri. Clausula enim illa, quod non sit melior conditio occupantis, præseruat potestatem procuratoris non occupantis, quo ad habitum potestatis, non autem quo ad exercitium, nisi in certis casibus. Gemin. hic nu.4. scilicet, si non substituit, vel est infirmus, aut aliter impeditus. Ioan. Vanquel.hic.

§. Cæterum.

PROCVRATOR datus in solidum, qui occupauerat negotiũ, ex impedimento exclusus, non reassumit, nisi altero impedito.

QVIA si ambo procuratores dati in solidum, eodem tempore procedere possent, facile sequeretur perplexitas in causa, vt vnus eorum fateretur, quod alter negaret. Gemin.hic nu. 6. Et quoniam per huiusmodi contradictionem inter eos, progressus causæ impediretur.glos.in c.cum plures. ver.de eodem. supr. de offic.deleg. Ideo illa clausula, & potestas in solidum operatur, vt quilibet eorum possit per se debito tempore procedere; non autem operatur, vt dum vnus prosequitur, alius se ingerat.vt in tex.& l.pluribus.ff.eod.

§. Sa-

§. Sanè.

IN causis spiritualibus, ex duobus procuratoribus simul simpliciter datis, iudex eligit magis idoneum, qui solus prosequi poterit; nec alius admittitur, nisi primo legitime excluso.

QVIA negotia spiritualia celeriorem expeditionem exigunt, quàm temporalia. vt in tex. Cum in illis tractetur de salute animarũ, quæ nõ debent diutius carere administratore.c.fin.supr.de elect. & sunt alijs rebus pretiosiores. c.cum sit.extr. de ætat. & qual. ord. Et quoniam de facili insurgeret negotij intricatio, si tales procuratores eodem tempore admitterentur ad causæ exercitium, propter illorum varias opiniones.vt in tex.& c.tuam.extr.de ord. cogn. Ideo ex quo constat de voluntate principalis, qui constituit istos suos procuratores, ius in fauorem spiritualis causæ interpretatur, & adiungit, vt vnus solus procedere possit, quamuis non habuerit ad hoc sufficiens mandatum.vt in tex.& glos.ver.specialiter. Et quia in concursu plurium, quando datur electio superiori, ipse debet eligere magis idoneum.c.pastoralis.ext. de iurepatr. Ideo de istis duobus procuratoribus iudex idoneiorem eligere debet, qui causam prosequatur; & si postea iste fuerit impeditus, & non dederit substitutum, ne causa remaneat sine tali ministro, poterit illam reassumere alius, qui erat simul procurator constitutus. vt in tex.& glos.fin.hic.

Cap. 7. Licet.

PROCVRATOR, qui renuit acceptare mandatum, pœnitere potest, quamdiu constituens in eadem perseuerat voluntate.

QVIA mandatum procuratorium recipit suum effectum à libera voluntate constituentis, & à libera acceptantis. l.filiusfamilias.§. inuitus.ff.eod. Et quoniam vbi actus perficitur ex consensu duorum, licet alter dissenserit semel, potest iterato consentire, stante pristina voluntate alterius.c.si tibi absenti.infr.de præb. Cum vltima mora consensus in talibus attendatur.l.illud.ff.de peric.& com.rei vend. Ideo quousque constituens non mutat suam voluntatem, potest constitutus procurator acceptare mandatum, licet prius dixerit se illud nolle acceptare.vt in tex.& l.non erit, in fin.de iureiur. Constituens autem præsumitur perdurare in eadem voluntate, nisi illa probetur mutata.c.maiores, in fin.ext.de baptism.& l.eum, qui.ff.de probat.

Cap. 8. Si quem.

DOMINVS dans procuratorem, quoties contingit eum abesse, causam tractando, procuratorem non intelligitur reuocare.

QVIA iste constituens, qui est reuersus, potest iterum discedere, & abesse. vt in tex. Et quoniam qualificata causa qualificatum producit effectum. l. in agris. ff. de acquir. rer dom. Ideo ex quo constat de mente constituentis, quod vult talem in casibus suæ absentiæ esse eius procuratorem, per suam comparitionem non intelligitur illum reuocare, si rursus fuerit absens, sed per eius præsentiam solum suspendit illius officium, & exercitium. vt in tex. & glos. in l. qui mutuam. §. non ideo. ff. mand. sicut idem est in subdelegato dato sub simili forma. c. si delegatus. supr. de offic. deleg. Non enim probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. l. neque natales. C. de probat. Ideo ex quo iste constituens potest rursus abesse, non intelligitur per eius comparitionem, esse formam procurationis in totum sublatam. vt in tex. & simile in l. penult. C. de curat. fur.

SECVS, si simpliciter.

QVIA cum tunc non appareat causa, cur dominus velit personaliter interuenire in iudicio, & non per iam constitutum procuratorem, censetur non amplius confidere de illo, sicut antea. Innoc. in c. petitio. extr. eod. Et quoniam ante litem contestatam, potest dominus ad libitum procuratorem reuocare. l. ante litem. ff. eod. Et post illam contestatam, potest eum reuocare, si consentiat ipse procurator. l. post litem. ff. eod. Ideo si dominus comparet in causa ante litem contestatam, censetur sua libera potestate reuocare procuratorem simpliciter datum; si verò comparet post illam contestatam, si procurator non cõtradicit, censetur de eius consensu dominum reuocationem fecisse. glos. hic. ver. siue.

NISI expresse protestetur, quod ipsum reuocare non intendit; vel aliàs hoc appareat ex probabilibus coniecturis.

QVIA circa procuratoris facultatem, constituentis voluntas est præcipuè attendenda. Innoc. in d. c. petitio. Et quoniam fortior præsumptio debiliorem tollit. c. litteras. extr. de præsumpt. Ideo ex quo per protestationem, vel alias coniecturas apparet, quod per suam comparitionem noluit constituens procuratorem reuocare, ista maior præsumptio erit attendenda, non autem illa, per quam censebatur se comparuisse propter illius diffidentiam. vt in tex. & l. fin. C. eod.

Cap. 9. Procurator.

PROCVRATOR ad contrahendum matrimonium debet habere speciale mandatum.

QVIA contractus matrimonij est factum arduum, ex quo posset magnum periculum imminere, si deficeret potestas in contrahente. vt

te. vt in tex. Et quoniam ea, quæ propter eorum grauitatem speciali nota sunt digna, si non specificantur, ex studio omissa censentur. l. item apud. §. hoc edictum. ff. de iniur. Ideo procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc habuerit speciale mandatum. vt in tex. & l. generali. ff. de ritu nupt.

ET talis procurator non substituit, nisi ad hoc mandatum habeat.

QVIA in commissione facta alicui ad graue negotium, censetur electa industria eius personæ, ita vt illud alteri demandare non possit, nisi forma commissionis habeat, vt per se, vel per alium id valeat expedire, quamuis sit in facultate, in qua regulariter substituere potest. c. is, cui. supr. de offic. deleg. Et quoniam contractus matrimonij est arduum negotium, in quo si procurator posset substituere, magnum periculum posset imminere. vt in tex. Ideo quamuis aliàs is, qui constituitur ad negotia procurator, alium substituere possit. supr. c. 1. in hoc tamen casu non potest alium deputare, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. vt in tex. & arg. c. fin. §. vices. supr. de offic. deleg.

ET si talis procurator reuocatus etiam ignoranter contrahit, non tenet matrimonium.

QVIA ad contrahendum matrimonium requiritur mutuus consensus contrahentium. c. tua. extr. de sponsal. Et quoniam quando procurator est reuocatus, ibi deficit consensus illius, qui prius dedit ei mandatum ad contrahendum. vt in tex. Ideo si procurator, antequã contraxerit, à domino fuerit reuocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quàm ea, cum qua contraxit, reuocationem huiusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit; cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequiuit. vt in tex. & glos. in c. nec illud. 30. q. 5. Et est speciale in hoc casu, vt teneat reuocatio procuratoris, quamuis ad eius notitiam illa non peruenerit. glos. hic. ver. ignorarent. Cum aliàs reuocatio procuratoris ad negotia, ad ipsum procuratorem venire debeat; de quo dic, vt in c. ex parte decani, & ibi late per Felinum. extr. de rescript. Et de reuocatione procuratoris ad iudicia, dic, vt not. gl. sup. in c. quamuis. & habetur extr. in c. mandato.

In Clement. Cap. 1. Instrumenta.

QVI sciens sine protestatione recipit instrumentum, vel litteras suæ procurationis, quibus constituens pro ipso cauebat, super inclusis in procuratorio dominum defendere cogitur.

QVIA



VIA per huiusmodi receptionem, ad omnia, quæ in talibus litteris, vel instrumentis continentur, procurator videtur suum præstitisse assensum. vt in tex. Et quoniam fidem susceptam quisque adimplere tenetur, ne decipiatur is, qui negotium commisit. l. inuitus. C. eod. & l. mutus. §. fin. ff eod. Ideo licet à principio quis non cogatur procuratoris officium suscipere d. l. inuitus. si tamen illud suscepit, debet negotium susceptum adimplere. vt in tex. & l. non cogendum. ff. eod. nisi ex iusta causa procurator excusetur. l. filiusfamilias. §. fin. ff eod. Sed requiritur, quod sciat contenta in tali mandato, vt ad hæc obligetur. vt in tex. quia ignorans, vel errans, non consentit. c. si beneficia. de præben. in 6.

Cap. 2. Non potest.

PROCVRATOR habens mandatũ iurandi, & omnia faciendi, quæ requirunt speciale mandatum, contra electum, vel prouisum, opponere non potest crimina, vel defectus.

QVIA sub tali generalitate non veniunt grauiora, vel maiora, quàm in ipso procuratorio sint expressa. vt in tex. & l. fin. ff. de tritico, vino, & oleo leg. Et quoniam potestas opponendi crimina est quid grauissimum, tum respectu illius, contra quem fit oppositio, quia per hoc agitur de diminutione eius famæ, & status. c. 2. ext. de ordin. cogn. tum etiam respectu opponentis, & ad hoc procuratorem constituentis, quia si deficit in probando, venit puniendus. c. 1. de elect. in 6. Ideo per tale mandatum non potest iste procurator opponere crimina, vel defectus in personam electi, vel prouisi, nisi aliud super hoc habeat in mandatis. vt in tex. & c. procurator. de elect. in 6. Sed cum anima sit pretiosior corpore. c. cum infirmitas. ext. de pænit. videbatur dicendum, quod potestas data procuratori ad iurandum de calumnia, esset maior, quam potestas ad opponẽdum crimina; cum peccans in tali iuramento ligetur propter periurium ad pænam æternam, & deficiens in oppositione istorum criminum ligatur in corpore ad pænam temporalem. glos. fin. hic. Respondetur, negando animam constituentis ligari ad periurium per procuratorem, nisi constituens sit in culpa, quod dic, vt in c. fin. de iureiur. in 6. Et qui falso opponeret crimina, etiam ipse mortaliter peccaret contra proximum, & ligaretur ad pænam æternam, nisi debite pæniteret, confitendo, & satisfaciendo. c. non potest. de pænit. dist. 1. Cum sit præceptum Decalogi, Non dices contra proximum tuum falsum testimonium. Et Dominus dicit in Euangelio: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. cap. 5.

Cap.

Cap. 3. Religiosus.

RELIGIOSVS etiam pro conreligioso non potest procurator constitui sine licentia superioris.

QVIA religiosi non habent neque nolle, neque velle. c. si religiosus. de elect. in 6. Cum non solùm facultatibus, sed voluntatibus proprijs in ipsa ordinis susceptione renuntiauerint, & semper promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint. c. non dicatis. 12. q. 1. Et quoniam officium procuratotis est voluntariũ, cum in eo requiratur libera voluntas, non solum constituentis in cõmittendo, sed etiam constituti in acceptando. l. inuitus. C. eod. & l. filiusfamilias. ff. eod. Ideo religiosus, cum ex se non possit dare consensum voluntatis, non est capax sine superioris licentia officij procurationis, quantumcunque sit pro alio religioso, vel alia persona pia. vt in tex. & c. 2. ext. de postul. Et hæc intellige vera in religioso carente administratione. Zabar. hic. nam habens administrationem, sicut per se potest agere. c. cum deputati. ext. de iudic. ita potest procurator esse, & procuratorem constituere. c. vnic. ext. de syndic. cum enim habuerit à superiore licentiam consentiendi in concernentibus administrationem, censetur etiam habuisse illam ad procurationis mandatum dandum, & acceptandum. glos. hic ver. constituere.

NISI pro consorte eiusdem litis.

QVIA concesso principali, intelliguntur concessa etiam accessoria. c. prudentiam. extr. de offic. deleg. & l. 2. ff. de iurisd. omn. iudic. Et quoniam licentia data religioso, vt posit interuenire in iudicio, vt procurator, cum alio eiusdem litis consorte, est quid principale respectu licentiæ acceptandi procurationis officium ab eiusdem litis consorte. glos. ver. constituere. Ideo ex quo religiosus habuit licentiam consentiendi in causa, vt procurator, censetur etiam illam habuisse ad acceptandum procurationis mandatum ab eiusdem litis consorte. vt in tex. & c. præterea. extr. de offic. deleg.

NEC etiam alium constituere, nec substituere, licet hoc habeat in mandatis.

QVIA non potest quis constituere, vel substituere alium procuratorem, nisi ipse prius mãdatum, per quod talis facultas ei datur, acceptauerit. Zabar. hic num. 5. Et quoniam in religioso per illud suum velle acceptare, frangeretur abdicatio voluntatis, & obedientia, quam in professione promisit. glos. ver. substituere. Ideo non potest religiosus sine superioris licentia suscipere officium substituendi, quamuis ad hoc detur ei facultas à constituente, qui non sit eius superior.

rior . vt in text. & d. cap. si religiosus . de elect. in 6.

Cap. 4. Procuratorem.

PER obitum rectoris ecclesiæ, reuocatur procurator ab eo pro ecclesia constitutus, etiam quo ad iam cępta.


QVIA procurator administrat nomine domini.l.1.ff.eod. Et quoniam per obitum prælati extinguitur titulus prælationis, quo ad effectum.c.ne pro defectu.extr.de elect. Et licet ecclesia non moriatur per mortem prælati, bene tamen viduatur, & occupatur circa actus lugubres,& habet suspensum exercitiũ sui coniugij.c.vbi.de elect. in 6. Ne,cum careat sponso,& rectore, facilè decipiatur. Clem. ne Romani. de elect. Ideo cum procurator non possit administrare nomine defuncti,qui non est amplius dominus, non poterit administrare etiam nomine prælationis; tum quia non fuit ad hoc constitutus; tum quia non potuisset per prælatum solum ad hoc constitui, cum ipse non possit priuare iure administrandi eum,ad quem de iure communi,vel speciali, sede vacante,hoc spectat. Zabar.hic nu.3. Vnde cum sit generale,quod, re integra,morte mandantis expirat mandatum.l.mandatum.C.mand. in procuratore rectoris ecclesiæ ampliatur,vt expiret, etiam re non integra.vt in tex.vt sic per talem procuratorem non posit aliquid attentari in præiudicium ecclesiæ. extr. ne sede vac.c. fin. & ne præiudicetur iuri capituli,vel alterius,qui,sede vacante,habeat administrare.c.si episcopus.de suppl.negl.prælat.in 6.

Liber Primus. Titulus XXXIX.

DE SYNDICO.

In Decretal. Cap.vnic. Sicut.

RELIGIOSI debent habere syndicum, qui causas monasterij agat,& defendat.



VIA bona monasterij non debent carere administratore,qui ea ab aliorum insultibus,& vsurpatione in iudicio defendat.c.edoceri. de rescript. & c.quia episcopus. 5.q. 3. Et quoniam non decet, vt religiosi per seipsos compareant in iudicio.c.sicut.2.q.7.Cum valde amarum sit,à claustro ad forenses disceptationes ipsos auocari,in quibus nullo modo, quæ à religiosis Deo promissa sunt, valent adimpleri.

pleri; Illic enim quies, oratio, labor manuum; at hic causarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia tractantur. c. de pręsentium. 16. q. 1. Ideo cum non deceat aliquem de ipsis monachis esse syndicum, ne monasterij bona remaneant indefensa, debent syndicum aliquem alium virum probum, siue clericum, siue laicum pro monasterij causis deputare. vt in tex. & c. te quidem. 11. q. 1. Si tamen deputaretur syndicus vnus de ipsis religiosis, ipsius constitutio teneret. c. insuper. de testib. & c. cum deputati. de iudic. quia ea, quæ hic dicuntur de constituendo syndico, qui non sit monachus, intelliguntur de honestate, non de necessitate. glos. hic. A qua honestate etiam excusantur, propter defectum facultatum in exhibendo salarium. glos. in d. c. quia episcopus. Et à quibus sit deputandus. not. glos. in d. c. edoceri.

ETIAM (si oportuerit) constituto illi salario.

QVIA expedit pro paruo incommodo, à strepitu causarum seruos Dei esse quietos. vt in tex. Et quoniam nemo cogitur proprijs stipendijs militare. 2. ad Corinth. cap. 1. Et dignus est operarius mercede sua. 1. ad Timoth. cap. 5. licet quisque possit remittere, quod sibi debetur, & de proprijs laboribus liberalitatem exercere. l. in re mandata. C. mand. Ideo si quis nolit gratis esse syndicus, de bonis monasterij, de cuius commodo agitur, erit ei pro sua mercede salarium constituendum. vt in tex. & c. quicunque. 12. q. 2.

Liber Primus. Titulus XL.

DE IIS, QVAE VI, METVSVE CAVSA FIVNT.

In Decretal. Cap. 1. Perlatum.

SI quis timore mortis, postea ratum non habens, religionem profitetur, exire, & matrimonium contrahere potest.



QVIA qui profitetur aliquam religionem, intelligitur emittere vota illius religionis. c. ex parte. de regular. Et quoniam votum factum per metum, qui potest cadere in constantem virum, non tenet. c. licet. de voto; nam voluntarium militem sibi eligit Christus. c. de iudeis. dist. 45. Et bene facere nemo potest meritoriè, nisi elegerit, & nisi amauerit: quod est in libera voluntate. c. ad fidem.

23. q.5. nam penès voluntatem meritum consistit. 15.q.1.c.nō est.& 20. q.3. c.præsens. Et votum est res consilij, non præcepti. c.integritas. & ibi glos. 32.q.1. Et quia timor mortis, qui potest cadere in constantem virum, impedit, & excludit in illo actu liberum consensum. c. cum locum. de sponsal. & l. metum. ff.de eo, quod met. caus. Ideo vbi in aliquo non fuit liber consensus à principio, nec fuit postea præstitus per ratihabitionem, non potest dici eum esse religionem professum; Et per consequens ex professione facta timore mortis, non redditur inhabilis ad matrimonium carnale postea contrahendum. vt in tex.& c.inter cætera. 22. q.4. Et hæc intellige in metu humano, non in metu diuino; nam si quis timore Dei, vel timore peccatorum suorum, vel timens interitum corporis propter naufragium, vel quid simile, emiserit votum, tenetur, quia talis metus non excludit consensum, sed dirigit eum, & est bonus, & appetendus. c.sicut nobis. & ibi glos. de regular.

SECVS si à principio, vel ex post facto libere consensisset.

QVIA ad obligandum vouentem ad solutionem voti, sufficit illud semel valide esse emissum, c. cum virum, & ibi glos. de regular. Et quoniam si à principio, vel ex post facto cessauerit timor mortis, & tunc quis vouerit, non potest dici propter præcedentem, vel subsequentem timorem, quod ille non habuerit in tali voto emittendo liberum consensum. c.significatum. de regular. Ideo talis vouens obligatur ex eo tempore, quo libere vouit. vt in tex. & d.c.inter cætera. Et de voti vigore, ac virtute, vide S.Tho. 2. 2. q.88. art.3. & Sotum de iust.& iur. lib.7. q.2. art.1.

Cap. 2. Abbas.

QVI per metum amissionis patrimonij, suo beneficio renuntiat, illud repetere potest.

QVIA quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari. vt in tex. & l.1. ff.eod. Et quoniam vità nostra corporalis non potest sustentari sine adiumento temporalium. c.si quis obiecerit. 1. q.3. Ideo sicut metus mortis excusat. infr. c.cum dilectus; ita & metus amittendi bona temporalia. vt in tex. & c.presbyteros. dist.50. Et intellige non de quibuslibet rebus, sed de illis, sine quibus vita corporis amittitur, vel patitur grauem iacturam. c.innocens. ver. quisquis. 22. q.4. & Arist.3. Ethic. cap.6. & 7. Ea verò, quæ sunt facta per metum, aliqua non tenent ipso iure; aliqua tenent, sed subuenitur metum passo, & contra ea datur actio propter metum ad illa rescindenda. vt late hic per glos. & Innoc. infr. in c.ad audientiam. Vnde versus:

Tutor, iudicium, dos, sacrum, copula, votum;
Hæc sex vi facta, de iure scias fore nulla;

Cæte-

Cætera ius patitur, ſed poſtea reſtituuntur. gloſ. hic in fin. Sed nullus metus excuſat à peccato. c. omnes. 32. q. 7. quia potius debet quis pati omnia mala, quàm committere peccatum. infr. c. ſacris. Hinc eſt, quod non eſt ignoſcendum mulieri, quæ prætextu paupertatis turpem vitam elegit. l. palam. ff. de ritu nupt. nam omne peccatum mortale meretur pœnam æternam. c. non poteſt. de pœnit. diſt. 1. Et quia anima eſt pretioſior corpore. c. cum ſit. de ætat. & qual. ord. Ideo imminente metu mortis, debet potius quis eligere mortem corporis temporalem, quàm animæ mortem æternam. c. admonere. 33. q. 2.

Cap. 3. Ad aures.

QVI terrore laicorum electioni de ſe factæ renunciat, regimini, ad quod electus erat, præfici poterit.

QVIA ea, quæ requirunt liberam voluntatem, (vt ſunt electiones) in contrahendo. c. vbi. de elect. in 6. requirunt illam liberam etiam in diſſoluendo. l. ab emptione. ff. de pact. Omnis enim res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. c. 1. infr. de reg. iur. Et quoniam voluntas coacta non eſt libera voluntas. infr. c. cum dilectus. licet ſit voluntas. c. merito. 15. q. 1. Ideo metus in ſpiritualibus, in quibus requiritur libera voluntas, vt eſt in electione, ſiue ſit in conſequendo, ſiue in dimittēdo, vitiat ipſum actum. vt in tex. & Clem. multorum. §. ſanè. de pœnis. An verò talis renunciatio ſit nulla ipſo iure, vel ſit reſcindenda actione, quod metus cauſa, aut iudicis officio; dic, quod eſt nulla ipſo iure, vt late hic per Butri. Et ſic ad beneficium ita renunciatum ille erit admittendus ex iure antiquo, abſque eo, vt indigeat nouo. Butr. hic.

SI renunciatio iuramento, vel fide firmata non ſit.

QVIA iuramentum ſemper eſt ſeruandum; dummodo in eius obſeruatione periculum animæ non vergat. c. cum quidam. de iureiur. Et fides præſtita hic iuramento æquiparatur. Butr. hic. nu. 3. Et quoniam iuramentum de renuntiando beneficium, poteſt ſeruari ſine interitu ſalutis æternæ. gloſ. hic, & infr. c. cum dilectus. Ideo qui propter metum renunciauit, ſi renunciationem illam iuramento confirmauit, ius, quod ſuper illo beneficio habebat, amiſit. vt in tex. & infr. c. ſequen. Poterit tamen à tali iuramento abſolui. c. ſi verò. de iureiur. Et ex nouo iure poterit beneficium illud obtinere. c. inter. de renunt.

Cap. 4. Ad audientiam.

QVI per metum, qui cadere potuit in conſtantem virum, beneficio ſuo renunciare iurauit, & renunciauit, illud repetere poterit.

QVIA iuramentum non extenditur ad ea, super quibus non est præstitum.c.ad nostram.de iureiur. Et quoniam qui iurauit renuntiare, non iurauit non repetere. vt in tex. Ideo ex quo talis adimpleuit iuramentum renuntiando, poterit vti iure suo ad beneficiũ repetendum, per actionem, quod metus causa, ex quo per metum, qui solet excusare quemcunque,renunciauit.vt in tex. & supr.c.prox. Ea enim,quæ vi,metusue causa fiunt,carere debent robore firmitatis. vt in tex.& l.metum.ff.eod. Sed quid,si iurasset non repetere? Respond.quod tunc non repeteret.c.si verò. de iureiur.& l.1.C.si aduers. vend. Tamen ille,non obstante iuramento, posset hoc denuntiare Papæ.c.quemadmodum. de iureiur. Et verisimiliter Papa ex officio suo mandaret illum restitui.d. c. ad nostram. Et illi concederet absolutionem à iuramento, sicut fit in vsuris, ad quas per iuramentum quis se adstrinxit. c. 1. de iureiuran.

Cap. 5. Sacris.

EXCOMMVNICATVS non est,qui absolutè coactus excommunicato communicat.

QVIA absoluta coactio est,cuius principium extrinsecus est, nihilq. ad id confert ille,qui cogitur. Arist.3. Ethic.cap.1. puta, si quis inuitus trahatur in ecclesiam ad audiendam missam excommunicati,vel cum excommunicatis ibi existentibus,& non permittatur inde exire, & similia. Butr. hic. Et quoniam talis magis dicitur pati,quam agere.vt in tex. Et virtus circa affectus,actionesq. versatur; in spontaneisq. laudes,& vituperationes; in inuitis venia, & interdum etiam misericordia existit. Arist.d.cap.1. Vnde peccatum est adeo voluntarium, vt si non est voluntarium, non sit peccatum. c. merito.& c. non est. 15. q.1. Et quia excommunicatio non fertur, nisi pro peccato mortali.c.nemo. & c.nullus. 11.q.3. nam per excommunicationem iudex ecclesiasticus excommunicatos excludit à regno quodammodo; vnde cum non debeat excludere, nisi indignos; nec aliquis reddatur indignus, nisi per peccatum mortale charitatem amiserit, quæ est via ducens ad regnum; ideo nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali. S.Thom.par.3.q.21.art.3. in addit. Et sic is, qui communicat excommunicatis inuitus, per absolutam coactionem adstrictus, cum non præstet suum consensum in tali actu, non peccat,& per consequens excommunicationem non incurrit. vt in tex.& c.presbyteros.dist.50.

SECVS, si coactio fuit conditionalis.

QVIA coactio conditionalis est,cuius principium impellens est ab extra ante tempus operationis, sed tempore operationis est ab intra in operante, sicut qui pro alleuianda naui eijcit merces; hic simplici-

pliciter non vult,ſed præcedente cauſa impellente,hoc eſt, periculo, pro tunc vult,vt ſaluet vitam,& peius euitet; vel ſi timens tyrannum, ne inferat mortem ſuis parentibus,agit,quod vult ipſe tyrannus. Ariſt. d. cap.1. Et quoniam licet iſtæ actiones ſint mixtæ, ſpontaneis tamen magis ſunt ſimiles; quippe cum eligendæ ſint tunc,cum aguntur. Ariſt. ibidem. Vnde dicitur, quod coacta voluntas, voluntas eſt. d.c.merito. Et quia potius quis debet mori, quàm committere peccatum mortale. vt not.ſupr.in c.abbas. Et nullus metus excuſat à peccato.c.omnes.32. q.7. Ideo talis,ſic conditionaliter coactus communicans excommunicato,non excuſatur, licet talis metus attenuet culpam. vt in tex.& c.in primis. 1. q.1. Cum enim huiuſmodi actiones ſint mixtæ inter ſpontaneas,& violẽtas,ſicut ex eo,quod ſunt ſpontaneæ merentur laudem,vel vituperationem; ita ex eo,quod ſunt violentæ,merentur veniam,& miſericordiam.Ariſt.d.c.1.lib.3.Ethic.

Cap.6. Cum dilectus.

METVM paſſo non ſubuenitur, ſi non fuit talis,qui cadere potuit in conſtantem virum.

QVIA iura ponderant geſtus hominum voluntarios, vel inuoluntarios,per reſpectum ad virtuoſos, non per reſpectum ad vitioſos,& in virtute defectiuos.Ariſt.lib.3.Ethic.cap.1.Ideo non ponderant inuoluntarie geſtum ab inſipiente,quod voluntarie eſſet geſtũ à ſapiente. vt in tex.& l.metum.ff.eod. Et ſimiliter, vt geſta retractentur propter dolum,oportet dolum eſſe magnæ caliditatis,qui veriſimiliter deciperet etiam ſapientem, non autem ſufficit dolus, qui caderet in ſupinum,& non ſapientem. Butr.hic. Qualis autem metus,& dolus dicatur cadere in virum conſtantem, & ſapientem, relinquendum eſt arbitrio iudicis,attenta qualitate perſonarum,& facti.gloſ.hic.ver. metum. & l. 3. ff. ex quib. cauſ. maior. Et regulariter quis metus excuſet, dic, vt per hos verſus.

Excuſat carcer,ſtatus,& mors,verbera,ſtuprum,
Excuſare metus hos poſſe, puta quia neſcis,
Stupri,ſiue ſtatus,verberis,atque necis. d.glóſ.hic.

Illi verò, qui aliquid egit per minorem metum, licet non competat actio,quod metus cauſa,ſubuenitur tamen ei per iudicis officium. l.non eſt veriſimile. §.fin.ff.de eo,quod met. Vel prouidetur per conſtitutiones principum.l.penult. & fin.C.eod. & l.illicitas. ff.de offic.præſid. Vel per reſponſa,ſiuè interpretationem prudentum. l.medicus. ff de var. & extraord. cogn. Et ſimiliter, licet modicus dolus non ſit cauſa retractandi geſta ad commodum fatui decepti, eſt tamen puniendus ille doloſus. Butr.hic. In ſpiritualibus autem,licet dolus dederit cauſam contractui, non ſubuenitur dolum paſſo. c.conſtituit.20. q.3. quia non videntur

dentur

dentur decepti, qui meliorem vitam elegerunt. glos. fin. hic. & cap. scripturæ. de voto.

Cap. 7. Super eo.

PROBATA violentia per testes, res amissæ probantur per iuramentum.

QVIA difficile est probare singula vtensilia. l. si quando, & ibi glos. C. vnde vi. Et quoniam violentia legitime probata facit odiosum delinquentem, & reddit fauorabilem eum, qui passus est detrimentum; & ob id operatur, vt magis ipse, quam delinquens, præsumatur dicere veritatem. glos. hic. Ideo in odium delinquentis, & propter difficultatem probandi singulas res amissas, ius voluit fauere damnum passo, vt eius iuramento, quo ad illarum quantitatem, & qualitatem credatur. vt in tex. & d. l. si quando. licet regulariter, vbi tractatur de præiudicio alterius, non credatur alicuius iuramento, nisi cum eo adfuerit semiplena probatio. l. in bonæ fidei. C. de reb. cred.

ET super valore rerum amissarum, taxatione iudicis præmissa, & secuto petentis iuramento, fit condemnatio.

QVIA hoc iuramentum, quod à parte præstatur, est de veritate. d. l. si quãdo. Et quoniam si iudex prius reciperet tale iuramentum, & postmodum taxaret, si taxaret in minori quantitate, quàm ille iurasset, redargueret illum de periurio, quod esse non debet. Authent. post iusiurandum, & ibi glos. C. de iudic. Ideo iudex ante condemnationem rerum amissarum, debet secundum suum iudicium illarum rerum taxare valorem, & postmodum deferre parti iuramentũ, vt iuret, an sint tanti pretij, quanti ipse taxauit. vt in tex. & d. l. si quando. Secus est in iuramento affectionis, nam tunc iudicis taxatio potest præcedere, & sequi. l. videamus. §. iurare. ff. de in lit. iuran. quia in tali casu non redarguitur iurans de periurio, sed refrænatur immoderata affectio, quam ille posset in rem suam habere. glos. & Bart. in d. Authent. Et in facienda hac taxatione est habenda ratio personarum, ac negotij, vt quod verisimiliter fuerit ablatum, id taxetur. vt in tex, & l. non nunquam. ff. de iudic.

In Sexto. Cap. vnic. Absolutionis.

EXCOMMVNICATIONIS, suspensionis, vel interdicti absolutio, vel reuocatio per vim extorta, non tenet.

QVIA



QVIA abſolutio, vel reuocatio ab his eccleſiaſticis cenſuris, eſt humiliter petenda, non autem per metum illatum obtinenda. c. ſententia. 11.q.3. Et quoniam potentes, & audaces ſæpe cogebant iudices, & prælatos ad abſoluendum per metum, aliter quam deberent. Archid. hic. Ideo, licet regulariter geſta per metum teneant, ſed ſint per actionem, quod metus cauſa, vel per iudicis officium reſcindenda. vt not. ext. in c. abbas. in odium tamen illorũ, qui in contemptum clauium, & in eccleſiaſticæ libertatis præiudicium ſic compellebant eccleſiaſticos ſuperiores ad abſoluendum, ſtatuitur, vt talis abſolutio, vel reuocatio, per vim, vel metum extorta, ſit nulla ipſo iure. vt in tex. & gloſ. ver. vacuamus.


ET extorquens excommunicatus eſt ipſo iure.

QVIA ſi non punirentur delicta, creſceret audacia delinquendi. vt in tex. & c. loci. 35.q.9. Et quoniam quis puniendus eſt, in quo peccauit. c. literas. ex. de temp. ordin. Ideo iſti, qui delinquunt in contemptum excommunicationis, ipſo facto excommunicationi ſubijciuntur. vt in tex. Sed quæritur, quomodo poſſit excommunicatus iterum excommunicari; nam excommunicatio ponit excommunicatum extra eccleſiam, hoc eſt, extra communionem fidelium. c. ſi quem. ext. de ſent. excom. vnde ſi eſt extra per primam excommunicationem, quomodo poteſt poni extra per ſecundã? qui enim eſt extra eccleſiam, non poteſt magis poni extra illam. c. frequens. infr. de reſtit. ſpol. Reſpond. quod excommunicatio habet duos effectus. Primus, vt ponat excommunicatum extra eccleſiam; ſecundus, vt teneat eum extra illam, donec ipſe fuerit abſolutus. Secunda excommunicatio non poteſt habere primum effectum; & ſic intelligitur d. c. frequens. ſed habet ſecundum effectum; quia retinet excommunicatum extra eccleſiam, vt ei non ſufficiat abſolutio à prima excommunicatione, niſi illam obtineat etiam à ſecunda; & ſic quantum ad iſtum ſecundum effectum, poteſt excommunicatus iterum excommunicari. gl. in c. ita quorundã. ext. de iudæis. & in c. Engeltrudam. 3.q.4. Et etiam magis elongatus eſt à ſuffragijs eccleſię, qui pluries eſt excommunicatus, quàm qui ſemel tantum. S. Thom. par. 3.q.22. art. 6. in addit.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

In Decretal. Cap. 1. Requisiuit.

SI in contractu venditionis, vel locationis, ecclesia fuit enormiter læsa, potest aduersus talem contractũ petere restitutionem in integrũ.



QVIA non licet episcopo, vel alteri prælato, seu beneficiato, conditionem ecclesiæ facere deteriorem. vt in tex. & c. fraternitatem. de donat. Et quoniam aliquando contractus est initus cum ecclesia in casu licito, & cum debita solemnitate, & ipsa non est decepta vltra dimidium iusti pretij, quo casu contractus tenet, & tunc contra illum ecclesia iure communi non iuuatur. glos. penult. hic. Sed quia indecens esset, si ipsa in pretij quantitate esset enormiter læsa, vt tali contractui stare teneretur. c. delictum. de reg. iur. in 6. Ideo in huiusmodi casu ius voluit, vt ecclesiæ succurratur per restitutionem in integrum, sicut in simili succurritur minori. vt in tex. & c. 1. eod. in 6.

EMPTOR tamen, siue conductor, non debet fraudari in pretio suo, vel in sumptibus per eum factis.

QVIA in integrum restituere est idem, quod in pristinum statum reponere. c. fin. 2. q. 3. & l. 1. C. de sent. pass. Et quoniam indecens esset, vt ecclesia suum recuperaret, & alter defraudaretur pretio, quod soluit, & labore suo, ac sumptibus, per quos rem ecclesiæ bona fide reddidit meliorem. vt in tex. Ideo sicut ecclesia in damno morari non debet, ita nec in lucro, sed ex vtraque parte est facienda restitutio. glos. fin. hic. & l. vnic. C. repetund. Sed pone, quod in alienatione non fuit seruata debita forma; tamen fuit facta in casu licito, & interuenit consensus illorum, qui habent consentire, nunquid in foro animę sit tutus iste, qui habet rem sine debita solemnitate? Dicendum, quod sic; nam quo ad forum conscientiæ sufficit, vt cõtractus teneat secundũ limites iuris naturalis, seu gentium; & de iure naturali, seu gentium, sufficit solus consensus, licet non fuerit seruata forma tradita à iure positiuo, quia illa forma est introducta propter scandala, & deceptiones euitandas; vnde ex quo ista cessarunt, & interuenit verus consensus, satis ille est tutus quo ad Deum: Et hoc valet in omni actu, in quo est prætermissa solemnitas iuris positiui, vt in foro animæ non teneatur quis sibi de hoc fa-

hoc facere conscientiam, ex quo ibi non interuenit aliqua deceptio, & affuit consensus habentium actum de iure naturali explicare; ex quo infertur, quod in foro conscientiæ æquitas iuris naturalis præfertur rigori iuris positiui. Abb. hic. & Butr. in c. quia plerique. de immunit. eccles.

Cap. 2. Cum venissent.

RESTITVITVR ecclesia læsa propter negligentiam procuratoris, qui iura ecclesiæ non produxit.

QVIA ecclesia iure minoris debet semper illæsa seruari. supr. c. prox. Et quoniam minor non prohibetur restitui, licet indemnitatem à suo tutore, vel curatore consequi possit. l. etiam. C. si tutor. vel cur. inter. Ideo vbi ecclesia fuit læsa per negligentiam procuratoris, est in optione ipsius, an velit agere contra procuratorem ad interesse, aut, an velit petere restitutionem in integrum contra tertium. vt in tex. & glos. ver. restituimus. Et hoc fauore ecclesiæ, nam sua interest non vexari in sumptibus, quos faceret litigando contra procuratorem. Innoc. infr. in c. suscitata. Alij verò, qui læduntur ex dolo procuratoris, debent primò agere contra procuratorem, & si ipse non est soluendo, potest dominus in subsidium petere restitutionem in integrũ. l. eleganter. §. si dolo. ff. de dolo. & l. cum mandato. ff. de minor.

Cap. 3. Auditis.

ECCLESIA læsa in probatione necessaria omissa, potest petere restitutionem in integrum, non obstante termino iuris probationis exclusiuo.

QVIA ecclesia gaudet priuilegio minoris, supr. c. 1. Et quoniam minor, etiam si quasi contumax condemnatus sit, potest in integrum restitutionis auxilium implorare. l. minor etiam. ff. de minor. Ideo, ne ecclesia propter negligentiam sui procuratoris, vel prælati, graui iactura lædatur, restituitur ad necessarias probationes facien das, licet terminus probandi de iure communi sit elapsus. vt in tex. & infr. c. coram.

ET restitutionem petere potest non solum contra priuatum, sed etiam contra ecclesiam.

QVIA restitutio datur ecclesiæ læsæ. supr. c. 1. Ideo alia ecclesia, quæ non est læsa in illo articulo, non habet in eo hoc priuilegium Abb. hic. Et etiam si tale priuilegium haberet, adhuc ecclesia læsa debet restitui, quia vbi duo pariter priuilegiati concurrunt, præfertur ille, qui certat de damno vitando. l. verum. §. fin. ff. de minor. Secus autem, quando priuilegium concurrit pariter super eodem articulo in acqui-

rendo, vel in amittendo ex parte vtriusque, quia tunc conquassantur priuilegia, & ambo vtuntur iure communi. Authent.de sanctiss.episc.§. sed & hoc. & Bart.in Auth. quas actiones. C.de sacr. san. eccl.

Cap. 4. Ex litteris.

RESTITVTIO, ex iusta causa, etiam maiori est concedenda.

QVIA restitutio in integrum est fundata super æquitate. supr. c. prox. & ibi Abb. Et quoniam vbi quis non ex culpa sua, vel ex defectu sui iuris, sed ex eo, quod fuit iuste impeditus, vel dolo aduersarij extitit circumuentus, contra eum fuit lata sententia, æquitas suadet, vt ex illa damnum reportare non debeat. l. 1. ff. ex quib. caus. maior. Ideo non solum minor, & ecclesia audiuntur indifferenter iure speciali per beneficium restitutionis, sed etiam maior, quando habet iustam causam illam petendi. vt in tex. & l. sed & si. d. tit. ex quib. caus.

DVMMODO iusta causa petendi probetur.

QVIA non præsumitur, quod isti maiores sint decepti, sicut facile præsumitur de minoribus propter ætatis imbecillitatem, & de ecclesia propter administrationem eius, qui non est dominus. Abb. hic. Et quoniam vbi quis non habet præsumptionem pro se, onus probandi incumbit dicenti. l. qui accusare. C.de edend. Ideo si maior prætendit ex iusta causa se esse restituendum, debet causam illam probare. vt in tex. & d. l. 1. ff. ex quib. caus. maior. Vnde respectu minoris, vel ecclesiæ, ad obtinendam restitutionem, sufficit enormis læsio, etiam si non habeant iustam causam illam petendi, puta, quia fuerunt in negligentia. supr. c. 2. & 3. sed respectu maioris requiritur, quod subsit iusta causa, & quod illa probetur. vt in tex. & d. l. 1.

SI autem non probatur plene, sed semiplene, conceditur restitutio in causa fauorabili dumtaxat.

QVIA duo vincula magis stringunt, quam vnum. c. 1. de treug. & pac. Et quando plura tendunt ad perficiendum vnum totum, licet singula non prosint, tamen vnita iuuant. glos. fin. in l. instrumenta. C.de probat. Et quoniam fauor causæ debet aliquid operari ad obtinendam restitutionem in integrum per maiorem. vt in tex. & d. l. 1. Ideo, sicut si plene probasset, maior ex iusta causa obtineret restitutionem in integrum etiam in casu non fauorabili, vt dictum est superius, & habetur in d. l. 1. ita semiplena probatio, & causa fauorabilis debent mouere superiorem ad illam de benignitate canonica in fauorabili casu concedendam. vt in tex. & c. cum Bertholdus. de re iudic.

Cap. 5.

Cap. 5. Tum ex litteris.

ETIAM contra sententiam Papæ restituitur ecclesia.

QVIA sententia Romanæ sedis non negatur posse in melius commutari, cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum, seu grauium necessitatum dispensatiuè quicquam ordinare decreuit. vt in tex. Et secundum iura ciuilia, principes etiam contra res bis iudicatas in auditorio suo examinari restitutionem in integrum permiserunt. l. minor autem magistratus. ff. de minor. & l. 1. & 2. C. si sæpius restit. in integr. postul. Et quoniam à sententia Papæ non potest appellari. c. cuncta. 9. q. 3. Ideo vbi quis per sententiam Papæ, vel alterius principis supremi, prætendit se læsum, cum non habeat aduersus illam remedium ordinarium appellationis. l. 1. ff. à quib. appell. non lic. potest tentare extraordinarium remedium in integrum restitutionis. vt in tex. vel supplicationis per recursum ad eundem principem. Authent. quæ supplicatio. C. de precib. imper. offer. Supplicatio autem tunc intentatur, cum nulla causa aduersus sententiam allegatur, sed tantum innititur gratiæ, & principis benignitati. Restitutio verò petitur, vbi contra sententiam allegatur aliqua probabilis causa, puta, minor ætas, vel fauor ecclesiæ, vel quia condemnatus erat apud hostes, & non potuit comparere tempore sententiæ, vel quid simile, nam restitutio in integrum innititur iustitiæ, habet tamen annexam gratiam, & datur à iure propter causam probabilem; vnde ipsemet princeps ex causa indulsit beneficium restitutionis. vt supr. c. prox. Ideo apud eundem potest peti ista restitutio; Cum principi de honestate conueniat suas leges obseruare. l. digna vox. C. de legib. In hoc tamen casu potest etiam supplicari; sed in priori casu, vbi non prætenditur iusta causa extrinseca, non concurrit remedium restitutionis. Abb. hic; cum restitutio sit fundata super iustitia causæ. l. fin. ff. ex quib. caus. maior. & l. 1. ff. de minor.

ET causa restitutionis in integrum debet, præsentibus partibus, tractari.

QVIA merita causarum, assertione partium panduntur. vt in tex. & l. fin. C. si per vim, vel alio mod. Et quoniam restitutio in integrum est fundata super iustitia causæ, vt dictum est superius. Et talis restitutionis petitio æquipollet appellationi. Abb. hic. Ideo sicut in causa appellationis debet lis contestari, præsentibus partibus. c. per tuas. de appellat. & l. vnic. C. ne lic. in vna, & ead. caus. Et in omni actu, in quo vertitur interesse partis, illa est citanda, vt adsit ad dicendum ius suum. l. de vnoquoque. ff. de re iudic. ita est faciendum in hac causa restitutionis. vt in tex. sed si pars esset absens contumaciter, tunc

posset procedi, lite non contestata. Abb. hic. cum contumax in sui præiudicium habeatur pro præsenti. c. causam. de dol. & contum. & Bart. in l. fin. ff. ex quib. caus. maior.

Cap. 6. Suscitata.

PETITIO restitutionis in integrum contra sententiam, suspendit regulariter executionem sententiæ, in euentu istius causæ restitutionis.

QVIA petitio restitutionis in integrum æquipollet appellationi. Abb. hic. Et quoniam, appellatione interposita, siue recepta sit, siue non, dum non est refutata, medio tempore nihil est innouandum. c. venientes. de iureiur. & l. vnic. ff. nil nou. appell. interp. Ideo similiter, postulata in integrum restitutione, omnia in priori statu esse debent, donec causa restitutionis admittatur, vel refutetur. vt in tex. & l. vnic. C. de in integr. restit. postul.

FALLIT, si contra petentem restitutionem, est præsumptio malitiæ, quòd causa differendi executionem, hoc petat.

QVIA malitia sua nemini prodesse debet. c. plerunque. de rescrip. & l. 2. ff. de dol. mal. Et quoniam si restitutionis in integrum petitio semper suspenderet sententiæ executionem, sæpe malitiosè interponeretur, ad subterfugiendum iusti iudicij condemnationem. c. accedens. de accusat. Ideo vbi est præsumptio, quod quis malitiosè petat in integrum restitutionem, illa petitio sententiæ executionem non suspendit. vt in tex. & l. auxilium. ff. de minor.

QVO casu executio fit, præstita cautione de restituendo, si petens restitutionem, obtinebit in causa.

QVIA regulariter, vbicunque quis in dubio admittitur ad aliquod commodum, in actu admissionis debet præstare cautionem de restituendo in casu succumbentiæ. l. prætor, in princ. ff. de dãn. infect. Et quoniam malitia, cum consistat in animo, difficile probatur. d. l. 1. de dol. Et iudex sæpe posset præsumere falsum circa huiusmodi petentem. c. litteras. de præsumpt. Ideo quadam æquitate, per hanc cautionem vtrique parti in tali casu dubio prouidetur, vt nec executio, quæ est effectus sententiæ retardetur, nec si petens restitutionem in causa præualuerit, in vanum postea pro suarum rerum recuperatione laboret. vt in tex. & c. ecclesia il[l]. vt lit. pend.

Cap. 7. Coram.

POST peremptorium, non auditur ecclesia de iure communi.

Quia

QVIA terminus peremptorius dicitur ille, vltra quem non dantur vlteriores dilationes.l.ad peremptorium,cum sequen.ff.de re iudic. Et quoniam istæ præscriptiones iudiciales currunt etiam contra ecclesiam.supr.c.auditis.& Abb.hic. Ideo si ecclesia non probat intra dilationem sibi peremptorie statutam, de iure communi postea ad probandum non admittitur.vt in tex.& d.c.auditis.

AVDITVR tamen per beneficium restitutionis in integrum.

QVIA ecclesia gaudet priuilegio minoris.supr.cap.1. Et quoniam minori datur restitutio, vt audiatur post talem terminum.l. minor etiam.ff. de minor. Ideo similiter talis restitutio est danda ecclesiæ illam exposcenti.vt in tex.& d.c.auditis.

Cap.8. Constitutis.

RESTITVITVR minor in eo,quod contraxit,vel omisit, si probat ex inde se læsum,& sit intra tempora restitutionis petendæ.

QVIA per restitutionem in integrum ita subueniendum est minori,qui sui facilitate præsumitur deceptus,vt tamen moderatus finis litibus imponatur, & alicuius negligentia non nutriatur. c. vnic.eod.in 6.& l.fin. C.de in integr.restit. minor. Vnde ad subueniendum minori,datur ei restitutio in integrum.l.minor etiam.ff.de min. Et ad euitandas lites immortales,& in odium negligentium,statuitur quadriennium ad petendam restitutionem, post minorem ætatem completam.l.fin.ff.de minor. Et quoniam vbi plura copulatiuè requiruntur,alterum solum præstare non sufficit.glos.in c.in alternatiuis,de reg.iur.in 6. Ideo vt minor restituatur, debet probare se læsum, se minorem esse læsum,& sui facilitate læsum,& intra quadriennium, post completam minorem ætatem hanc restitutionem postulasse.vt in tex.& hait prætor,in fin.ff.de minor.

Cap.9. Causa.

RESTITVTIO in integrum postulanda est ab ordinario administrationem habente.

QVIA causa restitutionis est mixti imperij, nam expeditur iudicis officio nobili,licet ad instantiam partis.l.fin.& ibi Bart. C. vbi, & apud quem cogn. Nulla tamen actio competit parti ad eam petendam,sed tota pendet à iudicis officio.l.quod si minor,in fin.ff.de minor. Et quoniam iudici, qui non habet administrationem, non competunt ea,quæ sunt mixti imperij.l.imperium.ff.de iurisd. omn. iud. Ideo ordinarij non habentes administrationem, non possunt restitutionem in integrum concedere.vt in tex.& d.l.fin.

VEL

VEL à delegato ab eo.

QVIA omnes causæ, de iure canonico, possunt delegari. glos. in c. quod sedem. de offic. ordin. Et quoniam qui per alium facit, per seipsum facere videtur. l. ita autem. §. gessisse. ff. de administrat. tutor. Ideo sicut ordinarius potest in integrum restituere, ita potest delegatus ab eo, vt in tex. & multo fortius delegatus à principe. d. l. fin. C. vbi, & apud quem. Et etiam de iure ciuili, huiusmodi causa fauore minoris delegatur. d. l. fin. & ibi Bart. licet regulariter ius ciuile causas meri, vel mixti imperij, prohibeat delegari. l. 1. ff. de offic. eius.

SIVE hæc causa sit specialiter delegata, siue incidat in causa generaliter sibi commissa.

QVIA mandatum iurisdictionale ampliatur ratione incidentiæ, quando ille, cui causa est commissa, est capax causæ incidentis. c. prudentiam. §. si vero. de offic. deleg. & Ias. in l. 2. col. 3. de iurisd. omn. iud. Ideo potest delegatus cognoscere, non solum de causa specialiter sibi commissa, sed etiam de causa restitutionis, quæ incidenter venit in illa: vt in tex. puta, Delegatus super aliquo contractu venditionis, in iudicio protulit aliquam interlocutoriam, per quam minor, vel ecclesia est læsa, poterit peti ab eo restitutio in integrum; quia non petitur principaliter, sed incidenter, nam incidit in causa sibi commissa. Abb. hic. Et eadem ratione idem est in mandato procuratorio, vt ratione incidentiæ extendatur ad specialiter non commissa, dummodo non sint de ijs, quæ requirunt speciale mandatum. glos. supr. in c. suscitata. ver. postulauit.

AB Ordinario verò administrationem non habente, vel à delegato ab eo, peti non debet.

QVIA ordinarius non habens administrationem, vel delegatus ab eo, non habent ea, quæ sunt mixti imperij. l. rem non nouam. C. de iudic. Et quoniam causa restitutionis est mixti imperij, vt dictum est superius. Ideo tali ordinario non competit hæc causa. vt in tex. Et per consequens non potest illam alteri delegare. c. Daibertum. 1. quæst. 7.

NISI veniat incidenter in causa.

QVIA ratione incidentiæ iurisdictio ampliatur, vt iudex possit incidenter cognoscere de causa, de qua non posset principaliter, vt dictum est superius. Ideo tales iudices possunt incidenter cognoscere etiam de causa restitutionis. vt in tex. & l. quoties. C. de iudic.

ARBITER autem de causa restitutionis non cognoscit.

Quia

QVIA causa restitutionis est mixti imperij, & impartitur ex iudicis officio nobili, vt dictum est superius. Et quoniam arbiter non habet ea, quæ sunt imperij; immo nec etiam simplicem iurisdictionem, sed solum habet quandam notionem. l. 1. C. de arbitr. & l. ait prætor. ff. de re iud. Ideo de tali causa arbiter cognoscere non potest. vt in tex. & d. l. fin. C. vbi, & apud quem.

NEC potest assumi in maioribus causis.

QVIA maiores causæ exigunt maiores iudices, vt in tex. Et debent tractari per eos, qui habeant potestatem iudicandi. glos. fin. & cap. fin. de transac. Et quoniam arbitri non sunt huiusmodi iudices, vt dictum est superius, & habetur in cap. per tuas. de arbitr. Ideo in matrimoniali causa, aut in liberali, vel criminali, cum maiores iudices exigantur, arbiter nequit assumi. vt in tex. & l. non distinguemus. §. Iulianus, & §. de liberali. ff. de arbitr.

Cap. 10. Beneficio.

RESTITVTIO denegata ecclesiæ, vlterius sibi nõ conceditur.

QVIA sententia lata super restitutione in integrum, transit in rem iudicatam, etiam contra ecclesiam, & minorem, supr. c. coram. & l. 1. C. si sep. in integr. rest. postul. Et quoniam sententia sic lata esset ludibrio, si directe contra eam daretur restitutio. l. si prætor. ff. de iudic. & nullus esset litium finis: nam si audiretur secundo, eodẽ modo deberet audiri tertio, & in infinitum. Hostien. hic. Ideo sicut ecclesia, vel minor non restituitur contra quadriennium, quo debuit contra læsionem restitui, infr. c. 1. in 6. ita nec contra restitutionem denegatam, vt in tex. & d. l. 1. C. si sæpius. in integr.

NISI ex noua causa.

QVIA quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. l. de ætate. §. ex causa. ff. de interrog. action. Et quoniam ex noua causa potest vna res iterum peti, non obstante exceptione rei iudicatæ ex alia causa. l. cum quæritur, cum seq. ff. de except. rei iud. Ideo eadem ratione potest iterum peti restitutio in integrum, ex noua causa non allegata in priori iudicio. vt in tex & l. 2. C. si sæpius in integr. restit.

RESTITVITVR tamen ad appellandũ à sententia denegationis.

QVIA aliud est restitui ad totam causam, aliud ad appellationem; nam in primo casu, perinde est, ac si non esset lata sententia; secundo non, quia salua manet sententia, licet appellatione suspendatur. c. venientes. de iureiur. Et restitutio in secundo casu cõputatur pro vna appellatione, vt non liceat tertio appellare. c. sua. de appell. & si talis restitutus non prosequatur appellationem intra terminum iuris, confirmatur

matur prior sententia.gl.in d.l.2.C.si sæpius,&c. Et quoniã per talem restitutionem non sequuntur aliqua absurda, & subuenitur ecclesiæ, vel minori, quibus ius regulariter restitutionem cõcedit.sup.c.1. Ideo licet ecclesia,vel minor,non restituantur aduersus denegatam restitutionem, restituũtur tamen ad appellandum aduersus illam denegationem,si fuerint negligentes in appellando.vt in tex.& d.l.1.

In Sexto. Cap. 1. Ecclesia.

ECCLESIA post quadriennium non admittitur ad petendam restitutionem contra sententiam,vel contractum.



QVIA ecclesia in restitutione petenda,fungitur iure minoris facti maioris.glos.1.hic. Et quoniam minor, factus maior, non auditur post quadriennium à die maioritatis,ad petendam in integrum restitutionem. l.petendæ.C.de tempor.in integr.restit. Nam ita est ei per hoc beneficium subueniendum,vt tamen lites non fiant immortales.vt not.extr.in c.constitutis. Ideo,vt ecclesia restituatur,debet intra quadriennium à tempore læsionis petere restitutionem. vt in tex.& infr.Clem.vnic.

NISI rationabilis aliqua causa hoc suadeat.

QVIA restitutio in integrum est fundata super æquitate, & datur à iure propter causam probabilem.c.ex litteris.extr.eod. Et quoniam esset contra æquitatem, vt ecclesia indebitè iure suo priuaretur, & alicuius dolo fraudaretur.glos.hic.vers.commentum.& c.penult.ext. de reb.eccl. non alien. Ideo,licet sit transactum quadriennium à die læsionis,si rationabilis causa suadeat,ecclesia restituitur.vt in tex.& extr. c.tum ex litteris.

Cap.2. Si aduersus.

ECCLESIA contra confessionem,qua læsa fuit,admittitur intra quadrienniũ per beneficium restitutionis in integrum, postea non.

QVIA per huiusmodi restitutionem consulitur indemnitati ecclesiæ,quam,æquitas non patitur,per aliquem esse læsam. extr. c. 1. Sed quoniam ita est ecclesiæ fauendum, vt tamen lites non fiant immortales.supr.c. prox. Ideo,si aduersus confessionem in iudicio à se factam, læsa ecclesia beneficium restitutionis in integrum, intra quadriennium ab ipsius confessionis tempore computandum,petere negligenter omittat; non est (nisi aliquid rationabile appareat, quod aliud suase-

suaserit faciendum) ad hoc petendum vlterius admittenda. vt in tex. & arg.l.certum.§.fin.ff.de confess.

NISI per viam iuris communis.

QVIA vbi habet locum auxilium commune, non debet extraordinarium peti. l.in causæ la 2.ff. de minor. Et quoniam sunt aliqui casus,in quibus confessio facta de iure communi non nocet, vt est confessio facta per errorem facti. glos. 1.hic.& c.fin.extr. de confess. Ideo vbi per viam communem reuocationis erroris, quem in facto prætendit,vult aduersus suam confessionem ecclesia se iuuare,hoc quãdocunque poterit.vt in tex.& d.c.de confess. Et sic patet, quod vna via conceditur id,quod alia prohibetur;quod videtur esse contra regulam, cum quid.infr.de reg.iur.Sed dic,quod regula procedit,quando aliquid prohibetur,habito respectu principaliter ad ipsum prohibitum; secus, si prohibitio se habet ad viam,aut modum, non autem ad rem. vt hic. glos.in d.c.cum quid.

In Clement. Cap.vnic.

ECCLESIA probans se læsam per lapsum temporis, ad illud tempus tantum restituitur.



VIA qui restituitur propter læsionem, non debet esse melioris conditionis, quam antea esset, si non fuisset læsus.glos.in l.sed & si.§.quoties.ff.ex quib. caus. maior. Cum restitutio sit prioris status restauratio.l.quod si.§.restitutio.ff. de minor.Et quoniam si quis restitueretur ad longius tempus, quam ante læsionem habuisset,non solum reponeretur in priori statu, sed in meliori. d. glos. in §. quoties;& sic in lucro esset, & plus haberet.glos.hic.vers.si minus. Ideo restitutio aduersus lapsum temporis, datur solum ad tantum tempus, quantum fuit tempus læsionis, non ad longius. vt in tex. & l. nec non. §. si quis. ff.ex quib.caus.maior.


ET intra quadriennium à tempore læsionis.

QVIA ecclesia in restitutione fungitur iure minoris. ext. c.1. Et quoniam minor habet tantum quadriennium, post completam minoritatem,ad petendam restitutionem.l.petendæ.C.de tempor.in integr.restit. Ideo similiter ecclesia debet intra quadriennium continuum, à tempore læsionis computandum, petere restitutionem. vt in tex.& supra c.1 in 6.

DE ALIENATIONE iudicij mutandi causa facta.

In Decretal. Cap. 1. Ex quorundam.

IS, in quem facta est alienatio rei, causa mutandi iudicij, conuenitur per rescriptum impetratum contra alienantem.



VIA omnibus modis debet superior prouidere, ne ex alieno facto cuiusquam conditio deterior fiat. l. 1. ff. eod. Et fraudibus, quantum fieri potest, est obuiandum. c. sedes. de rescript. Et quoniam sæpe contingebat, quod quis timens sibi controuersiam facturam super aliqua re, illam malitiosè in potentiorem alienabat, vt sic pars duriorem aduersarium litigando haberet; Ex qua alienatione etiam eludebatur rescriptum superioris, impetratum contra personam, quæ tunc possidebat, & non contra illum, cui fuit cessio facta. vt in tex. & d. l. 1. Ideo, licet regulariter rescriptum non extendatur ad personam in eo non expressam. vt in c. Petro, & G. de offic. deleg. Tamen ne superioris mandatum illudatur, & ad prouidendum indemnitati partis aduersæ, & in odium sic malitiosè alienantium, & alienationem talem acceptantium, statuitur, vt per tale rescriptum, non solum possit conueniri alienans, sed etiam ille, in quem fuit alienatio facta. vt in tex. & l. vnic. C. eod. Vnde contra alienantem datur actio in factum ad interesse. d. l. 1. & l. 3. ff. eod. Contra possidentem verò datur rei vendicatio. d. l. vnic. C. eod. Sed nota, quod tria sunt necessaria ad hoc, vt talis actio in factum habeat locum, scilicet, quod sit res alienata causa mutandi iudiciũ futurũ. Item, quod dolo, vt duriorem mihi constituat aduersarium. Item, quod mea intersit; alias talis actio locum non habet. glos. hic. & glos. in d. l. vnic. Vnde cessat hoc edictum, si quis ex necessitate alienat. l. non solum. §. si quis. ff. eod. Item si paratus est subire iudicium, ac si possideret. l. quia etiam, in fine. ff. eod. Competit autem hoc edictum, quando fit alienatio causa mutandi iudiciũ futurũ, & non illud, quod iam fit. l. ex hoc edicto. §. ait prætor. ff. eod. quia si fiat alienatio rei litigiosæ, alienans incidit in edictum de litigiosis. C. de litigios. l. fin. Et hoc debet fieri, libello Principi dato, & per eum reo insinuato. Authent. litigiosa. C. d. tit. Tunc enim res alienari non potest sine pœna litigiosi. l. fin. C. d. tit. & c. ecclesia. infr. vt lite pend.

Cap.

Cap 2. Ex parte.

CLERICVS, causa mutandi iudicium, non debet recipere cessionem à laico.

QVIA talis cessio, siue sit vera, siue simulata, præsumitur facta in fraudem, vt aduersarius in altero iudicio magis fatigetur; & Clericus videtur illam recipere, auaritia motus, vt alienis rebus etiam illicitè potiatur. vt in tex. iuncta glos. fin. hic. Et quoniam fraus, & auaritia, præsertim à clericis sunt euitandæ. supr. c. prox. & cap. clerici 14. q. 4. Ideo vbi præsumitur, quod talis cessio fiat à laico in fraudem aduersarij, clericus debet se abstinere ab illa recipienda. vt in tex. & simile in l. 2. C. ne liceat potent. Quando autem cessio dicatur fieri in fraudem, & ex quibus coniecturis contractus præsumatur simulatus, & quo pretio sit æstimanda res litigiosa, vide hic latius per Abb. & nouissimè per Illustriss. Cardinalem Manticam, de Ambig. & tacit. conuent. lib. 4. tit. 13. Inter laicos autem emptio litis est permissa, & eis datur actio vsque ad quantitatem datam, dum tamen non fiat in potentiorem, & non fiat pactum de quota litis. l. sumptus. ff. de pact. & l. 1. §. is cui. ff. de vari. & extraord. cognit.

Liber Primus. Titulus XLIII.

DE ARBITRIS.

In Decretal. Cap. 1. Sane.

ARBITRI sunt in dispari numero assumendi.



QVIA homines sunt faciles ad dissentiendum. l. item si vnus. §. principaliter. ff. eod. præsertim arbitri, qui communiter sunt compatres, & amici partium. Abb. hic. Vnde si eligerentur in pari numero, non esset de facili dare maiorem partem in sententia. d. l. item si vnus. Et quoniam si partes discordantes essent hinc inde æquales, nullius laudum, siue sententia valeret. d. §. principaliter. & c. causam il 1. de offic. deleg. Ideo vt facilius causa per arbitros terminetur, illi sunt in dispari numero assumendi. vt in tex. & c. 2. eod. in 6. Non quod tunc consentire omnes, facile sit; sed quia, & si dissentiant, inuenitur pars maior, cuius arbitrio stabitur. d. §. principaliter. Sed hoc, quod dicitur, vt in dispari numero assumantur, est legis consilium, non præceptum. Abb. hic; vnde si eligantur in numero pari, tenet compro-

missum, & si in laudo ferendo non conueniunt, compelluntur eligere tertium, cuius auctoritati, & dicto, erit standum. d. §. principaliter. Etiam si ille discordet ab alijs duobus. glos. in d. §.

ET eis discordantibus, statur sententiæ maioris partis.

QVIA arbitria sunt redacta ad instar iudiciorum. l. 1. ff. eod. Et quoniam in iudicibus statur sententiæ maioris partis. cap. prudentiam. de offic. deleg. Ideo similiter standum est in arbitris. vt in tex. & l. si tres. ff. eod. quod enim fit à maiori parte, censetur factum ab omnibus. cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori part. cap. & l. quod maior. ff. ad municip.

Cap. 2. Non sine.

NVLLVM est arbitrium, seu arbitramentum, continens peccatum per partes non remissibile.

QVIA inferior non potest tollere legem superioris. c. cum inferior. extr. de maior. & obed. Et quoniam si arbitrium, seu arbitramentum contineret in se peccatum, esset cōtra omnem legem diuinam, & humanam, quæ prohibent peccata. c. erit autem lex. dist. 4. & c. qui resistit 11. q. 3. Ideo nullus arbiter, vel alius potest sustinere actum, qui in se continet peccatum. vt in tex. & c. fin. de præscript. & S. Tho. 2. 2. q. 60. art. 5. Vbi verò solum tractaretur de præiudicio partis, illa posset fauori suo renunciare, & ius suum remittendo, arbitramentum teneret, vt notatur in c. si diligenti. de foro compet.

Cap. 3. Peruenit.

ARBITER assumptus in patrimoniali causa Clerici, non potest adiudicare rem Ecclesiæ possidendam, etiam ad vitam Clerici.

QVIA huiusmodi arbitrium, ecclesiæ posset in posterum perniciosum existere. vt in tex. Nam occasione illius, forte iste, qui taliter possideret rem ecclesiæ, vellet etiam post mortem præsentis clerici illam retinere, & ita ecclesiæ præiudicaret, si non de iure, saltem de facto; Nam compelleretur litigare cum illo, & expensas sustinere. glos. hic. Interest enim ecclesiæ, ne sumptibus vexetur. l. minor. 25. annorum. ff. de minor. Et quoniam clericus non potest conditionem ecclesiæ facere deteriorem. c. fraternitatem. de donat. nec potest alienare rem ecclesiæ in damnum ipsius ecclesiæ, vel successoris. 12. q. 2. c. sine exceptione. Ideo ipso iure tale arbitrium non tenet. vt in tex. & glos. hic. Vnde licet redditus beneficij de præsenti possint capi in solutum pro debito clerici. c. peruenit. de fideiussor. non tamen potest clericus alicui assignare facultatem colligēdi redditus in futurum. Butr. hic. Nec potest

poteſt clericus, abſque auctoritate diœceſani, facere compromiſſum, per quod ſua eccleſia obligetur. c. de cætero. de tranſact. & cap. regenda. 10. q. 1.

Cap. 4. Dilecti.

IN mulierem ſingularem, tanquam in arbitratricem, compromitti non poteſt.

QVIA regulariter fœmina eſt remota ab omni officio publico. Bart. in l. 1. ff. de legib. & Decius in l. fœminæ. ff. de reg. iur. Et intellige de officijs virilibus; nam officia non virilia, quæ deferuntur in republica, tenetur mulier ſubire, ſicut maſculus; de quo tamen dicendum, vt plene not. Bart. in l. 1. C. de muner. & in quo loco mun. lib. 10. Et quoniam ſuſcipere in ſe arbitrium, eſt officium virile. Abb. hic; nam arbitria ſunt redacta ad inſtar iudiciorum. l. 1. ff. eod. Et quia mulier non valet iudicare. d. l. fœminæ, ita nec arbitrari. vt in tex. & l. fin. C. eod. Secus dic, ſi fieret compromiſſum in mulierem, tanquam in communem amicam, & amicabilem compoſitricem; Nam tale compromiſſum poteſt mulier acceptare, quia coram arbitratore non eſt forma iudicij, ſed abſque tali forma amicabiliter proceditur. c. quintaual lis. de iureiur. & facit hic. tex. à contrario ſenſu, ibi, ab omni iudiciali examine, & c. & vide Specul. eod. tit. §. 2. circa princip.

SECVS, ſi mulier habet aliàs iuriſdictionem de iure communi, vel conſuetudine.

QVIA de ſimilibus idem eſt iudicium. c. inter corporalia. de exceſſ. prælat. Et quoniam arbitria ſunt ad inſtar iudiciorum, vt dictum eſt ſuperius. Ideo mulieri, cui per ius commune, vel per conſuetudinem competit poteſtas iuriſdictionem exercendi, ſimiliter competit poteſtas arbitrium in ſe ſuſcipiendi. vt in tex. & c. dilecta. de exceſſ. præl.

NAM tunc, etiam ſuper temporalibus Eccleſiæ, poteſt in eam valide compromitti.

QVIA ſuper rebus temporalibus poſſunt clerici, cum conſenſu epiſcopi, compromittere in laicum. infr. c. contingit, & c. expoſita; nam arbiter non habet iuriſdictionem, ſed quandam notionem. l. ait prætor. ff. de re iudic. vnde per huiuſmodi compromiſſum clerici nõ ſubijciunt ſe iuriſdictioni laicorum. Abb. hic. nu. 8. nec perſona laica eſt incapax arbitrij temporalium, ſicut eſt ſpiritualium. d. c. contingit. Ideo ſicut cæteri laici poſſunt eſſe arbitri ſuper iſtis temporalibus, ita poteſt eſſe mulier habens iuriſdictionem, quæ in hoc officio viris comparatur. vt in tex. & d. c. expoſita.

Cap.

Cap. 5. Cum tempore.

ECCLESIA exempta non potest, in praiudicium exemptionis, compromittere.

QVIA subditus non potest lædere ius, & auctoritatem superioris. c. nimis. de iurepatr. & Hostien. in sum. huius tit. §. sequitur. vers. sed nunquid vasallus. Et quoniam in priuilegio exemptionis tangitur, ne dum fauor exempti, sed etiam fauor ipsius superioris, qui eum ab alijs exemit, & immediatè suæ iurisdictioni subiecit; vnde interest sua non perdere istam immediatam subiectionem. arg. c. omnis. de pœnit. & remiss. & per compromissum posset sequi laudum contra exemptionem. Butr. hic. Ideo, licet regulariter quis possit renunciare fauori pro se introducto. c. ad apostolicam. de regular. Tamen vbi renunciatio tangeret etiam interesse alterius, vt est in priuilegio exemptionis, per respectum ad superiorem, priuilegiatus non potest sine licentia superioris illi priuilegio præiudicare. vt in tex. & c. suborta. de re iudic.

Cap. 6. Cum dilectus.

ARBITER non habet potestatem iudicandi vltra comprehensa in compromisso, ideo coram ipso non fit reconuentio.

QVIA ratio finalis, quare non habet locum reconuentio coram arbitro, sicut in delegato, est, quia iurisdictio delegata est de iure; & sic merito succedit iuris dispositio edita in materia reconuentionis; vnde datur ibi potestas in causa reconuentionis beneficio iuris. Abb. hic. nu. 6. Sed quoniam arbitrium procedit ex mero facto, & sola voluntate compromittentium. infr. c. exposita. Ideo ius ibi non supplet, nec ampliat potestatem arbitrorum. vt in tex. Sed cum procedant ex sola voluntate partium, non debet eorum potestas extendi vltra ea, quæ partes expresserunt, seu expressè voluerunt. Abb. hic. Ex quo enim partes recesserunt à dispositione iuris, relinquendo iudicem, & adeundo arbitrum, recesserunt etiam ab alia iuris dispositione, vt ius in compromisso suppleat. argum. l. fin. C. de pac. conuent. Præterea, iudex communiter aditur ab actore, vnde actor eligit iudicem ordinarium, vel delegatum, reus autem necessitatur ad comparendum, quia iudicium redditur in inuitum. l. inter stipulantem §. si Sticum. ff. de verb. oblig. Vnde fuit merito subueniendum ipsi reo, contractu inito, vt ex quo ab eo aliquid petitur, audiatur volens petere ab ipso actore. Hinc dixit not. Bart. in Authent. et consequenter, in fin. C. de sent. & interlocut. omn. iud. quod coram delegato impetrato communi consensu partium, non habet locum reconuentio; quia est, quod imputetur reo, quare causam reconuentionis non fecit exprimi in rescripto. Et quoniam compro-

pro-

promiſſum ſit communi conſenſu partium. d.c.expoſita. Ideo non debet habere locum reconuentio.vt in tex. Cum hoc caſu ceſſet ratio, ſuper qua fundatur reconuentio; Non enim hic actor elegit iudicem, ſeu arbitrum, ſed actor, & reus ſimul. Ideo imputetur reo, quare cauſam ſuam non fecit exprimi in compromiſſo. Abb.hic.nu.6. Et licet arbitria ſint redacta ad inſtar iudiciorum.l. 1.ff.eod.iſtud eſt verum regulariter, ſed tamen in multis differunt, vt latè hic per Butr.& Abb.

Cap.7. Cum olim.

QVI per arbitrium tenetur eligere cum aliquorum conſilio, tenetur illorum conſilium in tractatu electionis requirere.

QVIA ius laudi, & auctoritas arbitri commenſuratur à viribus, & forma compromiſſi. ſupr.c. prox. Et quoniam qui tenetur eligere cum conſilio aliquorum, per conditionem impoſitam à compromittentibus, ſi non requireret illorum conſilium in tractatu electionis, non obſeruaret formam compromiſſi. Abb.hic. Ideo habens poteſtatem eligendi, ſeu alium actum explicandi cum conſilio alicuius, non valet, quod gerit, niſi prius requiſierit conſilium illius. vt in tex. & c. cum in veteri.de elect.

SED ſequi non adſtringitur.

QVIA neceſsitas requirendi conſilium, non importat neceſſitatem illud ſequendi.gloſ. hic. nam ſufficit, quod conſilium fuerit petitum, & congruo tempore expectatum, ad deliberandum poſtea intra ſe, quid magis ſit faciendum.d.c.cum in veteri. Nec poteſt dici tale conſilium ſuperfluum, etiam ſi non ſit de neceſſitate ſequendum, quia poteſt eſſe vtile ad pertrahendum in ſuam partem, & ad facilitandam cognitionem eorum, quæ erant conſideranda.arg.c.Nicena.diſt.31.& c. de quibus.diſt.20.Conſenſus verò, quando eſt habendus, ita eſt neceſſarius, quod actus habitus ſine eo non tenet.c.vnic. & ibi gloſ.ne ſed.vac. in 6. Aliquando tamen conſilium ponitur pro conſenſu, & conſenſus pro conſilio, quod ſit impropriè; ſed quando ſit facienda talis impropriatio verborum, eſt attendenda ſubiecta materia, ad cognoſcendum quænam ſignificatio iſtorum verborum magis adaptetur. Hoſt. & Abb. hic. Et quoniam auctoritas arbitri commenſuratur à forma compromiſſi, vt dictum eſt ſuperius. Ideo ex quo arbiter requiſiuit conſilium, vt ei fuit in compromiſſo impoſitum, ad vlteriora in tali actu non tenetur, & ſic non debet de neceſsitate, conſiliariorum ſequi ſententiam, vel eorum habere conſenſum. vt in tex.& c.licet.de regular.

Cap.

Cap. 8. Contingit.

DE rebus spiritualibus, in laicum compromitti non potest.

QVIA spiritualia negotia laici tractare non debent. c. massana. de elect. ne illorum arbitrio talia disponantur, in quibus eos manet necessitas obsequendi, non auctoritas imperandi. c. bene quidem. dist. 96. Et quoniam si res spiritualis in laicum compromitteretur, ex illius iudicio videretur pendere talis rei dispositio. gl. hic. Ideo non decet, vt laicus in talibus arbitretur. vt in tex. & c. 2. de iudic.

Cap. 9. Per tuas.

AVCTORITATE iudicis causa, etiam delegati, potest de causa spirituali, in clericum, & laicum compromitti.

QVIA arbitrium de re spirituali, non est actus spiritualis. Io. Andr. hic. Sed prohibetur solus laicus, quia non decet ipsum de talibus arbitrari. supr. c. prox. non ergo prohibetur ratione incapacitatis, sed ratione honestatis. Abb. hic. Et quoniam honestas satis conseruatur ex mixtura clerici, in qua clericus magis dignus trahit ad se laicum minus dignum, vt sic potius res valeat, quam pereat. gloss. supr. in c. prox. Ideo licet solus laicus, de honestate non possit esse arbiter de rebus spiritualibus. supr. c. prox. Clericus tamen illi associatus facit eum idoneum talis arbitrij. vt in tex. & Felin. in c. 2. col. pen. de iudic. Non tamen extendas casum huius tex. ad actum spiritualẽ, quia in illo laicus non potest effici capax etiã per mixturam clericorum. d. c. massana. & c. sacrosancta. de elect. Sicut nec seruus potest effici capax compromissi per mixturam liberi. l. Pedius. §. fin. ff. de arbitr.

ET si arbitrium est à partibus receptum, debet executioni mandari, licet per generalem procuratorem factum fuerit compromissum.

QVIA pars recipiendo arbitrium, videtur approbare factum procuratoris. l. cum antea. C. eod. Et quoniam vbi quis approbat aliquod gestum, illud per nouum consensum incipit valere, vt ex nunc, licet ex defectu potestatis in gerente, non valuerit, vt ex tunc. l. 2. C. commun. vtr. iud. Ideo licet procurator sine speciali mandato non possit compromittere. c. qui ad agendum, & ibi glos. de procur. in 6. & l. mandato. ff. de procur. Tamen si compromissum ab eo factum, à partibus fuerit receptum, debet indistinctè mandari executioni, non habito respectu, an procurator habuerit ad hoc mandatum, vel ne. vt in tex. & l. mandato. ff. de procur. Sicut sententia lata à iudice, quantumcunque sit nulla, potest ratificari à partibus, vt habeat vim pacti ex nouo contractu. Bart. in l. vnic. C. qui pro sua iurisdict.

SI autem non fuit arbitrium approbatum, compromissum factum per generalem procuratorem non nocet.

QVIA compromittens videtur quodammodo in causa transigere, vel pacisci, cum sponte, nulla necessitate coactus, promittat stare mandato arbitri. Abb. hic. in repetit. nu. 3. Et quoniam pacisci, vel transigere procurator non potest sine speciali mandato, d. c. qui ad agendum. & ibi glos. vers. pacisci. de procur. in 6. & l. mandato generali. ff. de procur. Ideo ex quo talis procurator non habet compromittendi potestatem, & pars postea arbitrium non approbauit, tale compromissum partibus non nocet. vt in text. & l. ignorantis. ff. de procur.

SED tunc, si fuit pœna apposita, potest agi ad pœnam contra procuratorem.

QVIA cum ex sententia arbitri actio non oriatur, ob hoc inuicem pœna promittitur, vt metu eius à placitis non recedatur. L. 1. C. eod. Et quoniam procurator, qui se obtulit alienæ defensioni sine sufficienti mandato, tenetur ipse ad condemnationem, non dominus. L. Plautius. ff. de procur. Ideo sicut ageretur contra dominum ad pœnam in compromisso appositam, si procurator haberet speciale mandatum, ita non habens mandatum est ipse conueniendus, qui illicitè alienę causæ se immiscuit. vt in tex. & Authent. de Iudic. §. quia vero. col. 6.

ALIAS ad interesse.

QVIA interesse est pœna respectu contrauenientis. c. finem liti. de dol. & contumac. Et quoniam ad executionem laudi est agendum metu pœnæ, ex quo non potest agi per aliam actionem. d. l. 1. C. eod. exceptis quibusdam casibus not. per glo. in l. 2. ff. eod. Ideo vbi quis non se obligauit in compromisso ad certam pœnam, casu, quo laudo contraueniat, intelligitur se obligasse ad interesse, cum talis conditio huic contractui tacitè insit. Abb. hic in repetit. nu. 33. & 37. & sic cum in tali casu sit obligatus procurator, ipse, & non dominus, pro tali interesse est conueniendus. vt in tex. & l. stipulationes la 2. ff. de verb. oblig.

Cap. 10. Ex parte.

SI per duos electos ad eandem prælaturam, in discordia compromittitur in ordinarium, morte alterius compromittentium expirat compromissum.

QVIA compromissum non extenditur, nisi ad ea tantum, de quibus expresè in eo cauetur. supr. c. cum dilectus. & ff. eod. l. non distinguemus. §. de officio. Et quoniam per tale compromissum non cauetur, vt post mortem alterius compromittentium arbiter procedere possit,

cum, etiam si compromittentes vellent, non habeant ad hoc potestatē. Butr.hic. Ideo per tale compromissum non potest arbiter quidquam facere post mortem vnius, & eo minus post mortem amborum compromittentium. vt in tex. & l. diem proferre. §. 2. ff. eod.

ORDINARIVS tamen, ex potestate ordinaria, procedit super iure superstitis, antequam fiat transitus ad aliam electionem.

QVIA data validitate prioris electionis, non valet secunda. c. cōsiderquimus. de elect. Et quoniam ad ordinarium spectat prouidere, ne quis indebitè in ejus diœcesi beneficium obtineat. c. 1. de offic. ord. Ideo, pendente electione illius superstitis, non est alia electio celebranda. vt in tex. & c. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. Debet ergo electio prior reprobari, antequam fiat transitus ad secundam. c. post electionem, in fin. de concess. preb. & c. auditis. de elect.

Cap. 11. Exposita.

ARBITER, post rem iudicatam, super discordijs nouis assumptus, non potest per suum arbitrium sententiam immutare.

QVIA transactio, siue compositio, fieri debet de re dubia, & lite incerta. l. 1. ff. de transact. Et quoniam res iudicata facit ius inter partes, & per eam constat, ad quem res pertineat, & definit lis, quæ erat. c. cum inter. de re iud. Ideo super decisis per sententiam, quæ transiuit in rem iudicatam, transigi, siue compromitti non potest. vt in tex. & l. si causa. C. de transact. Præterea arbitrium non extenditur, nisi ad ea, de quibus cogitatum est, & expressum in compromisso. supr. c. cum dilectus. Et quoniam hic non fuit compromissum super rebus decisis per sententiam, sed super discordijs nouiter ortis. glos. hic. Ideo non debuit iste arbiter extendere manum ad non comprehensa in compromisso. vt in tex. & l. non distinguemus. §. quæsitum. ff. de recept. arbit.

ETIAM, si de componendo inter partes, mandatum acceperit à Papa.

QVIA per huiusmodi mandatum Papa non intendit immutare ipsam sententiam, vel sopitas per eam querimonias suscitare; sed nouiter ortas terminare. vt in tex. Et quoniam mandatum non est extendendum vltra intentionem mandantis. cap. licet. de offic. ordin. & cap. petitio. de procur. Ideo per hæc verba generalia, de componendo inter partes, non habet arbiter potestatem à Papa retractandi senten-

tiam, quæ in rem iudicatam transiuit.vt in tex. In generali enim sermone non veniunt ea, quæ in specie non fuisset quis verisimiliter concessurus.c.in generali.de reg.iur. in 6.

Cap. 12. Innotuit.

NON valet compromissum factum in duos, seu plures, hoc adiecto, vt in casu discordiæ eligatur tertius per eosdem, vel alios.

QVIA quando partes dant potestatem iudicibus delegatis, vel arbitris, seu alijs, eligendi tertium in casu discordiæ, tunc res possunt esse sine exitu; Nam si arbitri non concordarent, non posset iudex compellere istos, quibus est data potestas eligendi tertium, quia cum illi fungantur iure partium, sicut partes non possent ab initio compelli ad compromittendum.vt in l.3.ff. eod.ita nec isti, qui funguntur iure partium, compelli possunt. arg. cap. ecclesia. vt lit. pend. Et quoniam curandum est, vt lites amputentur, & quam citius commode fieri potest, terminentur, non autem quod fiant immortales, & discordia ex discordia oriatur.c.finem.de dol.& contum. Ideo ne partes, vigore huiusmodi compromissi, contingeret diutius litigare, voluit lex à principio prouidere, statuendo, vt tale compromissum non valeat.vt in tex.& l.item si vnus.§.si in duos.ff.eod.Nam melius est ante tempus occurrere, quam post causam vulneratam remedium quærere. l. fin.C.in quib.cauf.in integr.rest.non est necess.Et quod infirmari, vel vituperari potest, præcauendum est. cap. 1. de seru. non ordin. Sed quando compromissum est factum simpliciter in duos, non potest res esse sine exitu, quia si duo discordarent in ferenda sententia, Iudex teneretur compellere arbitros ad eligendum tertium.c.cum speciali, de appell.& d.l.item si vnus.§.principaliter. Præterea, in primo casu, cum illi, quibus est data potestas eligendi tertium, habeant hanc potestatem à partibus, præsumendum est, quod inducerentur ad eligendum gratum partibus; Et cum voluntates partium sint discordes, quia quælibet pars vellet habere tertium sibi gratum, de facili isti non concordarent in electione tertij; sed in secundo casu iudex habet potestatem compellendi arbitros à iure: vnde præsumitur, quod tam ipse, quam arbiter exequeretur officium suum laudabiliter in electione tertij.vt infr.c. prox.& glos.in d. §. principaliter.

Cap. 13. Cum a nobis.

VALET compromissum factum in vnum, vel in plures, vt ipsi per se causam definiant, vel per alios, quos ipsi elegerint.

QVIA cum arbitri,si nolunt per se causam definire, debeant in hoc casu eligere alios ab initio,qui illam terminent, cessat ratio inconuenientiæ, ne,post longum tempus litigij,res sit futura sine exitu, prout esset in casu.c.prox. præcedentis, quando,scilicet,fieret compromissum, vt arbitri eligerent tertiũ in casu discordiæ inter ipsos. Abb.hic, & supr.in c.prox.nu.8. Ideo cũ hic nõ sit periculũ,vt discordia addatur discordiæ, cessat illud malũ fundamentũ longitudinis litis, quod videbatur obstare,& poterunt arbitri ab initio causæ, antequã per ipsos illa examinetur, alios ad eam deputare. vt in tex. & l.non distinguemus. §. quæsitum.ff.eod. Vel dic, quod per hoc cap. intelligitur,quando partes dant potestatem eligendi incertum arbitratorem, & amicabilem compositorem, qui facilius admittitur, & in eius electione facilius concordabitur, quam in electione incerti arbitri; quia si dictum arbitratoris est iniquum, redigitur ad arbitrium boni viri, & sic non potest multum offendere.l.societatem.§.arbitriorum.ff.pro soc. Sed cap.proximè præcedens loquitur de electione incerti arbitri, in quem difficilius concordabitur; quia eius arbitrium,& laudum, siue sit æquum, siue iniquum, tenet, & ei est parendum. d.§.arbitriorum; quod intellige, dummodo non sit dolosum, vel contra leges.c.examinata.de confir.vtil.vel inutil.

Cap. 14. Compromissum.


COMPROMISSVM, ante sententiam latam, finitur morte alterius compromittentium, vnde non transit in hæredes compromittentium,nisi de eis sit cautum in compromisso.

QVIA arbitria sunt stricti iuris.glos.hic.& compromissum non extenditur nisi ad ea tantum, de quibus in eo expressè cauetur. supr.c.cum dilectus.& l.non distinguemus.§.ex officio. ff.eod. Et quoniam arbitri communiter eliguntur amici, & compromittentes recesserunt à iudice ordinario propter confidentiam specialem,quam habent in arbitris, in quos compromiserunt, quæ ratio non vendicat sibi locum in hærede; Nam hæres quandoque non est ita amicus, vel notus arbitro, sicut erat defunctus. Abb. hic. Et facit propter eandem rationem, quod in simili dicitur de executoribus testamentorum, quorum officium iniunctum non transit ad hæredes.vt not.glos. in c.fin. de testam. in 6. Ideo cum arbitri fuerint assumpti sub specie amicitiæ, & confidentiæ personalis, non debet compromissum, ante sententiam latam,transire ad hæredem, de quo in compromisso cautum non fuit. vt in tex.& d.l.non distinguemus.§.quæsitum. Sed si sententia, vel laudum esset latum ante mortem vnius,vel amborum compromittentium, licet non sit mandatum executioni, nihilominus transit in hæredem.l. quamuis.& l.diem proferre.§.2.ff.eod. Nam,ex quo fuit lata sententia ante illo-

illorum mortem, cessat ratio, vt hæres possit propter diffidentiam grauari, vt dictum est superius, & not. supr. in c. ex parte. Vnde nota quod natura compromissi tenet medium inter naturam societatis, & iudicij; Nam societas nunquam transit in hæredem, etiam si fuit dictum, quod transiret, licet hæres teneatur ad reddendam rationem, & ad alia accessoria ad societatem. vt in l. nemo potest. & l. cum duobus. ff. pro Soc. Iudicium autem transit in hæredem; licet non sit dictum quod transiret, vt patet in c. præsentata. de testam. & in l. oratione. ff. de fer. & l. vnic. C. ne ex delict. defunct. Compromissum vero non transit in hæredem, nisi sit dictum. vt in tex. & l. sed, & interpellatur. §. fin. ff. eod.

In Sexto. Cap. 1. Si ex tribus.

SI ex tribus arbitris duo concordant in summa, tenet illorum sententia.



QVIA arbitria sunt redacta ad instar iudiciorum. l. 1. ff. eod. Et quoniam in iudicijs, quod fit à maiori parte iudicum, censetur factum ab omnibus iudicibus. c. prudentiam. extr. de offic. deleg. Ideo similiter standum est maiori parti arbitrorum, vt si sint tres, sufficiat concors laudum, siue sententia duorum. vt in tex. & extr. cap. 1.

SI omnes concordant, tenet sententia de summa minori.

QVIA maior numerus includit in se minorem. c. plus semper. infr. de reg. iur. & l. 3. ff. de adim. legat. Et quoniam, vbi verba sunt diuersa, si fieri potest, reducenda sunt ad consonantiam communem, præsertim ad actum sustinendum, vt potius valeat, quam pereat. Gemin. hic. nu. 3. Ideo licet arbitri sententiantes in summa diuersa, non conueniant per expressam, & explicitam sententiam in eadem summa minori, conueniunt tamen in ea implicitè, & consecutiuè per naturam rei, in qua d. summa continetur. vt in tex. & arg. c. si quis dederit. 24. q. 1.

Cap. 2. Vt quæstionibus.

SI ex tribus arbitris vnus nolit, examinando, vel definiendo, negotio interesse, duo procedere poterunt, ac si ille præsens esset.

QVIA si omnium arbitrorum esset necessario habendus assensus, & expectanda præsentia, quæstiones, propter eorum voluntariam, seu malitiosam absentiam, plerunque manerent indecisæ. vt in

vt in tex. Et quoniam superiores debent prouidere, vt, quam citius commode fieri potest, finis litibus imponatur. c. finem. de dol. & contum. Ideo licet de iure ciuili duo arbitri, absente tertio, quamuis fuerit requisitus, procedere non possint, nisi dictum fuisset in compromisso, quod, si vnus eorum interesse non posset, alij duo in causa procedere valeant. l. si in tres. ff. eod. de iure tamen canonico, vt litibus finis celerius imponatur, statuitur, vt duo arbitri procedere possint, requisito tertio, & venire nolente. vt in tex. & supr. c. prox. Lex autem ciuilis requirebat præsentiam tertij, & volebat, quod eius contradictio non noceret, sed absentia sic, quia si ille fuisset præsens, forsitan traxisset alios in suam partem. d. l. si in tres, & facit c. Nicena. dist. 31. Et est simile, cum dicimus, quod quando quis tenetur consilium requirere, non tenetur illud sequi. vt notatur. extr. in c. cum olim. Et sic in electionibus plus nocet contemptus, quam contradictio. c. venerabilem, & c. bonæ il 2. extr. de elect. Sed decretalis ista voluit fingere illum præsentem, & contradicentem, ex consideratione æquitatis, vt litibus citius finis imponatur. vt in tex. ex quo si fuisset præsens, & contradixisset, adhuc aliorum duorum laudum teneret. supr. c. prox. Et sic diuerso respectu fuit vtriusque iuris bona consideratio; Et est simile, quod notatur in c. cum contingat. extr. de iureiur. & c. fin. de præscript. Sed quæritur, quando lex ciuilis contradicit Canoni, vel è contra, in foro sæculari cui sit standum? Distingue, quod, aut loquimur in spiritualibus, & pertinentibus ad fidem, & vbique stamus canoni, c. Ecclesia Sanctæ Mariæ. extr. de constitut. Aut loquimur in temporalibus, & tunc, aut in terris subiectis ecclesiæ, & sine dubio stamus Decretalibus. Franc. hic. Aut in terris subiectis Imperio, & tunc, aut seruare legem est inducere peccatum, vt vt quod præscribat possessor malæ fidei, & tunc stamus canonibus. glos. in c. 2. infr. de reg. iur. Aut non inducit peccatum, & tunc in talibus terris stamus legi. vt extr. qui fil. sint legit. c. per venerabilem, & glos. hic. vers. lex. Et Bart. in l. priuilegia. C. de Sacr. sant. eccles. Quando vero discordant canones, & dicta sanctorum, potius iudicandum est secundum canonem, quam secundum dicta sanctorum, nisi illa sint fundata in nouo, vel veteri testamento. glos. in c. de libellis. dist. 20.

CIRCA iudices autem antiqua iura seruentur.

QVIA iudices maiori maturitate creantur, quam arbitri. c. statutum. supr. de rescript. Et quoniam lex sicut ex causa potest mutari, ita non est sine causa varianda, c. erit autem lex. dist. 4. & c. non debet. extr. de consang. & affinit. Ideo circa iudices cum fuerint antiqua iura sufficienter statuta, non immutantur, sicut supplentur ea, quæ non ita completè disponebant circa arbitros. vt in tex. Præterea, in iudicibus rigor attenditur, quia clementiores lege esse non debent. Authent. de iudic. §. oportet. coll. 6. Arbitri autem pronunciant, prout

ipſis videtur, & plerunque eliguntur amici, & poſſunt eſſe viles.extr. c. compromiſſum. Ideo ius magis circa illos prouidere, & conſiderare voluit, quam circa iudices, quibus ſufficiēter per alia iura eſt prouiſum. vt in tex. & gloſ. fin. hic. Quæ autem ſint iura antiqua diſponentia de iudicibus, circa eorum facultatem in pronuntiando, latè enumerantur hic per gloſ. & not.in c.prudentiam. extr.de offic. deleg.

Finis Primi Libri Rationalis Iuris Pontificij,

Auctore Ioanne Baptiſta Viuiano.

Ad laudem omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.


REGESTVM.

† †† ††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb



Omnia ſunt integra folia.

3.50